OLIVERII BONARTII
E SOCIETATE IESV THEOLOGI
DE
SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO
TRACTATVS POSTERIOR;
Qui Sacroſancti Miſſæ Sacrificij Inſttutionem, Religionem, & Fructum Ternis Libris dilucidè ac breuiter exponit.

ANTVERPIÆ,
Typis CORNELII WOONS ſub ſigno Stellæ aureæ,
Anno M. DC. LIII.

TRACTATVS POSTERIOR DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

Ad ſummum & Æternum ſacerdotem Chriſtum Dominum noſtrum.

SVNT, qui ampliſsima & magnificentiſsima tibi, Chriſte, templa ſumptu regio ex Pario lapide conſtruunt, & Maieſtati tuæ altaria erigunt quæ marmore verſicolore incruſtant, quod aureis mæandris & miro artificio pictura condecorat. Fuêre quondam Imperatores, qui paludamentum *vt Otho* auguſtiſsimum, quo inaugurati, nomini tuo ſacris *3.* aris dedicarunt. Nec defuere priſcis ſeculis Reginæ, *vt S.* & illuſtres matronæ, quæ Imperatorum æmulæ *Pulcheria, S.* mundum ſuum muliebrem varium & pretioſum & *Anthuſa.* opere Phrygio elaboratas cyclades tibi conſecrarunt, quas ſecutæ ætate noſtrâ inſignes Heroinæ Margarita Auſtriaca Hiſpaniarum Regina & Iſabella Clara Eugenia Belgij Princeps, vt alias inferioris ordinis omittam. Lego apud Antonium Panormitam *Procæmio* Alphonſum Siciliæ & Aragoniæ Regem nullis im- *libri 4. de geſtis Alphonſi.*

pensis pepercisse, vt vestes sacrificales vnionibus & & elenchis pretiosis & exoticis ornaret. Nec præterire possum aut debeo S. Wenceslaum Bohemorum Ducem qui messis & vindemiæ tempore, oblitus quasi regiæ dignitatis, selecta farra metebat, & eximios racenos decimabat, vnde frumentum Electorum & Vinum germinans virgines conficeretur. Ego verò in simplicitate cordis ex paupertate mea, tibi Regi Iustitiæ, Regi Pacifico, Sacerdoti Magno, Opusculum hoc dico, & dedico, vt in eo primum gloria tua resplendeat, & deinde, si maiestati tuæ placuerit, famuli tui, quos ad sacerdotale ministerium elegisti, eo peruoluto instruantur & inflammentur, vt suo tempore ritè & deuotè Sacrificium, quod instituisti, offerant. Si hoc assecutus fuero, labores meos bene impensos & remuneratos existimabo. Ita ex animo voueo.

In Martyrologio Vsuardi.

OLIVERIVS BONARTIVS.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ARGVMENTVM de Sacrosancto Missæ Sacrificio, eiusque mysterijs eruditè & cum laude plures Patres & Doctores exposuerunt, sed per partes: dum alij copiosè, quæ cum Heterodoxis & Sectarijs nostri vel prioris æui in controuersiam veniunt pertractant: alij Theologicam vel moralem de eodem doctrinam scriptis persequuntur: quidam denique eiusdem cæremonias & mysteria confirmant & explicant: pauciores verò simul omnia fasciatim, quæ de tanto mysterio dici possunt, coaceruarunt. Ceterùm, ego in gratiam Lectorum, quibus breuitas placet, & integrum non est magna vel multa Doctorum volumina peruoluere, rem totam dilucidè & succinctè explicare proposui, maximè insistens rituum, precum, mysteriorum eius antiquitati indagandæ, & sanctitati, veritatique confirmandæ, amplexus in primis probabiles auctorum probatissimorum, tam veterum, quam recentiorum sententias, reiectis quorumdam coniecturis verò parum similibus.

Feci itaque quoddam quasi spicilegium sacrum exemplo Ruthæ cap. 2. & collegi spicas, quæ fugerunt manus metentium, terga eorum secutus; *quos autem congessi manipulos Lectori excutiendos detuli.*

Conuenire mihi putaui verba Iesu filij Sirach. Ecclesiastici cap. 33. Et ego, *ait*, nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores; in benedictione Dei & ipse speraui, & quasi qui vindemiat, impleui torcular. Respicite quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus inquirentibus disciplinam. *Fruere his Lector, & prosperè age.*

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI,
De Missa in se, & de prærequisitis ad eam.

Index Capitum Libri secundi, de Religione & Ordine Missæ, eiusque ritibus, & orationibus.

Index

LIBER PRIMVS.

DE SACROSANCTI MISSÆ SACRIFICII INSTITVTIONE.

CAPVT PRIMVM.

Varia Sacrificij Missæ nomenclatura & præstantia.

VARIETAS & multitudo nominum & epithetorum, quibus Ecclesia, & Sancti Patres augustissimum vnicumque nouæ Legis sacrificium exornarunt, eius inprimis dignitatem & excellentiam nobis proponit, & insinuat, quæ tanta est, vt nec lingua humana eam verbis æquare, nec mens Angelica comprehendere possit. Hîc igitur primum eius encomium, pulcherrima & præstantissima Nomenclatura, & honorifica Epitheta, quæ inter alios collegit Ioannes Garetius libello de Sacrificio Missæ; Iacobus Pamelius Annotationibus in Epistol. 63. S. Cypriani, Ioan. Baptista Scortia de Sacrificio Missæ lib. primo cap. primo, & alij.

1. *Sacrificij Missæ honorifica Epitheta.*

Vt autem prætermittam Propheticum illud Malachiæ primo n. 11. *Oblatio munda*, & quod vsurparunt Sancti Patres, *Incruentum sacrificium*, & plura huiusce modi; S. Epiphan. Epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitan. vocat Liturgiam, *Christianorum præcipuam salutem*: S. Chrysostom. in Psalm. 44. τὴν προῖκα id est, *dotem* Ecclesiæ à Christo sponso datam: S. Nazianzenus Orat. 23. dicit sacerdotes μυσταγωγοῦν τὴν θέωσιν *sacrum Deificationis munus obire*: Synesius appellat τελετὴν ἀπόῤῥητον: *ritum mysticum & arcanum*. Rursus S. Chrysostom. l. 6. de Sacerdotio cap. 4. *Horrore ac veneratione plenissimum Sacrificium*: Cyrillus Alexandrin. in caput vltimum Sophoniæ, *venerandum & admirabile ministerium*, seu Liturgiam: Eusebius lib. 1. Demonstrat. Euangel. *Deo plenum, sacro-sanctum & horrorem adferens sacrificium*: Fulbert. Carnotensis Epistolâ primâ, *Sacrificij placabile expiamentum, & Incarnatæ Deitatis vitale pulmentum.*

Sed nullus maioribus & præstantioribus præconijs & titulis illud insignit & condecorat quàm S. Areopagita in Ecclesiasticâ Hierarchiâ: nam capite secundo V. Eucharistiam nuncupat ἱεροτελεστικὴν, & initio cap. 3. τελετὴν τελετῶν quasi *consummationem & perfectionem omnium sacrorum, sacramentorum & diuinorum ministeriorum summam & compendium*: Continet enim in se omnia dona, quæ diuinitus ad nos promanant, maximam sacrorum perficiendorum vim amplectitur, plurimum potest ad sanctimoniam animis nostris impertiendam. Ipsa est pars præcipua Pontificij muneris; omnes Ecclesiasticæ functiones ad eam vt diuinissimum sacrificium referuntur, omnis sacerdotij religio eò contendit; per eam præcipuè Deus colitur & honoratur; ad eam reuocantur

2. *Missa consummatio omnium sacrorum ministeriorum.*

 omnes

omnes ritus, cæremoniæ, præparatoriæ precationes, genuflexiones, benedictiones, quæ in Liturgiâ præcedunt & consequuntur. Vt quondam *Sanctum Sanctorum* appellabatur locus Tabernaculi sanctissimus & veneratione dignissimus, & Salomonis *Canticum Canticorum*, id est, Canticum præstantissimum; ita Eucharistiæ Sacramentum & sacrificium est sacrificiorum & Sacramentorum omnium sacratissimum & sanctissimum.

Nulla veterum in Lege naturæ, vel scriptâ, sacrificia Dei maiestati sufficienter honorandæ respondebant: vnde necesse fuit institui à Christo sacrificium infinitæ præstantiæ, quo ipsa & dignè in omnia sæcula coleretur, & fructus sacrificij Crucis copiosè omnibus fidelibus communicaretur. Quocirca & illud quod Apostolus dixit ad Hebr. 10. n. 4. *Vnâ oblatione consummauit in æternum sanctificatos*, loquens de oblatione cruentâ, huic adscribi potest, cùm per illud huius merita vberrimè & perfectissimè effundantur.

Siquidem valet in omnia sæcula ad sanctitatem animorum, scelerum expiationem, cæli apertionem. Omnia ergo hoc Sacrificio consummantur & perficiuntur.

Hinc obserua ex S. Thomâ 3. p. q. 65. ar. 3. V. Eucharistiam, quæ in Liturgia & conficitur & offertur inter Sacramenta esse potissimam; quod ex hoc apparet, quia in ea Christus ipse Sacramentorum auctor, à quo vim sanctificandi accipiunt alia, continetur, in alijs autem Sacramentis solùm inest quædam virtus à Christo participata. Semper autem id quod est per essentiam præstat eo quod est per participationem.

3. V. Eucharistia potissima est inter omnia Sacramenta.

Adde omnia Sacramenta alia ad hoc referri, & ordinari sicut ad finem; quod demonstrare facillimum est. Siquidem Baptismus huc pertinet: nam ad hoc nemo præsumit accedere nisi baptizatus, ad quod etiam statim admittitur si adultus fuerit. Confirmatio etiam eò dirigitur, quia illâ initiati perfectiùs ad eius sumptionem sunt præparati. Per Pœnitentiam animus purgatur & probatur, vt mundo corde diuina percipiat. De Ordine nemo dubitare potest, quandoquidem, vt docent Theologi, omnes illius gradus peculiarem rationem habeant ex functionibus varijs ad Liturgiam & V. Eucharistiam, ad cuius ministeriũ vel directè vel indirectè spectãt; quod ostẽdere nõ est huius loci. Matrimonium insuper non solùm sua significatione attingit hoc Sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, cuius vnitas in sacra Synaxi repræsentatur, sed etiam quia tempore Sacrificij hoc Sacramentum suscipi, & à Sacerdote Sponsus & sponsa benedici solent, ac in eodem Sancta Communione refici; vnde & extat in Ordinario Missa pro Sponso & Sponsa.

Restat extrema vnctio, quæ priscis temporibus præmittebatur sumptioni viatici, vt pluribus ostendit Bellarm. lib. 2. de Arte bene moriendi cap. 7. ex vita S. Guilielmi Archiepiscopi Bituricensis, quæ extat apud Surium tomo primo, qui primum suscepit sacram Vnctionem, quâ inunctus, viaticum sibi porrigi postulauit. Idem fecit S. Episcopus Malachias, cuius gesta conscripsit S. Bernardus. Idem colligitur ex vita S. Ambrosij, quam scripsit Paulinus, nam statim sumptâ V. Eucharistiâ spiritum exhalauit. Idem accidit S. Ioanni Chrysostomo, vt est apud Simeonem Metaphrastem. Sæculum nostrum hunc ordinem inuertit, quia iam propinqui morti inunguntur, qui sæpe parum apti sunt ad S. Eucharistiam percipiendam.

4. Olim viaticum V. Eucharistia succedebat Vnctioni extremæ.

Est ergo V. Eucharistia τελετὴ τελετῶν, consummatio & perfectio omnium

nium sacrorum mysteriorum, & veluti sigillum, quo omnia confirmantur & consignantur.

Ceterùm inter alia nomina quibus diuinum hoc sacrificium insignitur, Latini communiter vsurpant vocem *Missa*; de quâ iam dicendum.

CAPVT II.

Missæ Etymon, & Originatio.

1. *Variæ de Etymo Missæ opiniones.* AVctores, qui hoc tetigerunt, in varias abierunt sententias. Sunt qui originem eius arcessant ab Hebræis; sunt qui à Latinis, & quidem vtrique se veritatem tenere putant. Sunt qui aiunt non esse in congruum siquis asserat τὸ Missa esse vocem & Hebræam, & Latinam, cùm Liturgicum sacrificium sit diuinis & arcanis mysterijs refertissimum, vt ante diximus. Ita porrò raciocinantur: Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenionem nomen Apostoli Petri, Cephas vel Cepha, quod significat Petrum vel Petram, deriuat à Græco κεφαλὴ, caput; & Iesus qui Hebraicè est Saluator Græcè est Medicus, ἰατρὸς vel ἰατὴρ ab ἰάομαι id est Medeor, curo. Et S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. de Pascha, Phase siue Pascha, quæ est vox Hebræa vt constat Exodi 12. & significat transitum, deducit à Græco πάσχειν id est pati. Sed pace illorum dixerim in his esse potiùs congruas, & aptas allusiones quam genuinas nominũ Etymologias: Quia Cephas vox est Syriaca vel Chaldeæa, Hebraicè כפ Ceph. Conuenit verò τὸ κεφαλὴ Caput, Petro, quod enim petra & fundamentum est in ædificio, hoc caput est in corpore, in Ecclesia Pōtifex. Et Iesus Iesua, siue ἰησοῦς & Saluator & Medicus siue curator est animarum nostrarum. Et similiter concinnè Pascha ἀπὸ τοῦ πάσχειν à patiendo formari per allusionem potuit, cùm Christi passio in Paschate contigerit, eiusque quasi Agni Paschalis immolatio. Ceterùm inter plures viros eruditos, qui putant vocem *Missa* à fontibus Hebræorum profluxisse, est Claudius de Sainctes præfatione in Liturgias Patrum, & Cardinalis Baronius tomo primo Annalium anno Christi 34. pag. 160. Vide etiam Ioannem Baptistam Scortia lib. 1. de Missâ cap. 1. §. 2. Stephan. Fagundez lib. 3. de primo præcepto Ecclesiæ cap. 2. n. 12. Ioannem Lorinum in Deuteron. 16. v. 10. 2. *Etymon Missæ ab Hebræis esse quidam asserunt.*

Colligunt hoc ex Deuteron. 16. v. 10. vbi sic habemus: *Celebrabis diem festum hebdomadarum* (Pentecostes) *Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ*: vbi pro *Oblationem* Hebraicè est מסה *Missa*, à מס *Mas*, quæ vox pro loci & rerum exigentiâ varia significat, oblationem, quæ fit eleuando, tributum, debitum, munus, ministeriũ, obsequium, ita vt Hebraicè idem sit *Mas*, quod Græcè, Liturgia, & Latinè officium, licet Liturgia Græcum, & Latinum officium ad Sacrificium arctetur: sic habes Lucæ primo v. 23. de Zacharia: *vt impleti sunt dies officij eius*, sacerdotalis nempe & functionis sacræ, Græcè λειτουργίας. Sic ergo ex illa voce Hebræa quæ significat in Deutoronomio oblationem vel sustinentiam spontaneam auctores illi piè ratiocinantur pro *Missâ*: quia oblatus est Christus, quia ipse voluit Isaiæ 53. & posuit animam suam pro sua potestate Ioannis 10. & nos quoque Missam summa voluntate offerimus corde magno, & animo volenti, 2. Machabæor. primo. Aliqui deducunt vocem ex voce Hæbrea מסח *Masech*, debitum vt Scortia suprà, & Anton. Demochares de Missa cap. primo; aiunt enim Missæ sacrificio necessitatem indigentiamque nostram sufficientissimè

mè subleuari : vtraque ergo Hebræa notio & Etymologia optimè Missæ quadrare videtur, quoniã in Missa continetur pretium, quo remitti ac solui sufficientissimè possunt cuncta debita peccatorum nostrorum, quod & nos Deo Patri offerimus tanquam tributum & spontaneam oblationem in odorem suauitatis. Sic ille.

Verùm non esse Missa vocem Hebræam, nec Syram, cum pro illa vtantur Syri vocabulo Kedoscia, id est, Sanctum, nec Græcam, licet hoc asserat Didacus Couarruuias lib. 4. Variar. Resolut. c. 22. cum Græci numquam illam vsurparint, sed puram putam Latinam pluribus rationibus demonstratur.

3. *Vox Missa Latina esse probatur.* Primò, quia dictiones Hebraicæ quibus Ecclesia Latina in diuino officio vtitur, vt Halleluiah, Hosianna, Sabaoth, Amen, & si quæ aliæ, ad nos à Græcis peruenerunt, vt notum est; vocabulum autem Missa illis ignotum & inusitatum est. Nec quemquam mouere debet quod *τὸ Missa* in Græcis Patribus vel Historicis Latinè redditis interdum reperiatur, siquidem interpretes viri prudentes & eruditi voces Græcanicas plurimas, quibus ipsi sacrificium Eucharisticũ appellant, expresserũt per *τὸ Missa*, vt Latinis cõsulerẽt, quibus illa vox erat familiarissima.

4. *Græci alijs vocabulis Missam nominant.* Græci autem, quorum idioma copiosissimum est, pluribus titulis sacrificium nouæ Legis decorarunt, vt communiter nomine λειτουργίας, quâ voce pro officio sacro & publico ministerio vtitur S. Lucas tum c. primo sui Euangelij, tum Actorum 13. præterea vsitata est illis προσφορὰ, oblatio θυσία, sacrificium, vt Nazianzeno ἀναίμακτος θυσία, incruentum sacrificium. S. Ignat. Epist. ad Smyrnenses θυσίαν προσκομίζειν, sacrificium immolare, & δοχὴν ἐπιτελεῖν, cœnam celebrare. Alij Græci σύναξιν ποιεῖν collectas agere, λειτουργεῖν, προσφέρειν. Item frequens illis τελετὴ, ἱερουργία. & plures similes : vnde antiquissimi Patres Græci linguæ sacræ callentissimi nunquàm vocem *Missa* vsurparunt tamquam ab Hebræis profectam, vt Origenes, Iustinus, Epiphanius. Adde incertum planè nobis esse quo nomine primi Christiani ex Iudæis conuersi Sacrificium nostrum nuncuparint.

Et quamuis nomen Missa etiam non reperiatur apud Latinos Patres S. Ambrosio antiquiores, vt Tertullian. & Cyprian. qui pro Missam facere dixerunt Dominicum celebrare, vel sacrificium offerre &c. non est tamen dubium, quin illud acceperint Ambrosius Epist. 33 August. Sermone 91. & 241. de Tempore, S. Leo Epist. 80. & 88. Gregor. & alij à primis Pontificibus & Patribus Ecclesiæ Romanæ, quæ vox etiam inuenitur in antiquis Concilijs, vt Carthagin. 2. Can. 3. & Concilio 4. Can. 84. Mileuitano cap. 12. & alijs.

Denique si hæc vox ab Hebræis esset, non Missa, sed Missah cum aspiratione & scribi & pronuntiari deberet, sic enim in textu Hebraico scribitur suprà Deuteron. 16.

Maneat ergo certum vocem *Missa* Latinam esse vti plerique omnes docent, vt videre est apud Stephan. Durantum lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. primo §. 2. Bellarmin. lib. primo de Missâ cap. primo. Scortia & Fagundez suprà. Gauant. par. 1. tit. 1. & alios. Sed cur augustissimum illud, & vnicum nouæ Legis mysterium & sacrificium ita nuncupatur ? Varij varias rationes adferunt.

Honorius Augustodunensis in Gemmâ animæ, siue de diuinis officijs (qui floruit anno 1120.) lib. 1. cap. 1. hæc habet: Missa quatuor causis nomen accepit. Primò, quia in eius officio nobis legatio Christi repræsentatur, quâ pro humano 5. *Cur sacrificium nostrũ Missa appellatum, variæ sententiæ.*

humano genere fungebatur. 2. quia in ea sacerdos pro Ecclesia ad Dominum legatione fungitur. 3. quia populus, qui ad iudicium conuenit, peractâ causâ, à iudice dimittitur: 4. quia populi conuentus celebrato sacrificio dimittitur. Sic ille, cuius postrema ratio verissima est. Plerique omnes has causas suggerunt, vt Stephanus Eduensis de Sacramento Altaris cap. 18. Rupertus, Hugo de S. Victore, Innocent. Gabriel in Canonem, Bonauentura, Magister in 4. d. 13. S. Thom. 3. p. qu. 83. art. 4. & alij, quarum summa hæc est, eò quòd oblatio missa sit nobis è cælo, cùm per consecrationem à Deo Patre mittatur Christus, & à populo vicissim per sacerdotem mittatur hostia mystica: & preces ad Deum nobis placandum, & eò respicere videtur Canon illis verbis: *Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui.* Ita illi.

6. *Missa idem quod Missio vel dimissio.* Ceterùm dicendum cum S. Isidoro lib. 6 Etymolog. cap. 19. & alijs qui illum sequuntur; vt est Alcuinus Rabanus, Tho. Waldensis, Bellarm. Suarez & alij, Missam idem esse cum Missione, & sic vocatam, quòd eâ absolutâ populi congregatio dimittatur, vt suprà insinuat Honorius, & S. Ambros. suprà: & quidem quoniam olim Catechumeni post decantatum Euangelium egrediebantur Ecclesiâ, proclamante Diacono: *Siquis est Catechumenus exeat foras.* Iam verò etiam initiati in fine Sacrificij, Diacono vel sacerdote significante Missionem vel dimissionem his verbis: *Ite Missa est*: id est, Ilicet, abire licet, fit vobis missio vel dimissio; non verò, vt alij, hostia missa est ad Deum vt sit illi accepta.

Adduco præter alios huius assertionis propugnatores, Florũ Magistrum Monachum S. Benedicti, qui floruit sub Carolo Caluo & scripsit Exegesin siue expositionem Missæ, exorsus ab ipsa Præfatione; Explicans autem illa verba; *Ite Missa est*, sic scribit. *Missa ergo nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio*, quam absolutis omnibus tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus à solemni obseruatione dimittitur: vnde & Missam Catechumenorum Canones dicunt, quando post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra Mysteria, quibus nullum nisi Baptismi fonte regeneratum interesse licet. Tunc enim clamante Diacono ijdem Catechumeni mittebantur, id est, dimittebantur foras; Missa ergo Catechumenorum fiebat ante actionem Sacramentorum, Missa fidelium fit post confectionem & participationem. Hactenus Florus Magister.

Assentitur Radulphus de Riuo Decanus Tungrensis libro de Canonum obseruantia Propositione 23. sub finem, vbi exponens illa verba: *Ite, Missa est*, sic ait: *Ab illis verbis Missa nomen accepit*, & sumitur de veteri testamento, vbi Pharao populum ire iussit, siue vbi Cyrus populum à Babylone ire præcepit. Alios prætermitto.

Porro τὸ Missa vsitatum quondam fuisse pro dimissione manifestum est ex antiquis Conciliis & Patribus, vt Carthaginensi 4. Can. 84. S. August. Sermone 237. de Tempore: Cassiano passim libris de Instit. Cœnobiorum: S. Benedicto in Regulâ. Ita quondam veteres Patres Remissam dixerunt pro remissione, vt videre est apud Tertull. & S. Cyprian. quos citat Durantus libro 2. De Ritibus Ecclesiæ & alij.

Loco verò τὸ Missa vel Missio visitata fuit Græcis vox ἀπόλυσις id est, dissolutio vel dimissio (Conuentus scilicet vel Ecclesiæ) vt constat ex S. Athanasio epist. ad Solitarios, Chrysost. & alijs, quę peracto sacrificio a Diacono nuntiabatur. Quin etiam apud Gentiles peractis profanis ipsorum cultibus & ritibus proclamabat sacrificulus ad

populum conuersus, λαοῖς ἄφεσις populis dimissio, scilicet sit vel datur.

7. *Non malè vocatur sacrificium Ecclesiæ Missa à Missione.* Nec quemquam moueat, quòd apud nos sanctissimum illud mysterium nomen mutuatum fuerit à minoris momenti particula. Sic namque videmus magni ponderis actiones denominari interdum ab aliquibus adiunctis leuioribus. Sic exedra vel gymnasium, in quo liberales disciplinæ vel etiam Philosophia & Theologia traditur, Schola vel ludus indigetatur. Schola autem σχολὴ Græcè otium est & rectè sic appellatur eò quòd à studijs aliquando vacatio detur, & otium tribuatur. Non malè enim cecinit Ouidius Libro 10. de Ponto Eleg. 5.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,
Immodicus contra carpit vtrumque labor.

Et ad rem nostram Ausonius

——— *Graio Schola nomine dicta est,*
Grata laboriferis tribuantur vt otia Musis.

Ita in proposito nostri Græci Liturgiam sacram dixerunt Synaxim, vnde apud illos crebrò inuenimus συνάξεις ποιεῖν vel ἐπιτελεῖν, quod etiam agnouit Græcanici thesauri auctor hæreticus, qui Synaxim interpretatur conuentum ad celebrandam cœnam Dominicam, vel celebrationem Cœnæ, & ad eorum imitationem dixerunt Latini Collectam agere vel Collectionem, apud Baronium an. 303. vt est apud Augustin. in breui Collectione contra Donatistas. Si ergo Liturgia sacra conuentus vel collecta nominatur à populi congregatione ad sacrum mysterium, quare non & Missa ab eiusdem dimissione?

CAPVT III.

Missæ antiquitas & institutio.

De antiquitate & origine Missæ quoad quid nominis, vel de voce Missa, iam diximus, & eam abundè ostendunt Latini Patres, quorum hîc verba quædam de industriâ produco. S. Ambros. Epist. 33. *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum vt subueniret.* S. Augustin. Sermone 91. de tempore: *In lectione quæ nobis ad Missas legenda est.* S. Leo Epist. 81. *Necesse est, vt quædam pars populi suâ deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato, sacrificium offerre non possunt, nisi qui primâ diei parte conuenerint.* Omitto S. Gregorium & alios posteriores. Vide Baptistam Scortiam de Sacrificio Missæ lib. primo cap. primo, & Stephan. Durantum suprà n. 6. Sed ad rem ipsam transeamus. 1. *Vox Missæ vsurpata ab antiquis Patribus.*

Dicimus verò Missam sacram siue Liturgiam tam esse antiquam vt ipsius primordia non nisi à Christo, qui ob id à D. Dionysio vocatur ἱεροτελετάρχης quasi perfectissimi sacrificij auctor & conditor, & à Sanctis Apostolis arcessenda sint.

2. *Eius institutio quoad essentialia à Christo est.* Igitur hîc, vt certissimum statuimus, & instar fundamenti supponimus, quod huic sacrificio essentiale & præcipuū est, videlicet consecrationē siue oblationē sāctissimi Corporis & pretiosissimi sanguinis sui, vel Transsubstantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem suum, eorumque sumptionem ab ipso summo Sacerdote Christo in sui memoriam instituta. Et quidem sic hæc Ecclesię suæ Sponsæ tradidit vt eodem pertinentes ritus quosdam, preces & præceptiones admisceret. Ante enim posuit vestimenta, linteo se præcinxit, pedes discipulorum lauit, de futura sua Passione plura verba interposuit, & ad mutuum 3. *Exordium item cæremoniarum Missæ ab eodem est.*

mutuum amorem cohortatus est, preces ad Deum Patrem fudit pro præsentibus & futuris fidelibus in se credituris; denique quòd in Cœnâ illâ mystica fecit iterari in suæ mortis memoriam præcepit &c. Nónne hæc Christi facta, verba, ritus, preces, actiones, eorum quæ in Missa quotidiè peraguntur, summum, & clarissimum documentum, exemplarque fuerunt?

4. *Apostoli Liturgiam siue Missam celebrarunt vt docent ipsorum Acta.*

Apostolos Christi institutis, præceptisque instituisse non sinunt nos dubitare ipsorum Acta in quibus legitur Cap. 13. v. 2. *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus dixit illis Spiritus Sanctus*: vbi Græcè est λειτουργούντων id est, sacrificantibus (vt etiam Erasmus vertit) vel cum operarentur Domino, quod idem est: Syrus cùm preces auspicarentur Deo, publicas, quæ fiunt tempore sacrificij: Quis autem ignorat Liturgiam (nos Missam vocamus) à Græcis κατ' ἐξοχὴν accipi pro sacrificio solenni & publico, vt constat ex Liturgiâ S. Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, qui illam vocem sic capiunt. Et apud S. Lucam sic accipi multis probatur. Primò, quia idem S. Euangelista cap. primo sui Euangelij v. 23. loquens de Zacharia S. Ioannis patre vtitur eadem, cùm sic scribit: *Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius*; Græcè, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ: vtique sacerdotalis quod consistebat in sacrificijs & alijs rebus diuinis peragendis.

Deinde, quid magis ridiculum quàm hoc loco τὸ λειτουργεῖν cùm Neoteris Misoliturgis nostris exponere, *Prædicantibus Euangelium, vel ministrantibus verbum Dei*, cùm hìc dicatur, *ministrantibus Domino*, Euangelium verò & verbum Dei non prædicatur Domino, sed populo, & passim constat ex ijsdem Actis, vbi passim dicitur verbum Dei prædicari.

Denique verba quæ ante & postea *ministrantibus Domino* adiunguntur vt v. 2. *ieiunantibus* & v. 3. *Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*, apertè indicant, sermonem esse de re vel officio ad cultum diuinum pertinẽte. Nouimus enim Apostolos passim verbum Dei pro re nata populo prædicasse non præmisso ieiunio vel publica oratione.

5. *Idem colligitur, ex Epist. priore ad Corinthios.*

Postremò omnes hactenus Catholici Liturgiam pro sacrificali ministerio acceperunt vt Latini Missam. Luculentius verò S. Paulus hoc Mysterium Eucharisticum explicat & multa de eodem commemorat prioris ad Corinthios cap. 11. vbi notanda verba illa v. 34. *Cetera autem cùm venero disponam.* Intellige verò per *cetera*, omnia quæ spectabant ad decentem & dignam sacrificij Eucharistici administrationem; (de hoc enim ante egerat) vt scilicet certis ritibus cæremonijs, præparatione, vestibus sacris, erecto altari perageretur, & non nisi à ieiunis sumeretur, vt habet Apostolica traditio, &c.

Vlteriùs dicimus partes Missæ integrales (vt sic loquamur) hoc est, cæremonias & orationes consecrationem præcedentes & subsequentes Spiritu Sancto inspirante ab Apostolis ad nos peruenisse, licet subinde Romani Pontifices aliqua addiderint ad instructionẽ populi, ad excitandam deuotionẽ, ad decorem cultus Augustissimi Sacrificij & Sacramenti amplificandũ. Hoc ita esse manifestè vnusquisque cõperiet cùm singulas Missæ partes, hoc est, ritus, precationes actiones minutim & sigillatim explicabimus. Vide S. Gregorij epist. ad Ioannem. Episc. Syracusanũ.

Certè assentior S. Isidoro Hispalensi lib. primo de Ecclesiast. officijs c. 15. vbi sic scribit: *Ordo Missæ vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur primus à S. Petro est institutus, cuius celebrationem vno eodemque modo, vniuersus peragit orbis.*

orbis. Audi de his Baronium tom 2 anno 102. sub finem: Quæ Latinis, vniuersæque Occidentali Ecclesiæ præscripta est sacræ Missæ forma, quibusdam exceptis quæ sunt addita vel mutata, non tantum ab ipso Clemente, sed ab ipso Apostolorum principe Petro sibi vendicat antiqua traditio, cùm eius institutionis nullum aliud sit principium & originem demonstrare. Hæc ibi; addit, traditionem esse, Clementem Missæ ritum quem acceperat à S. Petro Romanæ Ecclesiæ scriptis consignatum reliquisse: S. Petrum imitati sunt S. Iacobus Hierosolymæ Episcopus: S. Marcus S. Petri Discipulus: item Clemens & ceteri, quorum extant Liturgiæ, vt S. Basilius & Chrysostomus, quas habes apud Claudium de Sainctes.

5. *Ordo Missæ quo vtimur, à S. Petro est institutus, quem alij secuti Apostoli, S. Iacobus, & Patres.*

Constat S. Andream Apostolum in Achaïa quotidie Christi carnem & sanguinem obtulisse vt ipsemet profitetur coram Præside Ægea, & habent eius Acta probatissima. Idem fecisse S. Matthæum Euangelistam in Æthiopia, vitæ eius auctores scribunt, qui & aram ipsam suo sanguine purpurauit. S. Martialis Apostolorum Discipulus Epist. ad Burdegalenses cap. 3. Liturgiam se peregisse ait.

Ceterùm vt antiquissima ita & celebratissima fuit S. Iacobi Liturgia, à stylo ipsius Epistolæ Catholicæ non abhorrens, quam agnoscit Proclus Patriarcha Constantinopolitanus de traditione diuinæ Missæ, Nicolaus Methonensis, Cardinalis Bessarion & alij; immo Concil. vniuersale habitum in Trullo Can. 32. & citatur De Consecratione dist. primâ, Canone Iacobus. Hanc breuiorem ac concisiorem populi socordiæ indulgens, reddidere S. Basilius & postea S. Ioann. Chrysostomus.

Sed sufficiat huc contulisse quæ scribit de hac Cardinal. Baronius primo Annali, Christi anno 63. sub finem. Extat, inquit, ab eodem Iacobo suæ Ecclesiæ tradita sacrificij forma, nempe Missa, idque non ex Apocryphis, testatum referimus, sed maiorum auctoritate: Certè siquis cum ijs conferat quæ Cyrillus eiusdem Ecclesiæ Hierosolymorum Episcopus in suis mystagogicis Orationibus habet (Catech. 5.) planè cognoscet ea ab ipso ex Iacobi Missa esse accepta, vt illud quod Sacerdos altâ voce diceret *Sursum corda*], & quæ de immensâ gloriâ Dei præfari solent ante sacra mysteria, vel quod idem diceret *Orate pro viuis & defunctis*], deque eo quod inclamaret Diaconis ante sumptionem diuinorum mysteriorum *Osculamini inuicem in osculo sancto*], atq; ea accepturis illud intonaret *Sancta Sanctis*], & de populo respondente *Vnus est Sanctus &c.*], ac rursum Cantores inter sumptionem sacræ Eucharistiæ illud Psalmi 33. concinerent *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*] & alia huiusmodi, quæ omnia idem Cyrillus non aliunde quã ex Iacobi Liturgia cognoscitur accepisse. Sed illud accidit (quod etiam apud Latinos factum esse constat) vt in sacratissimâ Missâ alijs superadditis precibus, alijs verò breuiori summâ, contractis ritibusque nonnihil auctis, aut mutatis, rei tamen substantiâ integrâ permanente, paulò diuersior ab illâ pristinâ habeatur. Hactenus Baronius. Putant quidam S. Iacobum primum Hierosolymis in Cœnaculo, in quo Christus sacrificium instituerat præsentibus Apostolis celebrasse, & Cyrillum eius Liturgiam auxisse. Anton. tamen Demochares tomo 2. de Sacrif. Missæ cap. 4. conijcit S. Petrum primam Missam celebrasse die Pentecostes in eodem Cœnaculo. Ita & Pamel qui aiunt Petrum Ordinem præscripsisse, Iacobum verò vulgasse. Rursus antiquitatem Eucharistici

6. *Missa S. Iacobi vetus.*

sacrificij

sacrificij facillimum foret demonstrare ex S. Dionysij Areopagitæ Ecclesiastica Hierarchia cap. tertio, vbi ex proposito illam astruit; sed quia orationem & verba eius, infrà proferemus cùm ad singulos missæ ritus explicandos venerimus, hîc supersedendum videtur. Easdem veteres cæremonias pronum est proferre ex S. Iustini Martyris Apologia pro Christianis & alijs Patribus, de quibus conuenientiùs suis locis. Concludamus igitur hoc caput. Cùm vetustissimi Patrum sacrificij Liturgici passim, & vbique meminerint, & in Ecclesia omnibus temporibus celebratum fuerit, non potest iuxta S. Augustini Regulam non nisi ad Christum & Apostolos eius referri origo. Sic loquitur S. Augustin. lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod vniuersa tenet. Ecclesia, nec Concilys institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur,* Idem habet Epist. ad Ianuarium.

CAPVT IV.

Missa verum nouæ legis Sacrificium.

CAtholicorum hactenus nemo dubitauit: vnde breuiter hoc Caput perstringam, persuasus vel arrogantis demētiæ vel obstinatæ maleuolētiæ & hoc negare, vt faciūt impij Heterodoxi Misoliturgi, Missæ osores, quos acriter & verè arguūt Theologi nostri Scholastici & Dogmatistæ. His breuiter Liturgicum sacrificium astruo. Prima probatio assumitur ex huius figurâ, sacrificio videlicet Melchisedec. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec Psalmo 109. & ad Hebreos 5. Arqui ritus sacerdotij Melchisedec, prout à scripturâ nobis proponitur, constabat oblatione panis & vini Genes. 14. Ergo Christus obtulit

1. *Præfiguratum sacrificium nostrum in oblatione Melchisedec.*

sacrificium Corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini, & consequenter eius vicarii ministri Ecclesiæ sub nouo testamento simile sacrificium offerunt. Vide Tridentin. Sess. 22. cap. 1. & Can. primo.

Ita sensit S. Martyr Cyprian. ad Cæcilium epist. 63. cuius verba hîc exscribo. *In sacerdote*, inquit, *Melchisedec sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod diuina scriptura testatur & dicit; Et Melchisedec Rex Salem protulit panem & vinum &c. Quòd autem Melchisedec typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in Psalmis ex persona Patris ad Filiū, dicētis: Tu es sacerdos in æternū &c. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedec sacerdos Dei summus fuit, quòd panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit & obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem, & vinum, suum scilicet corpus & sanguinē.* Et postea, *Si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si incipiat offerre secundū quod ipsum Christum videat obtulisse.* Et inferiùs: *Et quia passionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus (passio enim Domini sacrificium est quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.* Hactenus S. Cyprian.

Altera sumitur ex vaticinio Malachiæ cap. 1. v. 11. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnū est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus.*

2. *Prædictum per Malachiam.*

Ex hoc loco colligimus, V. Eucharistiam esse verum sacrificium, & fide hoc esse credendum, cùm omnes omni

tempore de hac locum illum intellexerint quos citat Bellarm. lib. 1. de Missâ cap. decimo. Vide Tridentin. suprà. Conuincunt verò hoc singula verba scripturæ allatæ : primò, quia loco τὸ *Oblatio* est מנחה *Mincha* Hebraicè, quæ vox appropriatur sacrificio farreo, quod constabat farina vel panæ eratque propriè dictum sacrificium vt patet Leuit. secundo, eratque typus Eucharistici sacrificij.

Vlteriùs dicitur, *Munda oblatio* videlicet per se & in se, etiamsi offerentes sint immundi, quod conuenit non victimis Iudæorum, quæ inficiebantur sacerdotum sceleribus, sed soli Eucharistiæ nostræ, in qua est Christus, mundissima eius caro concepta & nata de Virgine, quæ nullis sacerdotum peccatis contaminatur.

Postremò. Cùm Malachias opponat pollutis hostijs veteris legis mundam oblationem legis nouæ; certũ est eum loqui non de sacrificio metaphorico diuinarum laudum fidei, eleemosinæ &c. sed de propriè dicto. Cùm ergo in veteri lege fuerit & altare, & sacerdotes & hostiæ; sequitur etiam esse eadem in lege nouâ ; sed mundiora & præstantiora , sicut lex noua veterem illam multis modis antecellit.

3. *Confirmãt hoc verba Institutionis Sacrificij.*

Tertia accipitur ex ordine, ritu & verbis Institutionis huius sacrificij: Siquidem Christus seipsum obtulit in Cœnâ sub specie panis & vini, & idipsum præcepit fieri ab Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, cùm dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* : Ergo celebratio V. Eucharistiæ est sacrificium, vt bene docet Tridentinum suprà. Confirmant hoc manifestè verba Institutionis: Lucæ 22. & 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur* (offertur pro vobis in sacrificium.) Paulus ; *quod pro vobis traditur*, Græcè, κλώμενον, *quod frangitur*, intellige tum sub specie panis in Eucharistiâ, tum postea in passione & Cruce propriè in seipso flagris, spinis, clauis. Vnde Apostolus suprà cap. 10. vocat V. Eucharistiam *Panem quem frangimus* in Sacramento secundum species frangentes & offerentes, quod in Cruce non accidit. Ergo frangere panem referendum ad Sacrificium Altaris non Crucis.

Adde Christum dixisse de Corpore suo, quod pro vobis datur, vel frangitur, & de sanguine suo; *qui pro vobis effunditur*, vt libamen scilicet, Græcè enim pro *effundetur* est ἐκχυνόμενον in præsenti apud omnes tres Euãgelistas, *effunditur*, inquam, nunc in Cœna in V. Eucharistiæ consecratione. Ergo sermo est de præsenti sacrificio, non tantùm de futuro in Cruce. Noster tamẽ vertit *effundetur*, respiciens ad sacrificium Crucis paulò post futurum, in quo perfecta fuit eiusdem sanguinis effusio, cuius typus erat hæc Sacramentalis effusio.

Postremò maximè fauet Catholicis contra Misoliturgos texus Græcus S. Lucæ, qui ita habet: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Idest : *Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, quod* (poculum) *pro vobis effunditur*. τὸ enim, vt per se patet referendum est non ad αἵματι cum αἵματι sit casus dandi, τὸ verò nominandi, & dicendum alioqui foret τῷ ἐκχυνομένῳ. Ergo poculum sanguinis Christi siue calix pro nobis effusus est, non in Cruce, vbi nullus calix fuit, sed in Cœnâ & nunc in nostro Sacrificio. Ergo effusio sanguinis Christi verum est sacrificium & libamen, & datur non tantùm in cibum & potum corpus & sanguis, sed etiam in oblationem.

Quarta adferri potest ex Apostolo ad Hebræos 13. 10. *Habemus altare de quo edere non habẽt potestatem* (facultatem, licentiam) *qui tabernaculo deseruiunt*, Græcè est θυσιαστήριον, quod non accipitur nisi de altari propriè dicto, in quo 4.

Idem probatur ex voce Altare, *de quo Apostol.*

sacri-

sacrificatur. Porrò sunt hæc correlatiua, altare, sacrificium, sacerdos; sacrificium enim est altaris sacrificium, & altare est sacrificij altare. &c. Vnde secundum omnes Catholicos Interpretes Apostolus accipit altare propriè dictum, in quo Christi corpus immolatur, quod & fidelibus edendum proponitur. Constat ergo illum non loqui de Cruce, illam enim iam non habemus, nec de illa edimus. Deniq; opponit altare nostrũ altari legi veteris, sed illud erat altare propriè dictũ, ergo & nostrũ.

5. *Ratio hoc ipsum manifesta docet, & conuincit.* Postremò, accedit argumentum firmissimũ ex rei naturâ desumptum. Si V. Eucharistiæ celebratiò non esset verum sacrificium, caruisset, & etiam num careret Christi sanctissima Religio propriè dicto sacrificio, quo externo & publico ritu Deus colitur, quod constat esse absurdissimum, cùm nulla hactenus, nec vera, nec falsa religio externo priuata fuerit sacrificio, quo Deum vel verum vel falsum honoraret: quin potiùs religio esse non potest, in qua numen non colatur aliquâ externa sacrificij cæremoniâ, cùm ad Dei venerationem religio instituatur. Quocirca Gentes profanæ cùm illis animalia, pecudes vel etiam thura deessent, arborum folia dijs suis adolebant: adeo hoc erat mentibus humanis à natura & ratione insculptum.

Clarissima SS. Patrum testimonia hoc ipsum asserentia producunt, tum alij qui de fidei dogmatis libros vulgarunt, tum Cæsar Cardinalis Baronius Annali primo, anno Christi 34. vbi affert auctores vetustissimos Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ Principes Ignatium, Irenæum, Iustinum Martyrem, Cyprian. Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Cyrillum Hierosolymitanum, Chrysostomum, ex quibus manifestè constat hanc semper fuisse Orthodoxorum fidem, quam modò vniuersalis Romana profitetur Ecclesia, Missam scilicet propriè esse sacrificium.

CAPVT V.

In qua actione Missæ consistit ratio Sacrificij.

ET hoc quoque tractare pertinet ad Scholasticos & Dogmaticos Doctores, vnde strictim expediendum.

Itaque omissis Heterodoxorum delirijs & nugis, qui existimant nos constituere rationem essentialem Sacrificij in cęremonijs & precibus, quæ præmittuntur in Missa Catechumenorum & huiusmodi. 1.

Variæ actiones Sacrificij Missæ. Dico posse reperiri sex actiones, de quibus aliquo modo dubitari queat, an pertineant ad rationem huius sacrificij.

Prima est oblatio panis & vini per eleuationem, adiunctis Ecclesiæ precibus, sed certum est in ea non esse positam rationem nostri sacrificij: cum quia hostia nostra non est panis & vinum, sed Corpus & sanguis Christi: tum quia illa solùm est quid præuium tamquam præparatio & dedicatio materiæ consecrandæ, vt suo loco dicetur.

Secunda actio est verbalis oblatio Corporis & Sanguinis Domini illis verbis post consecrationem; *Offerimus præclaræ maiestati tuæ panem sanctum vitæ æternæ* &c. Sed nec in hac sita est ritus nostri sacrificij; & hoc varijs argumentis declaratur.

Primò, quia ad rationem sacrificij nulla verbalis oratio requiritur, sufficit autem realis. Non enim necesse est dicere, offerimus diuinæ maiestati tuæ, sed sufficit reipsa in actu exercito offerre, vt manifestum est in antiquæ legis immolationibus.

Secundò, quia Christus in Cœna illâ non est vsus, sed inducta est ab Apostolis vel ipsorum successoribus, vt infrà dicetur.

Tertiò; quia illa oblatio nihil operatur circa rem oblatam, nec illam immutat, sed supponit consecrationem iam factam. Ergo.

Tertia actio est fractio hostiæ & commixtio eius cum sanguine in calice: Verùm nec hæc ad rationem sacrificij spectat, vt manifestum est, quia etsi Christus panem fregerit, hoc tamen fecit ante consecrationem, & ad vsum siue distributionem, vt suo loco dicetur: deinde quia nostra fractio tantùm est cæremonia mystica, sicut & immissio partis hostiæ in calicem, nec est necessaria, vt liquet, si hostia ante fractionem in calicem incideret.

Quarta actio est V. Eucharistiæ facta populo distributio: quæ etiam ad sacrificium non pertinet, quia tota celebratio sacrificij perficitur à sacerdote; sumptio verò sacræ Synaxis fit à populo. Adde Christum non præcepisse hanc fieri quoties sacrificium Deo offertur. Vide Tridentin. sess. 22. cap. 6. & Can 8.

2. Essentialis ratio Missæ in sola Consecratione consistit.

Quinta actio est Consecratio Corporis & Sanguinis Domini: & probabile est in ea sola totam Sacrificij essentiam & rationem consistere, vt mecum tenent Suarez, Vasquez, Lessius, Præpositus, alijque: & colligitur ex SS. Patribus quos ipsi citant.

Prob. his rationibus. Primò; quia Christus Lucæ 22. postquam consecrauisset dicit Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis constituit Apostolos sacerdotes noui Testamenti, ijsque & successoribus præcepit, vt offerrent Corpus & sanguinem suum sub specie panis & vini, vt ait Trident. sess. 22. cap. primo: atque his verbis præcipit consecrationem, quam ipsum fecisse præcipuè commemorant Euangelistæ: ergo in illa consistit.

Secundò, quia potestas sacerdotalis, quam Dominus verbis prædictis contulit, est planè supernaturalis & diuina, fundata in charactere sacerdotij. Atqui character directè & per se est potestas consecrandi Christi Corpus. Ergo consecratio Corporis Christi est actus directus sacerdotij, & oblatio sacrificij.

Tertiò, quia principalis offerens in sacrificio Missæ est ipse Christus, vt docet Trident. suprà, & sæpiùs inferiùs docebitur: ergo illa actio sola est de essentia sacrificij, quæ fit in persona Christi. Atqui nulla est quæ verius fit in persona Christi quàm consecratio, in qua sacerdos loquitur tamquam ipse Christus: ergo in illa sola consistit.

Quartò; certum est & apud omnes in confesso sacrificium Eucharisticum esse viuam & expressam repræsentationem mortis, passionis & effusionis sanguinis Christi in Cruce. Atqui hæc fit manifestè in ipsa consecratione, dū corpus & sanguis eius seorsim ponuntur ex vi verborum sub diuersis speciebus tanquam partes hostiæ immolatæ. Ergo in Consecratione consistit.

Sunt enim verba consecrationis quasi culter victimarius sacerdotis, quā Christum verum Agnum immolat mysticè, vt sicut in Cruce Physicè sanguinem effudit & mortuus est, ita hîc typicè & repræsentatiuè Christi sanguis effundatur, & seorsim ex vi verborum sanguis & corpus in altari constituantur, idque per transsubstantiationem panis & vini in eiusdem Corpus & sanguinem.

Vnde in istis duobus consistit ratio sacrificij Missæ, quatenus per consecrationem ad Dei honorem transmutatur panis in Corpus, & vinum in sanguinem, quo protestamur summum Dei dominium & subiectionem nostram: & etiam quatenus hæc duo Corpus & Sanguis seorsim posita repræsentant mortem & sanguinis eius effusio-

effusionem factam in Cruce.

Actio sexta est hostiæ consecratæ sumptio quatenus fit à sacerdote, & quamuis probabile sit hanc pertinere ad rationem sacrificij minus principalem, vt docent multi Doctores, Melchior Canus, Sotus, Bellarminus, & alij; nihilominus probabilius est in ea non consistere rationem sacrificij, sed solùm esse illius perfectionem extrinsecam & complementum, vel, vt quidam loquuntur, ipsius integritatem aliqualẽ: Facilè autem est respondere argumẽtis contrarijs, quibus probare conantur aliqui, etiam consumptionem sacrificij ad ipsius rationem pertinere.

Dicunt itaque primò: Lucæ 22. & c. vndecimo ad Corinthios sic habent verba Institutionis V. Eucharistiæ: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur, hic calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur.* Sed hęc fractio & effusio sine dubio pertinent ad rationem sacrificij, vt ante probatum est. Fractio porrò fit in ordine ad manducandum & effusio ad libandum & bibendum. Ergo eorum sumptio pertinet ad rationem sacrificij.

Respondeo, in sacrificio fractionem & effusionem mysticè & typicè accipi, vt repræsentant sacrificium Crucis, quod ostendunt verba (*pro vobis* non autem vobis.) Sicut enim Christus in Cruce & passione fractus fuit, id est, occisus, non quantum ad ossa, sed quantum ad carnem flagris, spinis, clauis, & sanguis etiam effusus ex vulneribus; sic in sacrificio Eucharistico mysticè & repræsentatiuè frangitur, & sanguis eius effunditur, quatenus eius Corpus tamquam mortuum ponitur in altari, & sanguis in calice; quòd si ratio sacrificij consisteret in sumptione dixisset potiùs, quòd vobis datur, traditur, frangitur, effunditur, quàm pro vobis.

Obijciunt secundò; quia sacrificium nostrũ est verum holocaustum. Atqui de ratione holocausti est vt totum consumatur, quod fit per manducationem & libationem. Ergo illa pertinent ad sacrificium.

Respondeo etiam sacrificium Crucis fuisse verum holocaustum, nec tamen in eo vlla fuit consumptio, nam sanguinem quem Christus in passione effuderat, in Resurrectione resumpsit, nec Caro eius vidit corruptionem: cùm ergo sacrificium Eucharisticum idem sit cum illo Crucis, sed incruentum, & illud repræsentet; erit etiam verum holocaustum. Deinde holocaustum nostrum non consistit in hostiæ destructione, quæ hîc est impossibilis, cùm illa sit immortalis, sed in eius reproductione ad Dei honorem, vt dictum est, nec vllis profanis vsibus deseruire potest.

Adde etiam sacrificium nostrum eo modo dici posse holocaustum; quòd substantia panis & vini, qui sunt terminus à quo illius, transmutentur in Corpus & sanguinem Christi.

Adijciunt tertiò; si sumptio non esset de essentia sacrificij, non posset ratio dari, cur sacerdos iure diuino naturali teneatur sumere oblata, & cur Ecclesia tantopere semper curarit, vt sacerdos ea sumeret.

Respondeo, duplici ex capite Sacerdotem teneri sumere oblata; primò quia sacrificij sui particeps esse debet, vt olim fiebat in lege veteri; deinde quia hoc sacrificium etiam habet rationem conuiuij, quod vel maximè delibare debet, cùm ipse sibi & alijs fidelibus præpararit. Sumit ergo sacerdos vt partem sui sacrificij & partem sui conuiuij.

CAPVT VI.

Quid Missa in se complectitur, & quæ eius partes?

DE Missæ etymo, & quid nomen illud significet, suprà actum est.

Porrò sicut voces plerumque sunt polysemæ, id est varias habent notiones, & diuersimodè accipiuntur, vt sunt vocabula æquiuoca, canis, leo, cācer &c. sic etiam nomen Missa; dum, modò pro missione, modò pro parte vnâ, modò pro alterâ, modò pro tota actione sacra, in qua Christi Corpus & Sanguis offertur & sumitur, ab auctoribus vsurpatur: de qua re agit Bellarm. lib. primo de Missa cap. primo.

1. *Missæ definitio.* Sic ergo totam actionem sacram Missæ describunt auctores. Nauar. Enchiridij c.25.nu.111. sic breuiter definit: Missa est actio, quâ ex institutione Christi in memoriam passionis eius panis & vinum in eiusdem corpus & sanguinem transsubstantiantur, & qua ipsum Corpus & sanguis Christi sub ijsdem speciebus Deo Patri offeruntur. Toletus verò sic lib. 2. Summæ cap.4.n.primo. Est oblatio Corporis & Sanguinis Domini sub alienis speciebus facta, expressiua ac significatiua sacrificij cruenti semel ab ipso Christo Domino pro peccatis hominum Deo Patri exhibiti.

Hunc verò in modum Ioan. Baptista Scortia lib.3. de Sacrificio Missæ c. 2. Missa est actio sacerdotis, quâ ex institutione Christi in eius Passionis memoriam panis & vinum in eius Corpus & sanguinem conuertuntur, & sub ijsdem speciebus Deo pro viuis & defunctis offeruntur & consumuntur.

Vbi vides auctores illos præcipuam vel præcipuas Missæ actiones, quemque pro suâ sententiâ, expressisse, prout iudicarunt, vel totam essentiam Sacrificij in solâ consecratione, vel in hac & simul in Sacramenti sumptione constitutam esse. Itaque probæ sunt illæ descriptiones.

Nos autem in opere nostro Missam intelligimus esse totum illud aggregatum, officium vel ministeriū publicū & sacrum, quod Græci Liturgiam dixerunt, & præter sacrificij oblationem & eiusdem consumptionem constat varijs precibus, cæremonijs & ritibus, genuflexionibus, pijs functionibus & mysticis symbolis, & producitur ab ingressu sacerdotis ad altare, vsque ad eius ab altari recessum, qui modo est post lectionem initij Euangelij S. Ioannis, quod iam censetur totius Missæ clausula & complementum, cùm olim finiretur accepta Episcopi vel Sacerdotis benedictione. Nuper autem institutum est, vt illud principium in diuinis mysterijs plenum legeretur tamquam efficacissimum Apotropeum & amuletum aduersus dæmonum illusiones, & contra nocturna Lemurum terriculamenta singulare præsidium. 2. *Missa complectitur totum ministerium sacerdotis ab ingressu eius ad altare vsque ad eius recessum.*

Ceterùm totam illam Missæ actionem diuersimodè auctores diuidunt. Ioan. Belothus de diuinis officijs cap. 34. in quatuor partes subdiuidit; sed meliùs S. Thomas 3.p. quæst. 84. art. 4. in tres solùm distinguit, ita vt prima extēdatur à principio vsque ad Offertorium, & comprehendat Missam Catechumenorum: altera pertingat ab Offertorio vsque ad Sacramenti consumptionem: tertia denique, à Communione vsque ad finem. 3. *Missæ partes.*

S. Dionysius vt bene obseruauit Balthasar noster illius Interpres & Scholiastes c. 3. Ecclesiast. Hierarchiæ videtur sacrificij Eucharistici assignare quinque potissimùm partes. prima est Missa Catechumenorum vsque ad oblationē panis & vini: tunc enim clamabat Diacon, in Græcis Liturgijs τὰ ἅγια

τοῖς

τοῖς ἁγίοις *Sancta Sanctis*, ijsque verbis prolatis Cathecumeni, energumeni, & & notorij peccatores pellebantur, vt etiam testatur S. Chrysostom. homil. 61. ad populum Antioch. & Iustin. Apolog. 1. Imò nec videre permittebantur Catechumeni V. Eucharistiam ante susceptum Baptismum, vt tradit S. August. Tract. 11. in Ioannem.

Secunda pars est oblatio panis & vini tamquam materiæ consecrandæ.

Tertia est consecratio quâ panis & vinum vi verborum Christi in eius corpus & sanguinem conuertuntur.

Quarta est oblatio corporis & sanguinis Christi.

Quinta est ipsius sacræ hostiæ & pretiosi sanguinis consumptio siue Communio.

Non facit autem mentionem Hostię supra calicem fractionis, nec vtriusque communionis.

3. *Quinque Missæ partes præcipuæ.* Meo iudicio non incongruè quis sacram Missā sic in partes distribuat, ita vt prima sit Missa Catechumenorum: altera extendatur ab Offertorio vsque ad Præfationem Canonis: tertia inde vsq; ad Orationem Dominicam: quarta ab eâ vsque ad Sacramenti Communionem: postrema vsque ad Missæ finem. Huius subdiuisionis ratio suis locis explicabitur. tantùm iam dicimus, in istis quinque partibus notabiles fieri diuini officij siue Liturgiæ mutationes, & progressus ab vnâ ad alteram.

Et hæc quidem, quæ hactenus dicta sunt, prolusionum loco Lectòr accipiat; nunc verò, antequam ad Eucharistici sacrificij ritus explicandos progrediamur, occurrit ante omnia illius minister, qui est sacerdos, præparandus. Et certè, si de animi necessaria dispositione, id est, immunitate à peccatis, & voluntarijs mentis euagationibus & huiusmodi agendum esset, diutius hîc hærere oporteret, sed hunc laborem nobis sustulerunt plures alij, tum imprimis Antonius Molina ex ordine Carthusiano vir pius & eruditus libro de sacerdotis instructione Tractatu 4. cui adiunge Ludouicum Pontanum tomo 4. de Perfectione Christianâ tractatu 2. cap. 6. 7. 8. 9. & Iacobum Aluarez de Paz libello de vita Religiosè instituenda cap. 6. De præparatione ad Missam, & similes. Et nos infra pias quoque huc pertinentes addemus considerationes.

CAPVT VII.

Cur sacerdos clericali tonsurâ insignitus, capite aperto, calceis tectus ministerium suum aggreditur, & ad altare procedit?

QVi de ritibus Ecclesiasticis siue de diuinis officijs Tractatus ediderunt præmittere quædā solent de tonsurâ siue coronâ, quam in vertice præferunt Sacerdotes: quamuis verò propriè hac de re agere ad institutum nostrum non spectet, cùm rasura illa non sit propria sacerdotum sed omnium Clericorum, & in sortem Domini assumptorum, qui etiam quibusdam sacris ministerijs circa S. Eucharistiam, sed inferioribus, deputantur; ne tamen vel inscitiæ, vel negligentiæ, vel obliuionis arguamur, hîc paucis rem perstringemus.

Multa de hoc argumento scripserunt, ex veteribus quidem, Isidorus lib. 2. de Ecclesiast. officijs c. 4. Venerab. Beda lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22. Honorius Augustodunensis. lib. primo Gemmæ animæ, seu de diuinis officijs cap. 193. 194. 195. 197 & habetur tomo 12. Bibliothecæ Patrum, parte prima, pag. 1016. ad quem Lectorem Antiquitatis cupidum ablegamus, qui

qui etiam morales adfert Tonsuræ expositiones. Ex recentioribus verò plures suggerit Baronius Annalium tomo primo, pag. 565. & Bellarm. libro de Monachis cap. 40.

Præcipitur autem illa gerenda Clericis & Sacerdotibus in varijs Concilijs. Vide Trident. Sess. 23. de Reformat. cap. 6. & 17.

1. *Tonsura sacerdotalis non accepit originem à Nazaræis.* Antiquitatem tonsuræ sacerdotalis probant Baronius & Bellarminus suprà citati: & ille quidem docet eam ab Apostolis in Ecclesiam deriuatam, idque exemplo Nazaræorum, quòd hi qui religiosiores ceteris habebantur in templo capita radenda offerrēt: probat autem ex Isidoro suprà, & constat ex Num. 6. quod tamen nec Bellarmino, nec mihi probatur; siquidem Nazaræi tunc solùm tondebantur, cùm desinerēt esse Nazaręi, imò ipsorum insigne erat promissa coma, nec enim Nazaræatus tempore ascendebat nouacula super capita eorum, vt patet ex cap. Num. 6. suprà. Ergo symbolum tonsuræ non est Nazaręorum veteris legis imitatio.

2. *Tonsura significat mysterium humanæ redemptionis iam esse apertum.* Quin verò prima ratio, cur nostri Clerici & sacerdotes in vertice tondeantur in modum coronæ, hæc esse potest, quæ colligitur ex S. August. lib. de opere Monachorum prope finem. Patres veteris legis meritò gestabant longos capillos, quia mysteria redemptionis humanæ nondum apertè reuelata erant; at nunc postquam Christus in carne nobis apparuit, & nobis ore suo benedicto illa patefecit, omnino conueniens est vt nostri sacerdotes id refectione comæ profiteantur, vtpote Christo consecrati. Hæc prima est ratio, quam etiam adfert Isidorus suprà.

3. *Significat regiam sacerdotum dignitatem.* Altera est, quam ibidem habet Isidorus: vt videlicet significetur regia sacerdotum dignitas. Ita ille his verbis; *Quod detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ existimo figurari, vt impleatur corporis etiam, quadam similitudine quod scriptum est Petro Apostolo prædocente: Vos estis genus sanctum regale sacerdotium.*

Tertia ratio traditur à V. Beda suprà, vt in vertice sacerdotum figatur imago spineæ Christi coronæ. Vt enim omnes Christiani signo communi Crucis decorantur, ita æquum erat, vt sacerdotes ipsi singulariter consecrati tamquam ipsius imitatores propiores, etiam insignirentur sui Regis hamato diademate. 4. *Indicat spineam coronam.*

His adde & aliam rationem quam plures auctores referunt, Honorius Augustodun. suprà cap. 195. hisce verbis: *Petrus*, ait, *Apostolus à gentibus captus & ad ludibrium Christianorum barbâ rasus, & capite decalnatus traditur. Quod ipse deinceps in mysterio fieri iussit, quod incredulos quamuis inscios in figura operatos intellexit &c.* Hoc ipsum multis ante seculis tradiderat S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoriâ rerum Ecclesiasticar., qui vixit circa annum 726. tempore Gregorij secundi & Leonis Isaurici Iconomachi, cuius opuscula extant in Bibliothecâ Patrum tomo octauo. Sic ergo scribit: *Tonsura capitis sacerdotis & rotunda eius pilorum in medio sectio vice coronæ est spineæ quam Christus gestauit, & refert imaginem venerandi capitis Apostoli Petri, quæ cùm missus esset ad prædicationem Domini & Magistri sui tonsa est ab ijs qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis, eique Magister Christus benedixit & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit.* Hactenus ille. 5. *S. Petrus à gentibus rasus ad ludibrium.*

Venerab. Beda suprà agnouit etiam S. Petrum tulisse tonsuram hisce verbis: *Inter omnes*, inquit, *quas vel in Ecclesiâ vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam nobis amplectendamque iure dixerim eâ, quam in capite gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es Petrus, &c. nullâ verò magis abominandam*

meritò

meritò cunctis fidelibus crediderim eâ quam habebat ille, cui gratiam Sancti Spiritus comparare volenti dicit idem Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionē &c. Postea verò docet S. Petrum ita attonsum esse in memoriam Dominicæ passionis, spineæ videlicet coronæ &c. Sed de veritate istius narrationis aliqui dubitant apud Baronium prout eam profert Beda.

6. *Attonsio capitis olim ludibrium.* Porrò quondā viros etiam sapientes Romæ consueuisse ludibrio attonsi capitis affici docet suprà Baronius, vt de Apollonio Tyanæo philosopho Pythagoreo scribit Philostratus in eius vitâ, cùm à Domitiano detrusum in carcerem, & ab eodem missum esse tonsorem, qui comam capitis & promissam philosophicam barbam amputaret, cùm alioqui criminum rei intonsâ barbâ atque capillo agere solerent. Aiunt etiam aliqui ab eodem Domitiano S. Ioannem Euangelistam ignominiæ causâ capite attonsum fuisse. Et S. Cyprian. Epist. 77. testatur similia de martyribus ad metalla damnatis.

Ea igitur quæ S. Petro dirisionis causâ illata est infamiæ nota, totius Ecclesiæ honori cessit, quam ipsa toto orbe diffusa in posterum in suorum sacerdotum vertice vt regiam coronam vsurpauit. Verùm & alias rationes huius instituti & moris proferamus.

7. *Signum est vita puræ.* Sit ergo quinta ratio S. Dionysij cap. 6. Ecclesiast. Hierarchiæ, vt indicetur illâ nudatione capitis vita pura & aperta, non fucata vlla hypocrisi, quam Clericus agere debet.

8. *Item pœnitentiæ.* Adiunge & sextam; rasuram illam signum esse pœnitentiæ, & conuersionis ad Deum; nam pœnitentes olim tondebantur.

9. *Cælestis conuersationis.* Septima est plurimorum auctorum: August. lib. de contemptu seculi; significatur enim capillorum resectione terrenas cogitationes & seculi curas Clericis esse abijciendas cùm in hereditatem Domini sint vocati, vt sic maneat vertex, id est animus liber & apertus cœlestibus illustrationibus & contemplationibus. Isidorus suprà, Rabanus, Hugo de S. Victore, Ratiocinatur eruditè & piè hac de re. Pierius Hieroglyphicorum lib. 32. agens de Comâ, ostendit ad similitudinem capillorum, qui ex capite generantur, sic ex mente succrescere & pullulare cogitationes, quæ quando superfluæ sunt & vanæ animum obcæcant & lumen eius impediunt; vnde Ecclesiasticis abscindendæ sunt ex S. Eucherio & S. Gregorio. Addit Stephanus Eduens. prologo libri de Sacramento Altaris, illo symbolo significari vitiorum semina extirpanda.

Non omittendum hîc prodigium quod refert Gregor. Turonens. in vitâ Sanctorum Patrum c. 17. de S. Nicetio Episcopo Treuirensi: *Hic*, inquit, *Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore Clericus est designatus: nam cùm partu fuisset effusus, caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur, circuitus verò modicorum pilorum ordo apparuit vt putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.* Hæc ille. 10. *S. Nicetius ex vtero natus coronam habuit.*

Alterum sacerdotibus sacrum Missæ ministeriū obituris obseruandum occurrit, capitis detectio. Hæc enim præcipitur in Iure Canonico sacrificium oblaturis Cap. *Nullus* de Consecr. dist. 1. Quamuis autem olim plures Doctores maximè antiquiores, quos citat Fagundes, senserint licere capite pileolo velato celebrare ex causâ rationabili, vt senectutis, frigoris, debilitatis &c. modò in causâ dubiâ consuleretur & dispensaret Episcopus vel Prælatus; nunc tamen illicitum est sine facultate Summi Pontificis, vt constat ex decreto Vrbani octaui, qui modò Ecclesiæ præest, & habetur in Missali nouo ipsius auctoritate edito, & extat decretum 11. *Non licet celebrare capite tecto.*

Cardinal. apud Gauant. par. 2. tit. 2. Dispensatum etiam est cum sacerdotibus Sinis (apud quos caput detegere nullum venerationis signum est, vt refert Nicolaus Trigautius noster) & fortè etiam cum Polonis & alijs septemtrionalibus.

12. *Gentiles suis sacris velati operabantur.* Gentiles olim velato capite sacrificabant dijs suis, ne vllius rei noxiæ obiectu à precibus suis & superstitione auocarentur. Hinc illud Æneidos quinto.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Nequa inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat & omnia turbet.

Loco tegminis seruient Christianis Mystis interposita vela, & ante omnia timor Domini, ne occursu cuiuspiam animus turbetur, & mentis ad Deum eleuatio, quâ interiùs precetur cum Psalte Regio Psal. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

13. *Vt & veteris legis sacerdotes.* Sacerdotes etiam veteris legis capite tecto immolabant & ministrabant in tabernaculo; operiebantur enim cidari siue pileolo in morem sphæræ mediæ composito, vt constat ex Leuitico.

14. *Ratio cur celebrandum capite nudo, quia gloria Dei, quæ est in viro, reuelanda.* Nouæ verò legis Liturgi detecti celebrant diuina mysteria, secuti præceptum Apostolicum prioris ad Corinth. 11. vbi v. 7. sic loquitur S. Paulus: *Vir quidē non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria est Dei,* id est imago gloriosa, in qua præcipuè elucet Dei Majestas & imperium: est enim vir instar alicuius deiculi vel Dei secundarij, omnibus imperans; gloria autem Dei non operienda sed reuelanda est. Hominis verò vel viri gloria, quæ est mulier tegenda est.

Ante dixerat Apostol. v. 4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum.* Porrò S. Anicetus Epist. ad Episcopos Galliæ hanc Apostoli sententiam intelligit potissimùm de viris assumptis in Clerum vel sacerdotibus, qui ex ordinatione Apostolorum non tantùm capite aperto, sed & tonso instar coronæ esse debent, vt suprà diximus ex V. Beda, & docet Gregor. Turonens. lib. de gloriâ Confessorum cap. 28. vt Christi & S. Petri coronam ignominiosam hîc gestantes gloriosam in cœlis coronam reportent.

Ratio diuersitatis nostros inter sacerdotes & veteris legis hæc est, quòd teste Epiphanio Hæresi 80. in noua lege Christus qui caput nostrum est, nobis conspicuus & manifestus est, qui in lege veteri Iudæis erat velatus & occultus, quod etiam significabat velamen super faciem Moysis. Adde antiquam legem fuisse legem seruitutis, velatio autem capitis signum est subiectionis eodem Apostolo suprà testante v. 10. *Ideo debet mulier habere potestatem suprà caput,* id est, velamen quod sit signum potestatis viri in ipsam: noua verò lex est lex libertatis, quam per Christum caput nostrum consecuti sumus; libertati autem conuenit nihil super caput habere velaminis, ne deturpet caput suum, quod est Christus, cuius ipse gloria & imago est. 15. *Velatio capitis signum est seruitutis in lege veteri, vt eius detectio libertatis in lege noua.*

Denique apertio capitis apud plerasque gentes symbolum est reuerentiæ & honoris, qui maximè Deo in sacrificio exhibetur.

Ceterùm contra hoc Apostoli præceptum non faciunt nostri mystæ dum sacrum facturi amictum capiti imponunt, quia illum mox reflectunt, & circa collum & humeros reponunt & reuoluunt, vt notat Rupertus lib. 1. de diuin. officijs cap. 19. & nos infrà docebimus, vnde quidam, vt Rabanus & Alcuinus putant eo adumbrari antiqui Pontificis superhumerale, an hoc verum sit suo loco videbimus.

Vt verò Apostolus ritum Gentilium abrogaret, de quo à nobis est dictum supra, qui imitati institutionem Æneæ, vt scribunt Plutarchus & Seruius, Dijs suis faciebant & supplicabant velati, hoc

hoc præcepit Christianis viris, vt nudo vertice orarent. Illud ipsum discrimen inter Gentiles & Christianos orantes obseruauit etiam in Apologetico Tertullianus.

16. *Calceati celebrant sacerdotes nostri.* Tertiò, sacerdotes nostri dum celebrant, sunt calceati honestatis, verecundiæ & castitatis causâ. Notant tamen Theologi pedibus nudis sacrum obire ministerium non esse mortiferum delictum, tum quia nulla benedictione calcei consecrantur, tum quia nullum peculiare mysterium designant, vt aliæ vestes sacerdotales. Vide Fagundes de primo Ecclesiæ præcepto lib. 3. cap. 23. n. 21. & Emmau. Sa V. Missa.

Licèt autem Leuitici sacerdotes nudi pedes in templo ministrarent venerationis causâ, sicut & Moyses, à Deo iubebatur, eadem ratione, calceamentum pedum soluere, multis tamen alijs de causis nostri mystæ calceati Missæ sacrum obeunt.

Rationes adferuntur. Prima ratio esse potest, quia in altari immolant verum Agnum Christum, cuius typus fuit Agnus Paschalis qui à Iudæis calceos habentibus in pedibus comedebatur.

1\.

2\. Secunda adfertur ex S. Nazianzeno Oratione 42. n. 42. & ibid. eius Scholiaste Niceta: quia calceus Hieroghyphicum est vitæ asperæ & continentis, quæ sicut calceus spinarum summos cuspides perfringit; ita hæc deliciarum conterit vepres, & impedit ne ab ijs, qui calcaneo nostro insidiantur, eumque obseruant, Genes. 2. & Psal. 55. & quos calcare iussi sumus Lucæ 10. serpentes & scorpiones, vulneremur.

3\. Tertia, S. Gaudentius tractatu in Exodum, per calceamenta intelligit cognitionem scripturarum, quâ contra aculeos & tribulos Dæmonum contegimur & munimur.

4\. Quarta: Isaias Abbas tract. 22. dicit calceum significare promptum, paratumque animum ad omnia fugienda, quæ conscientiam pungunt, vt sentes, vel maculant, vt lutum.

Quinta, eaque præcipua sumitur ex Apostolo ad Ephes. 6. v. 15. vbi mililitem Christianum (imò ducem & strategum Christianæ militiæ sacerdotem) obarmat omni panopliâ & armaturâ spirituali aduersus insidias diaboli, & vult nos *calceari pedes in præparatione* (id est confirmatione) *Euangelij pacis*, id est, alacri promptitudine, & parato animo roborare & instructo, tum ad incundam viam Euangelij, quod nobis pacem & omnia spiritualia bona à Deo adfert, tũ ad illud annuntiandum proximis, & sic quoslibet veritatis inimicos penetrare, & in cœlos ascendere 5.

Addi potest & sexta, eò quód indicium sit libertatis, quâ libertate Christus nos liberauit, id est donauit, ad Galat. 4. Vnde meritò olim Aaronici ministri exuti calceis immolabant, quia nondum seruitute & captiuitate per Christum erepti; nostri autem mystæ tamquam liberi, celebrant sacra mysteria calceati. 6.

Sed quinta ratio optima est: calceus enim in pedibus Sacerdotis admonet illum viam Euangelij & Dei mandatorum constanter, animosè, pectore & corde dilatato calcare & decurrere, quinimo & verbo & exemplo quoslibet ad eamdem inuadendam, & in eâ progrediendum excitare: vnde & Apostolis Euangelij prædicatoribus Marci 6. v. 9. dantur sandalia vt iniunctum sibi officium omni metu excusso excelso animo suscipiant, & constanter exerceant. Huiusmodi sacerdotis gressus ab Angelis prædicantur Cantic. 7. v. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis* (hyacinthinis; scilicet, coloris cœlestis, indicis cogitationum & desideriorum supernorum) *filia principis!* 17. *Calceus monet sacerdotem constanter viam mandatorum Dei decurrere.*

CAPVT VIII.

Manuum lotio, & aliæ ad sacrificium præparationes.

SCripsit S. Doctor Bonauentura operum suorum tomo septimo, parte 3. suorum opusculorum, inter alia opusculum, quod inscribitur de præparatione ad Missam, & sequens, de Instructione sacerdotis ad se præparandū ad celebrandam Missam; quorum vtrumque dignum est vt à sacerdotibus teratur & ruminetur.

Notat tamen illius Scholiastes obseruandum esse circa locum Auctoris cap. 4. prioris opusculi, vbi loquens de improbis sacerdotibus, qui grauibus obnoxij peccatis Missæ sacrificium offerunt, ait: *Verum si horum Sacrificium suscipit Deus, audeo dicere mendax est, & socius peccatorum.* Intelligendum videlicet esse, quantum est ex parte similium sacerdotum iuxta dictum S. Hieronymi ad caput primum Malachiæ, & refertur d. 49. C. finali: *Sacerdotes,* inquit, *nomen Domini despiciunt, & quantum, ad se panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedunt.*

1. Sacerdotis peccatoris Missa quomodo Deo displiceat, exponitur.

Nota insuper verba illius cap. 8. vbi inuehitur in eos, qui sinistrâ intentione ad sacra mysteria accedunt. *Væ,* inquit, *quanti hodie infelices diuina mysteria accipiunt, non cælestem panem sed terrenum quærentes, non spiritum sed lucrum, non Dei honorem sed suam ambitionem, non salutem animarum sed quæstum pecuniarum, non Christo seruire mundo corde & corpore in sacris mysterijs, sed deliciari, ditari, superbire & luxuriari de patrimonio Christi & eleemosynis pauperū.*

2. Querela S. Bonauenturæ in Sacerdotes lucro inhiantes.

Sed ad alia pergamus, quæ propius nos attingunt. Primò Sacerdos antequam sacras vestes induat manus lauat, quæ ablutio sacra etiam est, vt constat ex circumstantijs loci & temporis, & ex oratione, quâ tunc precatur: *Da Domine virtutem manibus meis &c.* petit enim, abstergi ab omni maculâ peccatorum tam carnalium quàm spiritualium, vt mundus mundum sacrificium offerat. Sequitur ergo consilium Apostoli 2. ad Corinth. 7. vers. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei:* Sunt enim carnalia peccata, quorum obiectum est carnale, vt gula, luxuria, ebrietas; sunt etiam spiritualia, quæ versantur circa obiectum spirituale, vt sunt inuidia, superbia, odium, ira &c. his piaculis mens purgata planè fit munda & sancta, præparata vt Deo sanctam hostiam offerat in timore Dei, summa cum veneratione & reuerentiâ.

3. Lotio manuum.

4. Peccata quæ carnalia, quæ spiritualia

Porrò lotio corporalis non modò nostris Liturgis vsitata, sed etiam Ethnicis sacrificulis frequentata in profanis sacris ipsorum. Nam in Græcia ipsi aquæ marinæ ablutione se purgabant. Ita Proclus de sacrificijs, & Scholiastes Aristophanis. Siquidem aqua illa est expiatrix. ὕδωρ καθαρτικόν. Sic fecit Persarum Rex Chosdroas, qui Soli sacrificificaturus aquis marinis se proluebat, teste Procopio lib. 2. de bello Gothico.

5. Lotio vsitata etiam Ethnicis sacrificulis

Insuper in Lege veteri Exodi 30. sub pœnâ mortis præcipitur sacerdotibus vt se lauent in labro æneo ante sacrificium. Sic ibi habes v. 19. & 20. *Missâ aquâ* (in labrum) *lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiana Domino; &c.*

6. Et sacerdotibus legis veteris.

Verùm, quia etiam mystæ nostri manus lauant ante Præfationem Missæ, ibi plura de manuum lotione dicenda erunt.

Quod ad alias præparationes attinet, animaduertendum hîc est, initio nascentis Ecclesiæ pijs sacerdotibus in vsu

vsu fuisse præuias ante Missam orationes, quas S. Dionys. vocat προτελείους εὐχὰς, id est, precationes Sacrificio præambulas.

7. *Orationes præparatoriæ ad Sacrificium.*

Sic ipse Epistola 8. ad Demophilum Monachum & referens visionem factam S. Carpo, qui erat vir ad Dei contemplationem aptissimus, dicit illum non auspicatum τὰς τελετὰς (sacros mysteriorum ritus seu Liturgiam) nisi ipsi inter προτελείους εὐχὰς, (præparatorias orationes) sacra quædam & propitia visio apparuisset.

Notant verò S. Dionysij interpretes & Scholiastæ S. Maximus, Pachymeres, & postremò Balthazar Corderius noster, olim Sacerdotes priusquam ad altare se conferrent, præmisisse preces quasdam præparatorias, quæ dicebantur

8. *Quid προτέλειαι εὐχαί?*

προτέλειαι εὐχαί. Vox autem illa ducta est ab antiquo ritu. Nam Athenienses illo nomine dixere preces & vota, quæ vnà cum hostijs nuptias præcurrebant. τέλος enim vocant γάμον, id est, nuptias, vt quæ hominem perficiant in ijs quæ ad hanc vitam, eiúsque conseruationem spectant. Preces ergo illæ siue τέλεια præmittendæ pro expiatione & deprecatione, ne Sacramenti participatio cedat in iudicium communicanti, & vt perficiens & perfectissimum sacrificiorum munus (τέλειον à perficiendo) impetretur. Cùm igitur hostia sit offerenda, quâ nulla maior aut sanctior, quæ Sponsum nostrum Christum ducere debet ad thalamum animæ nostræ ad totius Ecclesiæ bonum, pacem & felicitatem singularem, certè opportunæ fuerint προτέλεια & preces, quibus se præparent sacerdotes ad Sponso speciosissimo sacrificandum.

9. *Præparatio cuiusdam sancti senis.*

In Prato Spirituali auctore Ioanne Moscho cap. 27. simile quid refertur de quodam Presbytero sene, qui Dominico die non celebrabat sacra mysteria nisi Sancti Spiritus visione dignatus. Sic ipse de se testatur coram Episcopo. *Die*, ait, *Dominico post nocturnos hymnos prope sanctum altare sedeo, & quousque videam Spiritum Sanctum altare obumbrantem, sancta Missarum solemnia non incipio: cùm autem Spiritum Sanctum aduenisse aspicio, tunc ego sacra officia consummo.* Hæc ibi.

Vnde colligere licet, quàm accuratâ animi præparatione senex ille se disposuerit ad Liturgiam. Quòd siquis ob varias huius vitæ occupationes tempus liberum non fuerit nactus ad diutius orationi vel vocali vel mentali vacandum, poterit saltem post factam peccatorum Exomologesin, si eâ opus habuerit, vel post breue aliquod spirituale exercitium, quo se excitet ad culparum leuiorum dolorem, & inflammet ad vehemens fruendi diuino epulo desiderium, recitare Psalmos illos & adiunctas Collectas quæ habentur in Missalis principio, vel orationem S. Ambrosij præparatoriam ad sacrificium, quæ est deuotissima, vel aliorum virorum precationes, quæ ibidem ponuntur. Veniat in mentem celebraturo illud Psal. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Profectò, quando antiqua relego, & confero vel Leuiticorum sacerdotum, vel gentilium sacrificulorum præparationem quâ se ad sua sacra peragenda accingebant cum quorumdam Liturgorum nostrorum socordiâ, tepore, & irreuerentiâ, magno pudore confundor.

Illi sacrificaturi se purgabant aquâ 10. *Præparatio Leviticorum sacerdotum.*
permixtâ cinere vitulæ rufæ si immundi essent, Num. 19. abstinebant à vino & alio potu vim inebriandi habente Leuit. 10. vers. 8. interdicebant sibi vsu coniugij & omni venere: nudis pedibus, ijsque simul ac manibus lotis ad sacra accedebant, Exodi 30. 19. veste mundâ & sanctâ induebantur &c.

Eosdem ferè ritus & longè plures ac 11. *Item Gentilium.*
seueriores obseruarunt Gentiles, quos

cum reperi apud Lilium, Gregorium, Gyraldum Syntagmate 17. apud me maximoperè confundor. Paucula solùm eius verba commemoro, quæ habet post multas Ethnicorum Sacerdotum recensitas expiationes. *Observatum*, inquit, *antiquis inuenimus vt qui rem diuinam facturus esset, ad suas leuandas culpas se in primis reum dicere solitum, & noxæ pænituisse, admissa fassum, vultusq; summisisse & ad omnem modestiam finxisse: quod vtinam & hodie perseueraret in nostris, inter quos plerique nullâ reuerentiâ ac modestiâ sacra obeunt.* Hæc ille Antiquitatis indagator sagacissimus; quæ velim animo suo perpendant nostri sacerdotes.

CAPVT IX.

Vestium sacrarum vsus & antiquitas.

LOtis in Sacrario manibus & calici impositâ hostiâ ad vestes sacras assumendas se confert Presbyter. De his præ alijs copiosè & luculentè ratiocinatur Gabriel Lectione 11. & 1°. in Missæ Canonem, & primò quidem Allegoricas earum profert significationes fundatas in ijs quæ Christus pro nobis passus est, & in eius præclaris moribus & virtutibus; Deinde Tropologicas illarum adducit repræsentationes, quibus admoneatur ad altare accessurus Mysta gloriæ & ornatus interioris, quo animus eius resplendere debet coram Deo & hominibus *Sacerdotes tui induantur iustitiam* (omnium virtutum paratum) *& sancti tui exultent* (omnes pij altari astantes) Psalmo 132.v. 9.

Antiquissimum sacrarum vestium vsum esse constat ex summorum Pontificum decretis, & priscorum Patrum testimonijs, quæ in medium adducunt Amalarius Fortunatus lib. 2. de Ecclesiasticis officijs cap. 16. Alcuinus, Walafridus Strabo, & alij.

Adfertur locus S. Hieronymi lib. 13. Commentar. in Caput 44. Ezechielis ad versum 17. vbi sic legitur: *Cumq; ingredientur* (sacerdotes) *portas atrij interioris, vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum* &c. *Per quæ*, inquit ipse, *discimus, non quotidianis & quibuslibet pro vsu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum sed mundâ conscientiâ & mundis vestibus reuereri Domini Sacramenta.* Et paulò inferiùs. *Vestibus lineis vtuntur Aegyptij non solùm intrinsecus sed & extrinsecus. Porrò religio diuina alterum habitum hab.t in ministerio altaris, alterum in vsu, vitaq; communi.* 1. *Vsus sacrarum vestium probatur ex S. Hieron.*

Idem lib. 1. aduersus Pelagianos ostendit Presbyteros & Diaconos in administratione sacrificiorum candidâ veste vti solere. Hic color est index gloriæ, lætitiæ & innocentiæ. Rursus Epistolâ 3. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani cap. 6. sic scribit Nepotianus morti vicinus, *apprehensa auunculi manu: hanc, inquit, tunicam quâ vtebar in ministerio Christi mitte dilectissimo mihi ætate patri, fratri Collegio*: Hieronymum autem intelligit, de quo sermo præcesserat. Videtur porrò significare verbis illis Casulam siue Planetam quâ ipse in sacrificio vtebatur, erat enim Nepotianus sacerdos. Omitto alios.

Ceterum multa suadent, manifesteque conuincunt noui Testamenti Mystas decere, dum sacris operantur, vestimenta munda, nitida, culta & religiosa, *vt omnia honestè & secundum ordinem fiant*, in illis 1. ad Corinth. 14. Si enim is qui ad nuptias filio Regis paratas sine veste nuptiali intrauerat, ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores eijcitur Matth. 22. quantò magis à nuptiali cōuiuio quod filio suo Rex Regū extruxit, dignus erit repelli, id est, ab altari remoueri, qui decentibus, sacrisque indumentis non fuerit exornatus? 2. *Rationes docent sacerdotes in Sacrificio vestibus mundis & sacris vti debere.*

Principio

3. *Vtebantur & veste Gentiles sacrificuli.* Principio; profani olim Gentiles sacrificuli dum suis deiculis siue idolis immolarent, veste purâ, candidâ, & suo more religiosâ amiciebantur, luce rationis hoc eos clarè edocente.

Platonis verba sunt: *In sacrificijs*, inquit, *& celebritatibus pulchrâ veste, aureisq; coronis ornatus sacerdos rem diuinam facit.* Legendus Gyraldus Syntagmate 17. suprà. Seruius in illud 12. Æneidos,

——— *puraq; in veste sacerdos*

Pura, inquit, *& religiosa vestis dicebatur, quâ rē diuinā facturi festo vtebantur die. Erat*, ait Donatus, *colore albo, nec purpura variata picturis.* Festus accipit puram vestem nullo squalore oblitam, non maculam habentem, non funestam, non fulguritam. Auctore M. Tullio color albus præcipuè decorus est Deo, tum in ceteris, tum maximè in textili.

4. *Item Aaronici.* Accedit Dominum olim lege antiqua vigente Moysi præcepisse, vt Aaroni Pontifici & filijs eius sacerdotibus vestes sanctas conficeret in gloriam & decorem, vt non nisi mysticis indumentis ornati sacerdotio fungerentur, de quibus agitur Exodi 28. & 31.

Intelligere, ait Iuo Carnotensis Epist. 124. *debet populus Christianus, quòd si in sacrificijs, quæ tantùm faciebant ad emundationem carnis cum tanta reuerentia iste ritus vestimentorum erat obseruandus, quantò magis in cōsecratione Corporis & Sanguinis Domini, in quibus consistit emundatio carnis & spiritus?* Sic ille. Vide Francisc. Suarez tomo 3. in 3. partem S. Thomæ quæst. 83. ar. 3. Disput. 82. Sect. 2.

5. *Item Regis & magistratus.* Huc pertinet mos & institutum eorum qui in Republica Liturgiam obeunt, id est, publico funguntur officio (hoc enim Græci appellant Liturgiam) vt sunt Reges, Iudices, magistratus & alij. Hi enim functiones suas obituri, ad quas electi inaugurati & initiati sunt, augustiore, cultiore, spectabiliore, sibi proprio habitu induūtur quàm alij è vulgo; quinimò alio quàm cōmuni & domestico, idq; plurimis iustissimisque de causis, partim vt ornatus iste apud populum rudiorem venerationem ipsis conciliet; partim vt præclarus ille apparatus & insignia, eorum auctoritatem, potestatem, maiestatem & officium eidem symbolicè demonstrent.

Quæ cùm ita sint, quis non videat quanto potiore ratione Sacerdotes nostri coram populo, paratu nitido, mundo, splendido, sacrato eminere debeant, dum horrore plenissimum sacrificium peragunt, & primo quidem, vt ministerium suum honorificent, & reuerentiam diuinis mysterijs comparent. Deinde vt Christi sanctissimam & acerbissimam passionem & necem, quam ipse à nobis recoli voluit, & præcepit, viuo quodam schemate & habitu referant, & vulgo magis imperito quasi illustri quodam dramate repræsentent. 6. *Rationes sacrum & decorum vestitum suadent.* Siquidem haud ignoramus plebem magis solitam excitari ad pias suscipiendas cogitationes, & salutaribus affectibus commoueri visis sacris ritibus, cęremonijs, actionibus, imaginibus apparatibus, expressis ad viuū diuinarum rerum symbolis, quàm multis sermonibus, & disertis orationibus; quod hîc vel maximè locum habet, cum ea quæ in sacra Liturgia leguntur, linguâ Latinâ vulgo ignotâ, vel etiam sub silentio pronuntientur.

Multa in hanc rem adferri possint ex priscis Annalibus. Sed vnum insinuasse sufficiet.

Scribit Iosephus lib. 11. Antiquit. Iudaic. cap. 8. & ex eo alij, Iaddum Iudæorum Pontificem stolâ hyacinthinâ auro distinctâ ornatum, præferentem capite tiaram & laminam auream nomine Dei tetragrammato insculptam ab Alexandro Magno adoratum, quia maiestate Pontificis huius mundi opificis & moderatoris imaginem & personam gerentis percellebatur, 7. *Alexander honorat Iaddum Pontificis ornatum vestitu.*

tur,

tur, & ad beneuolentiam, cùm antea genti Iudææ infensus esset, flectebatur.

Nec alienum à proposito nostro illud est, quod legimus Genesis 27. Rebeccam vestiuisse Iacob Patriarcham vestibus Esau fratris sui primogeniti valde bonis & fragantissimis, quibus indutus Patri suo Isaac epulum hœdi obtulit, & præripuit eius Benedictionem. Videtur verò conuiuium illud typus fuisse epuli Eucharistici, quod Ecclesia per sacerdotes quotidie Deo offert Patri vt nobis benedicat. Tradunt verò Hebræi apud S. Hieronym. in locum Genes. suprà. vestes illas fuisse sacerdotales, quibus induebatur primogenitus cùm sacrificaret, & assentiuntur Isidorus & Eucherius. Imitatur hoc, vt dixi Liturgus noster sacra facturus. Assumit enim pretiosissimas primogeniti Iesu Christi cruciatu Fragrantissimas & redolentes vestes, vt per eiusdem merita à Deo Patre benedicatur &c.

8. *Sunt vestes Sacerdotales Esau Primogeniti.*

9. *Sacerdos instar oculi varijs induitur tunicis.*

Sacerdos est veluti Dei oculus; dicitur Zachariæ 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* multis tunicis oculus munitur & tegitur, ijsque valde speciosis & perturatis, vt Iridis speciem referat. Instar ergo arcus cælestis Deus & Ecclesia sacerdotem vestiri voluit diuersis & versicoloribus vestibus & ornamentis, vt meminerit se Deo cariorem oculis, & sui officij esse, vt in Ecclesia Dei oculorum vice fungatur. Gauant. p. 1. tit. 1. Thesauri Rubric. & Rituum.

10. *Vestes sacerdotales sunt Hieroglyphica & sacra Symbola.*

Porrò sacrarum vestium apparatus non solùm pertinet ad decorem & gloriam augustissimi Sacrificij, ne videlicet tantum mysterium rudi plebeculæ vilesceret, si sacerdos vulgari amictu vteretur, sed etiam vt plura per illum populo indicentur tamquam per Hieroglyphica & sacra symbola, vt olim in lege antiquâ per indumenta Pontificis & sacerdotum à Deo præscripta varia mysteria allegoricè, moraliter & symbolicè repræsentabantur, de quibus S. Hieronym. ad Fabiolam Epist. & plures alij vberrimè tractarunt.

11. *Ostendit hoc Tridentinum Concilium.*

Obserua circa hæc verba Concilij Tridentin. Sess. 22. cap. 5. *Caremonias,* ait, *Ecclesia adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, Thymamata, vestes* &c. *ex Apostolicâ traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hac visibilia religionis signa ad rerum altissimarum, qua in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Et Can. 7. sic definit: *Si quis dixerit caremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia vtitur irritabula impietatis magis esse, quàm officia pietatis, anathema sit.*

12. *Monent hæ vestes Sacerdotem vt se vestiat iustitiâ.*

Insuper per hunc sacrum paratum sacerdos monetur, *induere iustitiam,* quod orat Psaltes Psalmo 131. & *nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis* (vera sanctitate) vt vult Apostolus ad Ephes. 4. v. 24. His gloriosis & decoris stolis circumdatus exultare poterit & pronuntiare illa quæ habentur apud Isaiam cap. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis* (salutem adferentibus) *& indumentis iustitiæ circumdedit me* (omnium virtutum varietate) *quasi sponsum decoratum coronâ & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Item gloriari cum S. Iobo c. 29. v. 14. *Iustitiâ indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate iudicio meo,* i. rectè factis.

Hac de re sic scribit Iuo Carnotensis sermone de rebus Ecclesiast. *Ornamenta hæc sunt virtutum insignia, quibus tamquam scripturis vtentes admonentur quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere.* Et Innocent. 3. lib. 1. de Mysterijs Missæ cap. 64. *Attendat sacerdos studiosè, vt signum sine significato non ferat, & vestem sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro deforis dealbato, in-*

tus

tus autem omni pleno spurcitiâ.

13. *Sunt vestes Esthera.* Assueri regiam licitum non erat indutum sacco intrare, Esther 4.21. vnde & Mardochæo Regina *vestem misit, vt ablato sacco indueret eam.* Disce hinc, sacerdos, sordido amictum habitu te Summi Regis curiam non posse subire, sed veste ante omnia debere indui, quem Ecclesia Regina tibi miserit.

14. *Seruanda circa vestes sacras.* Præterea occurrunt quædam circa vestes notanda. Primum; præcepit Vrbanus 8. in nouo Missali, sacerdotalia indumenta accipienda esse in Sacrario, non verò ex altari, nisi quis fuerit Prælatus. Immo decreuit Rituum congregatio, inferiores Episcopo non debere sumere paramenta pro Missa de Altari, 7. Iulij 1612.

Alterum. peccatum secundum omnes Theologos esse mortale, si hæc fuerint enormiter fœda vel lacera; Sancta enim sanctè habenda sunt, estque hoc illicitum iure naturæ; licet autem hoc etiam prohibeatur iure Canonico, maximè tamen hoc arguit Pastores Ecclesiarum, qui grauiùs circa hoc peccant quàm alij sacerdotes.

Tertium. non possunt hæc sacra indumenta conuerti in vsus profanos sine sacrilegio, & habetur C. Nō possunt, in 6. de Regulis Iuris; vnde detrita comburenda, & eorum cineres in piscinam conijciendi. Meo tamen iudicio ex his refici possunt alia Ecclesiæ ornamenta, vt frontalia, puluilli &c.

15. *Puniti qui sacris vestibus abusi.* Leguntur quidam diuinitus puniti, qui sacras vestes profanarunt, non minùs quàm Baltassar rex Chaldæus, qui sacris templi vasis abusus Daniel 5. Ita narrat Theodoretus lib. 2. histor. c.27. ludionem quendam scenicum stolâ sacrâ indutum in theatro saltasse, & saltando casu obtritum interijsse. Vide Baptistam Scortia lib. 2. cap. 8. de Sacrificio Missæ.

Postremum; contrà verò, bene & religiosè seculares vestes vt pretiosæ matronarum cyclades in ornamenta altarium & sacerdotum conuertuntur: hoc enim est spoliare Ægyptum, & cum muliere captiuâ transeunte ad coniugium mariti de populo Dei, vestem deponere, in qua capta fuerat, Deuteron. 21. Sic Moyses composuit labrum templi æneum ex speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi Exodi 38. v. 8. quæ mundi pompis vale dixerant & Dei obsequio se dicauerant. Harum exemplum secutæ plures mulieres Principes: Isabella Clara Eugenia vestem suam nuptialem obtulit nostra ætate cultui sacelli B. Virginis Hallensis: & Margarita Austriaca Hispaniæ Regina cycladem etiam suam connubialem misit Romam ad sacrum cultum templi Societatis Iesu: & moriens testamento tres alias stolas præclarissimas legauit Ecclesiæ Collegij eiusdem Societatis Salmanticę: vt omittam Otthonem 3. Cæsarem, qui paludamentum suum Imperiale, quo coronatus ornabatur, Romæ sacrauit altari S. Alexij. rursus S. Pulcheriam, quæ Magnæ Virgini mundum suum muliebrem contulit: S. item Anthusam filiam impij Constantini Copronymi, quæ aureas suas pallas in Ecclesiæ ornamenta conuertit, vt refertur in Menologio Basilij Imperatoris, 17. Aprilis. Vide Fagundes lib. 3. de 1. Ecclesiæ præcepto c. 23. Iam ad singula sacra indumenta tam mysticè quàm moraliter explicanda accedamus, inter quæ primo Amictus occurrit.

16. *Mulieres multæ piæ pretiosas suas vestes sacrificio Missæ exornando dicarunt.*

CAPVT X.

Quæ mysteria nobis significat Amictus.

1. *Allegorica symbola Amictus.*

AMictus, quem & veteres Humerale vocarunt, si ad Christi, quibus in Passione suâ ad ludibrium circumdatus fuit, indumenta transferamus, Allegoricè nobis ob mentis oculos ponit, linteum illud, quo perfidi Iudæi in domo Caïphæ venerandam eius faciem obuelarunt: Matth. 26. Ita Gabriel in Canonem Lect. 11. Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 4. & alij passim.

Sunt qui putant eo signari Sudarium quo caput Christi sepulti fuit inuolutum Ioan. 20. *Sudarium quod fuerat super caput Iesu* &c. Ita Illustriss. Camerracens. Francisc. vander Burcht in Elucidatione Missæ.

Sed sensu magis spirituali nobis optimè suggerit Christi Diuinitatem velatam nubeculâ Humanitatis. Ita Stephan. Eduensis de Sacramento Altaris cap. 10. qui extat in Bibliotheca Patrum tomo 10. Rupert. lib. 1. de diuinis offic. Innocent. suprà cap 35. S Bonauentura in explicatione mysteriorum sacræ Missæ, vbi & Amictum Humerale vocat, vt & alij, qui putant hûc referre Ephod siue Epomidem & Superhumerale sacerdotum antiquæ legis, quod tamen non placet Stephano Duranto lib. 2. de Ritibus cap. 9. eò quòd Amictus noster & materiâ & formâ multum differat ab Ephod Leuitico. Sed de hoc nihil hîc attinet disceptare; potiùs de præsenti notione amictus obseruanda sunt verba

2. *Indicatur Amictu mysterium Incarnationis.*

Gabrielis Biel suprà: *Amictus*, inquit, *quo sacerdos caput obnubit, Christum Dominum Sacerdotem magnum pro nobis humanam assumpsisse naturam, quâ suam occuluit Deitatem, significat, quæ Deitas per Caput significatur. Caput enim Christi Deitas est iuxta illud Apostoli prioris ad Corinth. 11. Caput Christi Deus. Hoc etiam in Apocalyp. cap. 10. repræsentatur, cum Christus in specie Angeli fortis nube amicti de cælo descendentis describitur; cui consonat illud Isaiæ 19. Ascendit Dominus super nubem candidam vt ingrederetur Aegyptum. Veniens namque ad illuminandum Aegyptum, i. mundum ignorantiæ tenebris obscurum, magni consilij Angelus amictus est nube lucidâ, siue vt Glossa dicit; Corpus humanum assumpsit non grauatum corruptione virilis commixtionis, sub quo occuluit Deitatem. Hoc ergo latibulum carnis amictus significat sacerdotis.* Hæc Gabriel & eleganter.

Tropologias siue morales Amictus notiones plures proferuntur à Doctoribus, quarum præcipuas solùm indicabo. 3. *Tropologica symbola eiusdem.*

Prima est custodia oris, de qua Psaltes Regius Psalmo 140. v. 3. *Pone Domine custodiam ori meo* &c. Cùm enim Amictu collum vndique cingatur, in quo est vox, & ex quo loquela & sermo procedit, meritò monetur sacerdos, os suum cautè custodire. Ita Amalar. Fortunat. lib 2. de Ecclesiast. Offic. c. 17 & alij. 4. *Oris custodia.*

Rursus Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 4. Alens. par. 3. quæst. 26. Guilielm. Durand. in Rationali aiunt: Amictus, quia super humeros circumquaquè diffunditur, operum fortitudinem notat. Valent humeri ad onera ferenda tum corporis tum spiritus, gratiâ Dei illos corroborante. Dicitur de Issachar Genes. 49. v. 15. *Supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens.* Laboret igitur sacerdos *sicut bonus miles Christi*. 2. ad Tim. 2. 5. *Fortitudo.*

Gabriel verò suprà Lect. 12. per Amictum accipit fidem Catholicam. Succum eius hîc tibi Lector exprimam. *Celebraturus*, ait, *scuto fidei se intus armare satagit* (ad Ephes. 6. v. 16.) *quo vniuersa inimici ignea tela tutò possit excipere.* 6. *Fides Catholica.*

&

& resistere fortiter, omnes dubitationes circa mysterium Sacramenti altaris reijciendo. Est amictus quasi substratorium ceteri ornatus sacri: stringit collum & duabus chordulis sub pectore colligatur: sic fides substantia est & fundamentum totius ædificij spiritualis; ad Hebræos 11. fides substantia est rerum sperandarum, argumentum (probatio vel certitudo) non apparentium. Nam sine fide nec sperare contingit, nec amare cælestia. Fides autem corde possidetur, voce gutturis propalatur, estq; maximè necessaria ijs qui Sacramentum hoc conficiunt, & participant, quod est mysterium fidei. Hæc & plura argutè & eruditè Gabriel.

Sed huic sensui obstat, quòd Ecclesia in oratione quâ Sacerdos se amiciens vtitur, vocat Amictum non scutum fidei, vt habet suprà Apostolus & ex illo Gabriel, sed galeam salutis, quomodo etiam loquitur Apostol. suprà.
7. *Spes & fiducia in Deum.* Vnde melius alij, & inter eos, Francisc. Suarez suprà Sect. 2. §. Dicendum secundò: *Per amictum indicatur fiducia seu, Spes*, quâ debet Sacerdos accedere ad Deo faciendum: vnde illum accipiens precatur: *Impone Domine capiti meo galeam salutis*, &c. Manifestum autem est per galeam salutis accipi Spem, vt colligitur ex cap. 6. ad Ephes. v. 17. *Galeam salutis assumite*, & apertiùs ex prima ad Thessalonic. cap. 5. v. 8. *Induti loricam fidei & caritatis, & galeam spem salutis.* Sub spe autem & fides subintelligitur, quia vt dicitur ad Hebræ. 11. v. 1. *Ipsa est sperandarum substantia rerum.* Sic Suarez. Adde his locum Isaiæ 59. v. 17. *Et indutus est* (Dominus Deus) *iustitiâ vt loricâ & galeâ salutis in capite.*

Quamuis autem amictus, vt lorica ante pectus colligetur, imponitur tamen primò capiti, vt galea.

Addit Sotus suprà tum nobis operiendum caput inter sacrificandum, ne circumquaque circumspiciendo illicita cogitemus. Sed minus bene dixit Sotus inter sacrificandum caput operiendum cùm superiùs docuerimus aperto capite celebrandum, nisi intelligat per caput mentem hominis partem præcipuam; quæ obuelanda est piarum cogitationum velo, quando sacris operamur, vnde & funiculis amictum astringimus ante pectus, vt solùm quæ Dei sunt, tunc meditemur.

Porrò galea salutis vel salutaris dicitur, quæ caput siue mentem hominis, cogitationes & intentiones eius seruat & communit contra diabolicos insultus, pectus ad Deum dirigit, ad ardua roborat, illa est spes salutis, salus à Christianis sperata, & à Christo mundo allata, qui est salus nostra, salutare, & saluator noster, περικεφάλαιον σωτηρίου, id est galea vel cassis salutaris, vt Græca habent ad Ephes. 1. suprà.

8. *Sacerdoti facienti spes imprimis necessaria.* Ceterùm multis rationibus sacerdoti celebranti necessaria est in Deum fiducia; primò quidem vt inferni inimici repellat incursus, qui omnibus modis tunc mentem impugnat vanis, fœdis, illicitis imaginationibus & desiderijs, quibus repugnandum erectâ spe in Deum: deinde oratio sacerdotis, qui se interponit sequestrum inter Deum & hominem dum sacris operatur, niti vel maximè debet spe diuinæ misericordiæ, cùm se agnoscit indignum augustissimi mysterij ministrum.

9. *Osculum Crucis & oratio cùm Amictus assumitur.* Postremò sacerdos antequam Amictum capiti imponat figuram Crucis in medio eius intextam osculatur, Christi Humanitatem, quam refert Amictus, vt diximus, hoc amoris symbolo prosequens, & tamquam rem summi pretij vertici tutamen & protectionem fortissimam imponens, & meditans illud Psalmi 139. *Domine, Domine, virtus salutis meæ; obumbrasti super caput meum in die belli.*

Precatur verò his verbis: *Impone Domine capiti meo* &c, quorum sensum congruum reddit Illustriss. vander Burcht suprà: *Dignare Domine Deus mentem meam spe*

spe salutari, diuinâ tuâ protectione, ac interno robore sic munire, vt numquam desperatione, aut pusillanimitate deijciatur, nec præsumptione efferatur, nec vllis diabolicis tentationibus vulneretur, & nunc maximè defendatur ab irreuerentiâ, distractione, vanâ gloriâ, quæ dignam celebrationem impedire consueuerunt.

CAPVT XI.

Quid Alba nobis indicat?

ALterum indumentum sacrum est Alba, quę etiam propriè appellari potest Poderis .i. talaris tunica, nempe vsque ad pedes & talos demissa.

1. *Alba typus fuit poderis veterum sacerdotum, & quid illa significet.* Huius typus haud dubiè fuit tunica talaris stricta Mosaicæ legis sacerdotum, de qua Exodi 28. vtraque enim linea; linum porrò, vel linteum puritatis notam esse Hieroglyphicam, semperque apud veteres fuisse nemo ambigit antiquitatis scius. Quod autem vsque ad talos dependeat, symbolum est perseuerantiæ in bonis operibus vsque ad vitæ finem: est enim talus & calx corporis pars hominis infima & vltima, vt mors finis hominis. Ita Alcuinus, Rabanus, alij mysticè siue Allegoricè, si Albam ad Christi vestes, quibus circumdatus in sua Passione & ignominiosa traductione fuit, transferre placet,

2. *Est symbolum albæ vestis, quâ Christum Herodes induit.* repræsentat nobis vestem albam, quâ induto Herodes cum exercitu suo illusit. Ita Gabriel Lect. 11. Durand. in Rationali & ceteri.

3. *Alba index Christi puritatis.* Præterea, eodem Gabriele auctore, denotat Alba puritatem Corporis Christi de Virgine gloriosâ sine maculâ peccati assumpti, & totius vitæ & conuersationis candorem & innocentiam. Siquidem vestimenta eius semper fuêre candida; quia *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, 1. Petri 2. Hinc est, quòd in eius Transfiguratione, *facies eius resplenduit sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.*

4. *Item eius Diuinitatis & Resurrectionis.* Rursus ex mente S. Germani in Theoria rerum Ecclesiast. Alba est index splendidæ Christi Diuinatis. Itē ex Stephano Eduensi de Sacram. Altaris c. 10. Alba nobis refert gloriam Dominicæ Resurrectionis, quam nuntiantes Angeli in vestibus albis apparuerunt, vnde & nouum sacerdotium candore virtutum exornandū demonstrabatur.

5. *Item symbolum Christi in Cruce.* Quòd autem sacerdos, dum Albam induit, prius manicam dexteram brachio dextro, deinde sinistram sinistro inserit, hoc indicare videtur, quòd dextera manus Christi priùs Cruci affixa credatur quàm sinistra. Ita habetur Reuelationum S. Birgittæ lib. 1. c. 10. nu. 9. & lib. 4. cap. 70. nu. 6. idque iuxta solemnem crucifixionis ritum, quem à dextra manu exordiri mos fuit, vti obseruauit Iustus Lipsius lib. 2. de Cruce cap. 10. Ita Illust. Camerar. suprà Prælud. 5. Sed ad moralia documenta descendamus.

6. *Monet Sacerdotem vitæ puritatis.* Manifestum est Albam, cùm sacerdos facturus, eam assumit, illi suggerere simul animi splendorem, ac cordis munditiam assumendam, ne sit saltem coram Deo hypocrita, foris candidus, intus niger. Vnde altiùs in pectus demittenda sunt verba precis, quam recitat, dum illam Corpori adaptat: *Dealba me Domine, ac munda cor meum*, &c. Vbi allusio est ad illud Apocalyps. 7. vers. 14. *Hi sunt qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*: petit enim virtute Passionis & Sanguinis Christi dealbari, vt dignus sit stare cum Sanctis ante thronum Dei, indutus iustitiâ, id est, omnibus virtutibus, quas Sacerdotium requirit. Vide Anton. Molinam de Instructione Sacerdotis Tractatu 2. cap. 5.

Threnorum 4. v. 7. de Nazaræis (Deo sacratis) dicitur: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Sit sacerdos instar niuis ratione castitatis, quæ ardo-

ardorem libidinis restinguat; sit vt lac dulcore mansuetudinis impetum iracundiæ refrænans; resplendeat tamquam ebur, virtute fortitudinis & patientiæ; idemque fulgore caritatis, & sociarum virtutum rutilet similis sapphiro. Ex his omnibus Alba sacerdotis Nazaræi inter fratres suos conficitur, vt piè prosequitur Ludouicus de Ponte tomo 4. de Perfectione Tractatu 2. c.
7. *Multum differt Alba à pelliceis tunicis Adami &c.* 10. Aptè verò ad propositum nostrum, animaduertunt Rupert. lib. 1. de diuinis officijs, Innocent. lib. 1. Myster. Missæ cap. 36. & alij, Albam nostram byssinam vel lineam multum differre à tunicis pelliceis, quibus Adamus post lapsum indutus fuit Genes. 3. illæ enim exuuiæ sunt animalium mortuorum, & vitam veterem denotant. Alba verò vitæ indicat nouitatem, quâ nouus Adam Christus Iesus amictus fuit, quam & docuit, & nobis in Baptismo donauit. Ad hanc nos hortatur Apostolus ad Coloss. 3. *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis & induentes nouum &c.* Et ad Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis,*

8. *Puritatem vitæ debet labore consequi sacerdos.* Obseruat insuper Gabriel Lect. 12. Albam ex lino texi, quo significatur, quòd sicut linum non habet candorem per naturam; sed illum consequitur multis laboribus, lotionibus attritionibus, vellicationibus, carminationibus, tunsionibus; ita sacerdos per naturam non habet munditiam, sed illam multis corporis castigationibus, sudoribus & mortificationibus attritus obtinere debet, & Apostoli exemplo corpus suum in seruitutem redigere 1. ad Corinth.
9. *Dictum B. Iuniperi.* 9 Maximè autem iuuat principijs tentationum obsistere, vt B. Iuniperus S. Francisci socius, qui prævidens earum occasionem sensus claudebat & interiùs clamabat; *Procul esto: iam enim ab alio hospitium occupatum est*: nempe à Christo.

Notant etiam qui de Ecclesiæ ritibus scripserunt, tunicam byssinam veterum sacerdotum fuisse strictam, de qua S. Hieronym. Epist. ad Fabiolam de vestibus sacerdotalibus scribit. *Hac tam arcta est, vt nulla omnino in veste sit ruga; erat enim instar camisiæ militaris astricta corporibus.* Hoc autem symbolo nobis indicatur spiritus seruitutis in timore; nam lex timoris erat, & arcta. Alba verò tunica nostrorum sacerdotum laxa est ob spiritũ adoptionis filiorum & spiritus libertatem ad Roman. 8. Tunc enim Deo continentia placet & mortificatio cum ex libertate spiritus offertur. 10. *Alba nostra laxior significat libertatem spiritus.*

Nec refert quòd manicæ Albæ tunicæ nostræ non nihil restrictæ sint; quia hoc fit propter ministerium altaris, ne laxitas illud impediat.

Plura Lector huc pertinentia inueniet apud Amalarium, l. 2. de Eccl. officijs c. 18. Gabrielem Lect. 12. Stephan. Durantum suprà cap. 9. & alios.

CAPVT XII.

Quæ Symbola sacra Cinguli siue zonæ.

Tertium ornamentum est Cingulum, quo Alba ne humi serpat, defluat, & fœdetur, succingitur: cuius prototypon fuit balteus Leuiticorum sacerdotum, qui teste Iosepho textura suâ præferebat serpentis exuuias. 1. *Cingulum significat vincula, quibus Christus ligatus.*

Illius vsus etiam fuit in sacris apud sacrificulos gentiles. Cingulum hoc, inquit Gabriel Lectione 11. repræsentat nobis funes, catenas & vincula, quibus cùm Christus comprehenderetur, ligatus, & vinctus cùm flagellaretur, & Crucem suam baiularet; quamuis hæc vincula etiam ad stolam & manipulum transferri meritò possint & zona ipsa nominatim figuret flagella Christi corpus ambientia.

2. *Est etiam caritas Dei, & Christi.* Idem etiam Cingulum mysticè & allegoricè adumbrat fortissimum vinculum, quo nostram naturam filius Dei colligauit, non quidem formaliter, sed causaliter & effectiuè: vinculum hoc caritas est, quam Apostolus ad Coloss. 3. dicit *vinculum perfectionis*. Hæc est zona aurea, quâ præcinctum ad mamillas Ioannes vidit similem filio hominis, vestitum podere (quasi Albâ) Apocalyps. 1. v. 13. Nec dissonat Isaias cap. 11. v. 5. *Erit iustitia cingulum lumborum eius* (quæ est perfecta caritas) *& fides* (fidelitas in promissis) *cinctoriũ renũ eius.*

Christum incarnari fecit caritas Patris, & dilectio nostræ redemptionis. Incarnatus est ex obedientiâ Patris & propter salutem redimendi perditi hominis. Hæc & plura Gabriel.

Aurea zona insinuat sacerdotibus colendam esse castitatem perfectam, mundantem corpus & spiritum, stringentem vtriusque prauos motus, vt diuinus amor carnis cupidinem impositis pedibus premat & superet, ita vt continentia fiat ei suauis; Dei triumphante amore, quæ per se durissima carnis sustinet prœlia. Præterea, si S. Germano credimus in Theoriâ rerum Ecclesiast. hæc zona nobis ostendit quomodo Rex Regum Christus magnificâ dignitate suæ diuinitatis præcinctus est.

3. *Significat Christi gloriam resurgentis.* Occurrit hîc mihi quod olim canebatur in templo Salomonis feriâ sextâ Psalmo 92. *Dominus regnauit* (iam inde à mundo condito) *decorem* (gloriam) *indutus est: indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Instar videlicet Regis inuictissimi & potentissimi ad quodlibet pro libito faciendum. Est enim balteus fortitudinis nota; vnde & milites eo accinguntur. Hoc Allegoricè conuenit Christo resurgenti corpore glorioso circumamicto, de mundo & principe eius triumphanti.

4. *Et castitatis custodiam diligentem in sacerdote.* Tropicè per Cingulum, iuxta plerosque omnes Ritualium scriptores accipe castitatem: si verò per Albam eam intellexeris, eiusdem per hoc diligentem custodiam vel abstinentiam ab omnibus rebus, quæ castimoniæ puritati noxam adferre possunt. Hanc enim Presbyter se præcingens sibi donari postulat, dum ait; *præcinge me Domine cingulo puritatis & extingue in lumbis meis humorem libidinis vt maneat in me virtus continentiæ & castitatis.*

Accedit S. Gregor. Homil 13. in Euangel. *Lumbos*, inquit, *præcingimus cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus;* Et S. Hieronym. in Psalm. 132. *Hæc zona*, ait, *cingit lumbos, stringit & mortificat.* Beda lib. qui inscribitur Collectanea; *Custodia necessaria est sacerdoti ne castitas, quam tunica significat, remissa sit.* Vide plura apud Durantum lib. 2. cap. 9. n. 11. qui adducit Rabanum, Stephan. Eduensem, Innocent. 3. & alios; plura etiam apud Gabrielem Lect. 12. Lit. E. vbi & hæc habet. *Succingitur ne defluat, vt expeditus ad pietatis opera nullâ otij lasciuiâ naufragetur, attendat ne fortè grauetur crapulâ & ebrietate & curis huiusseculi, Recogitet sacerdos, ait Alensis, veste candidâ munditiam significari, Cingulo continentiam, vt illic non sordescat, hic non effluat vita spiritualis.*

5. *Zona est virtus Discretionis.* Præterea Alcuinus de diuinis officijs; *Cingulo restringitur*, ait, *poderis, ne laxè per pedes defluat, quâ designatur discretio, sine quâ non virtutes sed vitia sunt.* Vnde sacerdos monetur tempore sacrificij non solum cogitationes illicitas restringere, sed etiam licitas, verùm nec loco nec tempori nec officio suo tunc conuenientes. Deinde putant aliqui cingulo constrictam tunicam notare sacerdotem Deo, & per sacerdotem populum eidem adstringi & vtrumque Deo fidem seruare debere.

6. *Item indicat animum ad bona opera expeditum.* Denique cingulum argumentum est hominis expediti, parati ad bellum, ad iter, & ad quodlibet opus aggrediendum

diendum; solent enim præcincti esse firmiores, constantiores, promptiores in opere.

In mentem veniat Liturgis illud Exodi 12. v. 11. vbi præcipitur Hebræis post Agnum Paschalem manducatum profecturis: *Renes vestros accingetis*, cuius sacrificium nostrum Antitypon est. Dicitur Iob à Deo cap. 38. v. 3. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Sic sacerdos accinctus ad pugnam cum Dæmone ineundam, colluctandum cum carnis illecebris, mundi blandimentis, ad iter in cœlum arripiendum, ad omne opus bonum aggrediendum.

Si cui libuerit plura symbola Cinguli vel Baltei cognoscere, adeat Cornelium à Lapide in 6. caput ad Ephesios v. 14. *State accincti lumbos in veritate*, id est fidelitate, quam Deo seruare debetis.

CAPVT XIII.

Quæ notiones manipuli.

QVartum Sacerdotis indumentum est manipulus, cuius nullum inter vestes Leuiticas extat vestigium: vocant illum quidā Sudarium, vt Amalarius l. 2. de Ecclesiast. Officijs cap. 21. alij mappulam, nonnulli Phanonem, quidam mantile. Extant decem eius nomina apud veteres.

Porrò referendo hunc ad Christi passi habitus, denotabit funes, quibus brachia eius fuerunt constricta, cùm caperetur à Iudæis, nisi malis cum Gabriele Lectione 11. eo significari magnum illud vinculum quo solo Saluator noster vinciebatur, ingens nempe Redemptionis nostræ desiderium, quo anxiabatur ad Passionis suæ, quâ saluaremur, consummationem; Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.* Non enim claui ferrei quantumuis crassi eum in Cruce

1. Desideriū pro nobis patiendi in Christo manipulus notat, &c.

tenere potuissent, viuum, quem saxum magnum valde cohibere non potuit mortuum. Rursus idem ait manipulū, quem in læuâ gestat sacerdos significare brauium vel præmium, quod Christus in viâ obtinuit: læua autem est vita præsens; meruit verò Christus vt viator nobis vitam, & corpori suo gloriam.

Sed iuxta S. Bonauenturā suprà demonstrat Christi humilitatem in vita hac, vel eiusdem pugnam pro iustitiâ. Ad mores si manipulum ducas, proponet nobis dolorem, gemitus, lacrymas, pœnitentiam, quibus mystes affluere debet ad sacra mysteria accessurus, & zelum, quo consumi & exedi intus conuenit, ad sua & proximi destruenda peccata; vndè & crucem manipuli osculans orat: *Merear Domine, portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris*: quâ prece petitur gratia in huius vitæ per sinistrā significatæ doloribus, qui per molestum inuolucrum brachij sinistri designantur: tum piè flendi & tam fideliter laborandi, vt æternæ consolationis mercede aliquando digni inueniamur. Hæc ratio est cur sinistro potius quàm dextro brachio manipulus imponatur, vt etiam moneamur ex corde, quod est in sinistrâ corporis parte, nobis esse laborandum: quamuis etiam potiùs in sinistro portetur, vt brachium dextrum sit liberius ad ministerium. Ita vander Burcht suprà.

2. Moraliter significat lacrymas & pœnitentiam sacerdotis.

Clara est allusio ad illa Psalmi 125. *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Refert V. Beda in Martyrologio suo 14. Calendas Augusti S. Arsenium Anachoretam ob lacrymarum affluentiam, quas assiduè profundebat, mappulam vel sudarium semper in sinu vel manu gestasse lacrymis abstergendis. Existimant nonnulli manipulum dictum

3. S. Arsenius, S. Cassius, S. Petrus Apostolus vsi sudario, quod venit in locum manipuli ad siccandas lacrymas.

dictum quasi manus mappulam, cumque in locum mappulæ successisse, lacrymis & deuotione sacerdotum deficiente; vnde inter vestes sacras non manipulum sed sudarium ponit Amalar. suprà cùm ait: *Propter effusionem lacrymarum tergendam fertur sudarium.*

Nimirum pij sacerdotes ante sacrificium exitus aquarum ex oculis deducebāt, vt Archiapostolus Petrus, cuius, scribit Nicephorus lib. 2. cap. 17. histor. oculos continuo fletu irrubuisse, & prodit S. Clemens lib. 2. Recognitionum, quoties cantum galli audiret, solutum in lacrymas, & id causæ fuisse cur semper paratum habuerit linteolum, ad pupillarum stillicidia siccanda. Tales fuerunt tum alij, tum S. Cassius, quem commemorat S. Gregorius libr. 4. Dialog. cap. 56. nunquam Deo sacram hostiam immolasse, nisi acceptabile lacrymarum sacrificium Deo Patri obtulisset.

4. *Hinc Abbatibus præfertur lituus cum sudario.* Hinc etiam arbitrantur aliqui factum, vt Abbatibus è lituo Pastorali (Pedum vulgo vocamus) præferatur appensum sudarium, quod designat illis ad statum perfectionis in monasterio tendentibus assiduè lacrymandum, cum Episcopis iam ex hypothesi & suppositione perfectis nudus & apertus lituus siue pedum anteferatur.

5. *Significat etiam vigilantiam.* Præterea manipulus index est vigilātiæ: sæpè enim diuino seruitio dicatis, surrepit acedia; vnde est illud Psal. 118. *Dormitauit anima mea præ tædio*: Ita Gabr. Lect. 12. & Alensis: *Manipulum fert in brachio sinistro sacerdos, quatenus mētis sudore deterso, & animi tædio depulso bonis operibus diligenter inuigilet.* Dicitur sacerdotibus illud Prouerb. 6. *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

Idem ferè habet Stephan. Eduensis suprà. *Mappula, quâ solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum: vnde Dominus discipulis ait, Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Et Amalar. suprà: *In manu sinistra portatur, vt ostendatur in temporali vitâ tædium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis.*

6. *Indicat etiam virtutem discretionis.* Gabriel etiam refert ad virtutem discretionis, eò quòd in manu sinistrâ sint digiti discretionis; debet verò sacerdos sacra facturus iuxta Apostoli præceptum iudicio discretionis diiudicare Corpus Domini, deuotè discernendo quis ille sit, quem offerre & manducare præsumit. Vide eum.

7. *Item & patientiam in Cruce ferendam.* Insuper iuxta S. Bonauent. Manipulus Cruce signatus in brachio sinistro seruit loco scuti spiritualis, quo præmunimur contra aduersarias potestates. Est autem hoc scutum humilitas & patientia Domini nostri, quam monstrauit sustinendo fortiter labores, & inimicorum suorum certamina vsque ad mortem Crucis, nos verbo & exemplo adhortans ad eadem toleranda; quod sacerdos se velle imitari indicat manipuli Crucem amoris affectu exosculans.

CAPVT XIV.

Quæ mysteria stola continet.

Qvintus habitus seu insigne est stola, quam Patres antiqui Orarium dixerunt, quâ voce etiam vtitur S. Chrysost. in suâ Liturgiâ.

Ceterùm stola, latiùs si sumatur, est quælibet vestis ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι id est induere. Sic accipitur apud sacros & profanos scriptores, etiam in sacrâ Scripturâ, quæ stolam vocat vestem regiam, & militarem, sæpe etiam sacerdotalem, quam gloriæ stolam nuncupat, id est, gloriosam & sanctam; sed maximè apud auctores Latinos sumitur pro pallâ vel toga honestarum matronarum vsque ad imos pedes demissa.

Cur

1. *Quare stola dicta Orarium.* Cur autem veteres stolam sacerdotalem dixerint Orarium incertum est. Recensebo notiones, quas huius nominis apud diuersos legi. Crebra est ea vel in priscis Concilijs, vbi etiam illius moralis ratio adfertur.

In Concilio Braccarensi 3. Can. 3. præcipitur vt sacrificium oblaturus non aliter accedat, quàm Orario vtroque humero circumseptus, ita vt de vno eodemque Orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo pectore præparet Crucis.

Sunt qui putent Orarium nuncupatum, quod oratoribus, id est Prædicatoribus diuini verbi tribuatur. Ita Alcuinus de diuinis officijs. Rabanus lib. 1. de Institut. Clericorum cap. 19. Concil. Toletan. 4. Can. 59.

Beda verò in Collectaneis innuit Orarium deriuari ab orando. *Bene*, ait, *orationibus conuenit Orarium conueniens vestimentum officio.*

Sed certum est Orarium vocem esse Græcam; vnde probabiliter, me iudice, scribit Matthæus Blastares in Synopsi Conciliorum. *Solis*, inquit, *Diaconis, concessum est sinistro humero Orarium circumponere. Dictum autem Orarium ab ὡρεῖν ὡρῶ, quod est curo, obseruo, custodio: Nam Diaconi qui Orarium ex humero suspensum gerunt sacrificantibus assistentes & sacras Liturgiæ preces obseruantes Diaconis qui in Ambone sunt, Orario significant quandò nam tempus sit separandi voce publicâ Catechumenos à fidelibus.* Sic ille. Hoc autem fiebat lecto Euangelio. Sed hæc hactenus. Iam mysticè Gabriel Lect. 11. stolam interpretatur vel funes, quibus Christus tempore Passionis vinctus fuit, vel Crucis patibulum collo & humeris eius impositum, & ad montem Golgothæum baiulatum.

2. *Stola designat Christi Obedientiam vsque ad mortem Crucis.* Sed iuuat audire S. Bonauent. de hac re piè disserentem opusculo de expositione Missæ, & habetur tom. 7. operum eius. *Stola*, ait, *longa supra collum ante cor & vsque ad pedes dependens signat obedientiam Christi & voluntariam seruitutem pro nobis. Ipse enim pro salute nostra factus est Patri obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Et hoc significat cancellata stola in pectore ad modum Crucis. Designat etiã Crux in pectore Christi passionem, quam circumferre peruigili meditatione debemus vnà cum sacerdote in corde & corpore per mortificationem terrenæ delectationis.* Hæc ille. Hoc Cant. 8. v. 6. suadet Sponsus animæ fideli: *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum* (quasi manipulum) *super brachium tuum*: vt in cogitatione & opere semper mortificatio Crucis à nobis circumferatur.

3. *Item populum Iudaicum & Gentilem.* Rursus eodem Bonauent. auctore designat Crux ante pectus sacerdotis cancellata populum Iudaicum in partem sinistram transire, qui Christum occidit, & in ipsum credere noluit; populus autem Gentilis in Christum credidit, & se in dextram partem per fidem collocauit. Quod expressum est in Genes. cap. 48. quando Iacob nepotibus suis Manasse & Ephraim benedicens cancellatis manibus dextram super iuniorem Ephraim, læuam verò supra seniorem Manassen posuit, & ait; *Benedicat Deus pueris istis.* Sic S. Bonau.

4. *Monet Sacerdotem ferre iugum Christi, vt torquem & monile.* Moraliter stola admonet sacerdotem humilis obedientiæ & ferendi iugi Christi: vnde Episcopus in ordinatione Sacerdotis, cùm ei stolam imponit, dicit: *Accipe iugum Christi* &c. Ita Amalarius suprà c. 20. & alij.

Hoc iugum præceptorum Dei imponendum est primùm collo, vt torques aurea, de qua Salomon Prouerb. 1. 9. & quidem etiam ante pectus, vt diues bulla & baccatum monile, quod semper ante oculos cordis & corporis voluatur: vt quondam Deus Iudæis præcepit, legem suam haberent in oculis & manibus. Quoniam verò per obedientiam sub iugo Christi sacerdos restituendus est in eum statum quem per inobedientiam, in Adamo amisit,

ideo quando stolam assumit ita orat, *Redde mihi Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praeuaricatione primi parentis*, &c.

5. *Significat stola etiam gloriam animae & corporis immortalitatem.*

Petit ergo hac oratione sibi reddi perditam sanctitatem & beatam immortalitatem. Per stolam siquidem significatur innocentia & iustitia originalis, eique respondens beatitudo & gloria animae & corporis, quam perdidimus in praeuaricatione primi parentis, & quam nobis reddi petimus meritis secundi Adami Iesu Christi. Ita Illustriss. Cameracens. vander Burcht, vbi & haec suprà addit.

Per stolam quae Albae superuestitur, videtur corpus nostrũ significari, quod animę quoddã indumentum est, quodque si Adam non peccasset, habuissemus innocens, seu nullis prauis passionibus subiectum, nec spiritui rebelle. Itaque Sacerdos non contentus puritate animae per Albam significatae, insuper petit corpus ab inordinata concupiscentia, & interna sollicitatione ad peccandum, mundari. Verùm vt significet se intelligere hoc sibi non dandum ante resurrectionem, addit petitae innocentiae & immortalitatem.

6. *Corpus vestis & sepulchrum animae.*

Haec ille rectè & appositè. Siquidem bene Corpus dicitur vestis animae, Graecè σῶμα, quasi ζῶμα id est, cinctus vel vestimentum; quod in morte deponitur: vnde egregiè & cordatè respondit Cardin. Reginaldus Polus nuntianti sibi, quòd Rex Henricus octauus illi

7. *Apophthegma Card. Poli.*

mortem pararet; gratias magnas se Regi habere, quod sibi dormiturienti vestes vellet detrahere: Sed fortè alij meliùs obseruant Corpus Graeco idiomate nominatum σῶμα quasi σῆμα, id est, sepulchrum, quia anima in corpore quodammodo sepelitur: vnde sepulcretum eâdem linguâ vocatur κοιμητήριον, Coemeterium, id est dormitorium siue cubile, quod vestimenta ibi exuantur. Et haec hactenus.

Rursus, Scitum est stolam à collo per anteriora descendentem dextrum & sinistrum latus ambire & insignire, vt doceat sacerdotem à dextris & à sinistris, in prosperis & aduersis muniri debere, quod ad fortitudinem spectat, sine quâ ceterae virtutes facilè expugnantur, & minimè coronantur. Ita Iuo Carnotensis Sermone de significatione indumentorum sacerdotalium. Innocent. Hugo & alij. 8. *Stola symbolum fortitudinis.*

Respicit hoc Concil. Braccarense 3. Canone 3. vbi dicit Sacerdotem vtroque humero Orario ambiri, vt qui imperturbatus praecipitur consistere inter prospera & aduersa, vt virtutum semper ornamentis vtroque circumseptus appareat. Sic ibi.

Obseruant porrò quidam Sacerdotem dum stolam per modum Crucis ante pectus efformat & disponit, ipsius partem dextram manu ducere ad sinistrum latus, & contra partem sinistram trahere ad latus dextrum, quo significatur Christi Crucis amatorem prospera huius mundi vt dulcia vitae oblectamenta habere pro aduersis & amaris, & ex opposito, huius saeculi aduersitates & amarores reputare secunda & dulcia Christi magistri sui exemplo, qui passionis amarum calicem summo gaudio ebibit. 9. *Sacerdoti huius mundi dulcia debent esse amara, & contrà amara dulcia.*

Postremò, idem qui suprà Iuo notat stolam cum zonâ Albę vel poderis quibusdam nexibus colligari quia virtutes virtutibus adiuuantur, ne aliquo tentationis impulsu moueantur. Maximè autem virtutes patientiâ & prudentiâ conseruantur. Patientiâ, ne aliquo daemonis incursu obedientia concutiatur; prudentiâ, ne blandimentis peccatorum subuertatur, Prouerb. 4. *Posside prudentiam & dimittas illam & custodiet te, dilige eam & conseruabit te.* Vide & Gabrielem supra. 10. *Indicatur virtutum connexio.*

CA-

CAPVT XV.

Quæ symbola Casula nobis proponit.

1. *Vnde nomen Casulæ.* SVmmum & præcipuum Presbyteri sacrum obituri ornamentum Casula est, quam & Planetam nuncupant Græco vocabulo, & respondet tunicæ Hyacinthinæ summi Pontificis Iudæorum.

Porrò Casula nominata sic putatur, quòd instar paruæ casæ totum Sacerdotis corpus contegat & ornet, sicut cælum nominatum, quòd omnia celet, id est, velet, *& quod tegit omnia cælum*; hoc autem olim magis locum habebat, cùm Casula non solùm tergum & pectus, sed etiam brachia sacerdotis tota clausa & non recisa complecteretur, ferè sicut Pluuiale, vel Cappa, nisi quòd anteriore parte non esset aperta: reflectebatur tamen vtrimque super brachia sacerdotis: vnde ritus ille profluxisse videtur ministri à tergo Sacerdotis Casulam subleuantis, quod tunc necessarium erat ob SS. Sacramenti commodiorem eleuationem; nunc autem non requiritur, quia casula multum restricta & recisa est.

2. *Quare dicta, Planeta.* Eadem ratione dicta est Planeta, quia quasi errabũda limbis suis totum hominem circuibat, & super brachia diffluebat; quo fiebat, vt ex vtraque parte dextra & sinistra complicanda esset, vt brachia extenderet sacerdos. Ioan. Azor. Instit. Moralium lib. 10. c. 28. & alij.

3. *Putatur S. Pauli penula fuisse Casula, vel Phænolion.* Baronius tomo 1. Annalium pag. 543. agens de S. Pauli penulâ quam Troade apud Carpum reliquerat, 2. ad Timoth. 4. scribit secundum quosdam illam fuisse vestem sacram, vt testantur Græci sacri scriptores, sic dictam, quòd vno interiectu totum ambiret sacerdotem à φαίνομαι & ὅλον, quod tota conspiceretur & appareret, quam nos Planetam dicere consueuimus à πλανᾶν quod circumerrans totum ambiat corpus, sicut esse solent quæ antiquiores conseruantur, & extãt; deinde de hac re plura ibi testimonia profert, & Græcè dicitur φαινόλιον, & explicatur penula, & alibi vertitur Casula. Vnde eadem sunt Phænolion, planeta, Casula. Sic ille.

Cornelius à Lapide in locum ad Timoth. suprà plures profert significationes penulæ. Sed iuxta Tertullian. lib. de oratione cap. 12. & alios videtur fuisse vestis sacra, quam Casulam vocamus siue Planetam. Quidquid sit, probabile est penulam fuisse vestem sacram. Et hæc quidem de Nomine dicta sunto.

Mysticè, Casula nobis repræsentat coccineum vel purpureum paludamentum vel chlamydem, quâ Christus in Prætorio Pilati ludibrij causâ à Romanis militibus circumdatus fuit. Ita S. Germanus in Theoriâ rerum Ecclesiastic. quem alij sequuntur. 4. *Casula symbolum est purpurei vestimenti, quo Christus illusus, vel vestis inconsutilis, vel caritatis.*

Volunt tamen aliqui per Casulam referri Christi tunicam inconsutilem desuper contextam per totum, quâ exutus fuit, antequam Cruci affigeretur, quâ etiam pulchrè adumbratur caritas, de qua postea, quæ nullam patitur diuisionem aut separationem, sed omnes fideles sinu suo intra Ecclesiam vnam complectitur. Iterum ijdem extensione manuum sacerdotis extra casulam figurari existimant extensionem manuum Christi in Cruce; adde etiam eâdem indicari libertatem spiritus in caritate, quæ sua omnibus communicat, Ita Stephan. Eduensis & alij.

Rursus Gabriel Lect. 11. Casula, inquit notat plenitudinem gratiæ Christi, quâ membra eius adimplentur, quia *de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratiâ*, Ioan. 1.

5. *Notat etiam Ecclesiam.* Vel Casula est vniuersalis Ecclesia, quam sibi Dominus copulauit, & copulando virginem fecit, sanctificans *& mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, ad Ephes. 5. Hæc est vestis magni Sacerdotis Aaron non scindenda; in cuius oram à capite in barbam descendens gratia influxit, dum de plenitudine gratiæ Capitis, qui est Christus, acceperunt primo Apostoli, deinde omnes Ecclesiæ ministri. Ita Eduensis.

Casula vnica est, integra, vndique clausa, quia vnica Ecclesia Christi, sponsa, vna columba integra propter fidei vnitatem & Sacramentorum integritatem, cunctisque erroribus hæreticorum clausa: vna denique Ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta, in vno lapide angulari Christo coniuncta. Hæc & plura Gabriel.

Prior pars Casulæ oblonga instar columnæ repræsentat illam columnam cui Christus alligatus in flagellatione, vt posterior eius Crucem, quam humeris gestauit.

6. *Est Casula index caritatis.* Moraliter Casula Caritatem nobis proponit; etenim casula ceteris sacerdotalibus indumentis superimponitur, eminet, & decore antecellit & pretio; ita hæc omnibus virtutibus præit, eas informat, protegit, honorat, illustrat. Ita omnes qui de Ritibus scribunt, Beda, Alcuinus, Rabanus, Bonauentura. Pars anterior amplectitur dilectionem amicorum, posterior etiam inimicorum.

7. *Est iugum Domini suaue.* Adde Casulam etiam Domini iugum denotare. Orat enim sacerdos illâ se vestiens. *Domine qui dixisti, iugum meum suaue est & onus meum leue, fac vt illud portare sic valeã quod consequar tuã gratiã*: q. d. Da mihi auxilium gratiæ tuæ, vt tuis iussis, cõsilijs, sacerdotali mihi imposito muneri sic paream, & hoc ita obeam, vt gloriam tuam per gratiam tuam promerear.

Nec his obstat, quòd ante dictum sit, Stolam Christi nobis iugum insinuare, quia, vt bene Francisc. Suarez suprà, Stola significat iugum Crucis Christi, Casula verò iugum amoris: illa patientiam & fortitudinem, quæ ad iugum illud ferendũ necessaria est, hæc autem suauitatem & dulcedinem huius iugi, quam producit caritas, demonstrat. Vide Stephan. Fagundez suprà lib. 3. c. 13. n. 5.

Non prætermittam hîc inserere documentum religiosi viri Thomæ à Kempis lib. 4. de Imitatione Christi cap. 5. *Sacerdos*, inquit, *sacris vestibus indutus Christi vices gerit, vt Deum pro se & pro omni populo suppliciter & humiliter roget. Habet ante se, & retro Dominicæ Crucis signum ad memorandam iugiter Christi passionem. Ante se Crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se Cruce signatus est, vt aduersa qualibet ab alijs illata clementer pro Deo toleret. Ante se Crucem gerit, vt propria peccata lugeat, post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat.* Hæc ille admodum sapidè & piè. 8. *Sacerdos sacris vestibus indutus Christum imitetur.*

CAPVT XVI.

Quæ obseruanda circa vestes sacras.

PRimò, Amictus & Alba conficiuntur ex lino, vt habet vsus. Balteus seu cingulum ex eadem materiâ, non malè tamen contexitur ex aureis vel sericis filis intercurrentibus. Reliquæ tres ex qualibet fiunt materiâ, suntque eiusdem coloris. Ecclesia Romana solùm quinque in suis sacris vtitur coloribus, Albo, quo notatur Virginitas, vel vitæ innocentia, Rubeo, quo significatur Martyrium sanguinis, Violaceo, quo indicatur humilis pœnitentia, Viridi, 1. *Materia, & color sacrarum vestium & benedictio.*

ridi, quo signatur viridis Dei mandatorum obseruantia, Nigro, quo repræsentatur luctus pro mortuis. Hæ vestes benedicuntur ab Episcopis, Abbatibus, Superioribus Ordinum vt Guardianis, Prioribus, Rectoribus iuxta sua Priuilegia.

Secundò, dum sacerdos se induit vestibus sacris dicit Orationes ad singulas, quæ habentur in Missali. Porrò, quidquid aliqui dixerint, vt Nauarrus Enchiridij cap. 25. illas omittere non est peccatum mortale, fortè nec veniale, si absit contemptus & scandalum. Ita Anton. Diana, & ratio est manifesta, quia in Missali, nulla verba ponuntur, ex quibus colligatur præceptum. Consilij autem est illas recitare, vt pijs cogitationibus se præmuniat contra euagationes, & melius se præparet ad sacra mysteria. Vide Fagundez cap. 21.

2. *Consilij est orationes recitare ad sacras vestes.*

3. *Cingulum non necessariò benedicitur.*

Tertiò dubitatur, an cingulum debeat esse benedictum. Sed respondendum, licet sit probabilius debere esse benedictum propter plures Doctores & rationes, quas adferunt; probabile tamen est non esse mortale sine cingulo benedicto celebrare, sed solùm veniale, ob leuitatem materiæ: quia propriè non est vestis, vt stola vel manipulus, sed solùm Albæ ligamen & vinculum; & aiunt quidam in aliquibus regionibus non benedici. Vnde ex causa rationabili sine illo benedicto celebrare nullum erit peccatum. Ita cum Fagunde plures Doctores lib. 3. de primo præcepto Ecclesiæ cap. 23. n. 11. & 12. Sic etiam tenet Scot. Richard. Paludan. Siluester, Henriquez & præter illos Emman. Sa V. *Missa* n. 10.

Nec refert quòd illius benedictio ponatur in Missali vel Pontificali, nam ibi ponuntur etiam benedictiones pro alijs rebus, vt pro tobaleis vel mappis altaris, pixide conseruandæ V. Eucharistiæ &c. quæ tamen ex communi Doctorum sententiâ non requirunt consecrationem vel benedictionem.

Quartò, licitum est sacrificare cum cingulo fracto si vna pars sufficiat ad sacerdotem cingendum: consilium tamen est antequam ex toto rumpatur, illud iam frangi cœptum nectere & firmare, quia sic retinet benedictionem. Docet tamen *Sa suprà*, cingulum fractum posse necti si pars altera non sufficiat; & addit Diana, Cingulum fractum non amittere benedictionem, & licere vti vel parte longiore aut duabus partibus simul nexis absque nouâ benedictione: In Compendio Diana V. *Consecratio*. Notat Gauant. p. 2. ligamina cinguli omnibus quibus te cingis magis esse de formâ cinguli, quàm illæ eiusdem partes quæ pendent versus terram, vt scias ferre iudicium de eodem iterum benedicendo.

4. *Licitum est vti cingulo fracto, &c.*

Quintò, potest etiam sacerdos loco cinguli vti stolâ, si illud desit, & loco stolæ vti manipulo, si longior sit: si verò ex stola fiat manipulus, & ex manipulo stola, & vnum pro altero vsurpetur, non est necesse vt iterū noua benedictione benedicatur, quando ante benedicta fuerāt. Ita Fagundez suprà n. 13. & alij.

Sextò si vestes sacræ ita diuidantur vel atterantur vt inutiles fiant ad vsum ad quem ab Ecclesiâ ordinatæ sunt, perit earum benedictio, vt si manica Albæ separetur à reliquâ veste, & sic de ceteris. Ita omnes. Quod si vestes sacræ antequam formam amittant paulatim reficiantur manent benedictæ.

5. *Perit benedictio si vestes vsum amittant.*

Septimò, celebrare sine aliqua ex his vestibus benedictis, vel cum aliqua non benedicta extra casum necessitatis peccatum est mortale; sed in casu necessitatis v. g. periculo mortis absque aliquâ ex minoribus, licebit. Ita Suarez, Sa, Diana. Nullo autem licebit casu sine omnibus illis celebrare non benedictis, imò nec sine aliqua non benedicta.

nedicta cum contemptu fidei vel scandalo. Quod si quis bonâ fide ijs non benedictis vsus fuerit, habebũtur postea benedictæ, inquit Diana p. 2. Resol. 69. sed Cardin. de Lugo de V. Eucharistia disp. 20. sect. 2. illud reijcit vt improbabile agens de Calice.

Octauò: Celebrare cum vestibus sacris valde immundis vel enormiter attritis secundum omnes peccatum est mortale contra ius naturæ, quod iubet Sancta sanctè tractanda.

CAPVT XVII.

An necessarius minister cum missali?

1. *Requiritur vnus saltem minister in sacrificio.* PRimò dicendum; requiri in Missis priuatis vnum saltem ministrum, qui vicem populi suppleat, vt patet ex generali Ecclesiæ consuetudine.

Adde, nec prohibitum esse Missam canere cum vno solo ministro, vt cõtingit in pagis minoribus, nec necesse est vt semper canatur sacrum cũ Diacono & Subdiacono, licèt hoc ad reuerentiam Sacrificij conferat (si fieri possit) & ad splendorem Ecclesiæ, & populi deuotionem excitandam. Sed seruanda in hoc particularis cuiusque Ecclesiæ consuetudo: Vnde & more publico decretum Soteris Papæ de duobus adhibendis ministris in sacrificio, abrogatum est. Vide Ioann. Azor. tom. 1. Institut. Moral. lib. 10. c. 29. quæst. 1. & sequentibus.

2. *Non potest esse femina.* Dicendum secundò, hunc ministrum non posse esse mulierem vt communiter omnes tenent, & constat ex Cap. *Inhibendum* de cohabitatione Clericorum & mulierum. *Prohibendum*, inquit, *est, vt nulla fæmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare aut sedere &c.* Remotè tamen interdum fœminæ respondere possunt sacerdoti, sicut in Missa solemni fieri solet in choro monialium, sed tunc adesse debet minister immediatus. Vnde rectè ait Dominic. Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 5. ob nullam necessitatem id esse permittendum, potiusque sacerdotem debere sibi ipsi ministrare quàm ad sacrificij ministerium fœminam adhibere, Estque peccatum mortale hoc permittere. 3. *Celebrare ministrante femina peccatum est mortale.*

Tertiò oritur hinc dubium, an aliquando liceat sine vllo ministro Sacrificium peragere.

Respondetur licere cum dispensatione Pontificis, sine illa ordinariè non licere: quocirca non excusantur Anachoretæ qui sine necessitate soli celebrant. Dixi autem *ordinariè*, quia ob vrgentem causam sine dispensatione liceret, V. G. si aliquis infirmus sine viatico esset vitâ discessurus, si sacerdos in aliquo celebriore festo esset Sacrificio cariturus. Ita Sotus suprà, & Azor. Suarez disput. 87. sectione prima, Fagundez de primo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 21. n. 6. Diana & alij. Ego nec peccati mortalis damnarim eum, qui simili instante necessitate quocumque die festo id faceret: sine minore etiam necessitate licitum esset vti ministro cui sacerdos deberet prçire verba responsionum simul cum illo respondendo. Vide Gabriel Vasquez 3. parte tom. 3. qu. 83. art. 5. 4. *Ex necessitate licet celebrare sine ministro.*

Porrò multa sunt quæ accendere meritò homines cordatos & Orthodoxos possint ad reuerenter & prompto animo Liturgo in Missa seruiendum.

Primum, quia officio funguntur Angelorum, qui Matth. 4. Christo in deserto ministrarunt, qui hic in Liturgiâ primarius offerens est; proinde & sæpe cœlestes illi Spiritus non solùm sacerdotibus facientibus astiterunt, sed etiam reuerenter seruierunt: Plura exem- 5. *Angeli sacerdotibus ministrarunt.*

exempla suo loco adferentur. Vnum & alterum sufficiet.

6. *Vt Ioanni de Parmâ.* Frater Ioannes de Parmâ Ordinis S. Francisci quondam minister Generalis, officio defunctus, in quodam sacello sacris operabatur, pro more illi ministrante eiusdem Ordinis religioso. Accidit autem aliquando vt minister hic antelucanis precibus fatigatus hora sacro seruiendi proxima sopore pressus iaceret. Cùm igitur Ioannes Ministrũ perquirit nec reperit, ad Missam faciendam se accingit sperans ministrum more suo breuî adfuturum. Aderat hora constituta nec frater ille comparebat. Sed ecce adest Angelus vultu & veste illi similis Religioso, & fit minister. Sacrificio iam peracto frater ille in somnis se à Ioanne de Parma accersitum percipit. Excitatur, sacerdotem adit, & petit an velit sacrificare. Tum vir Dei agnouit Angelum non religiosum sibi ministrasse. Ita Chronica Minorum Tom. 2. lib. 1.

7. *Item S. Oswaldo.* Rursus S. Oswaldo Episcopo Wigorniensi sacris mysterijs operanti officiosè ministrauit Angelus, & ad singula respondit, ministro ordinario præ metu tacente. Vide Surium Octobr. 15. in vitâ eius cap. 16.

8. *Viri sancti Missæ deseruierunt.* Secundum, quia plures viri sanctimoniâ insignes in hoc magnifico ministerio illis præiuerunt, & præluxerunt: vt enim prætercam S. Stephanum Protomartyrem, qui S. Iacobo minori, primo Hierosolymæ Episcopo in Eucharistico officio tamquam Diaconus astitit & ministrauit, vt testatur S. Ignat. Epist. ad Hieronem, & S. Laurentium Archidiaconum, qui Sixto Pontifici similiter deseruijt, vt inter alios scribit S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 31. S. certè Thomas Aquinas, qui quotidie celebrabat, hoc tamẽ contentus non erat, sed etiam alterius sacerdotis Missam audiebat, cui etiam vt plurimũ inseruiebat. Suo loco plura

Tertium, frequenter Deus prodigijs cœlestibus hoc ministerium sibi placere monstrauit. Vnum solùm adnoto ex Chronicis Eremitarum S. Augustin, auctore Iosepho Pamphilo. Fuit Ioannes Reatinus insigni virtute iuuenis qui sacerdotibus omnibus indifferenter summâ cum diligentiâ ad Missam subseruiebat: per aliquot autem ante obitum dies aduolauit ad eum Philomela quotidie ad fenestram eius dulcissimè cantillans; interrogatus verò quid illa vellet, respondebat lepidè: sponsam esse suam, se ad paradisum inuitantem. Idem quodam die Sacro ministrans vidit altare luce diuinâ perfundi, & exinde cœpit ipse lecto decumbere, & magno pietatis sensu spiritum suum Deo Creatori reddidit. 9. *Deus miraculis honorat Missæ seruientes, vt Ioannem Reatinum.*

Postremum, sunt vberrimi fructus, qui diuinitus communicantur hoc Angelicum munus dignè obeuntibus, de qua re plura suo loco dicenda. 10. *Datur peculiaris fructus ex opere operato ministro.*

Jam solùm assero admodum probabile esse ministro proprium aliquem fructum huius sacrificij applicari ex opere operato, quem cõsequitur, etiam si sacerdos suâ intentione particulari nihil illi assignet. Ita cum alijs Suarez tom. 3. in part. 3. quæst. 83. disput. 79. sectione 8. §. 4. quia proximè post sacerdotem offert, & vicem totius populi & Ecclesiæ subit.

Ceterùm plurima emolumenta spiritualia & temporalia, quæ ex ministerio hoc sacro colliguntur, fusè inter alios recensent Franciscus Toletus lib. 6. de Instructione Sacerdotum c. 10. Quomodo audiendum sacrum, & quæ vtilitas ex eius auditione: vbi numerat quinque eius commoda. Fusiùs verò hoc argumentum prosequitur Alphons Salmeron operum tom. 9. Tractatu 43. in quo agitur de fructibus & beneficijs, quę ex auditu Missę capiuntur; ac de modo fructuosè tanto sacrificio 11. *Fructus qui proueniunt ministro Missæ.*

crificio assistendi: vbi septem beneficia commemorat.

Citatur etiam pro hoc S. Bonauentura tractatu de Interiore homine, sed hunc inter eius opuscula reperire non potui.

Quâ porrò fide, reuerentia, & caritate ornatus quis augustissimo sacrificio assistere debeat, docent Auctores producti Salmeron & Toletus.

12. *Commendatur Missae ministerium.* Obserua peculiariter conuenire Liturgiae ministrantibus illa quae dixit Christus suis Apostolis Lucae 10. & Matth. 13. *Beati oculi qui vident quae vos videtis &c.* Vident enim Christum saltem, sub speciebus contentum; & quamuis non videant aspectu corporeo, beati tamen etiam illi qui non viderunt, sed crediderunt. Feliciores multo famulis Salomonis atriensibus & pocillatoribus; de quibus nihilominus verè pronuntiauit Regina Saba 3. Reg. 10. v. 8. *Beati viri tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Et ecce plusquam Salomon, hic.* Feliciores eunuchis & pueris Chaldaeis, qui stabãt in conspectu regis Nabuchodonosoris Dan. 1. & Sapientibus qui regi Assuero semper ad erant Esther 1. v. 13. Similes illi mihi videntur septem spiritibus, qui astant ante Dominum, è quorum numero vnus erat Raphael Angelus, Tobiae 12. 15. Sunt hi intimi summi Regis cubicularij, paredri, assessores, mensae ministri, quorum in aulis regum summa dignitas est. Vt insignis fuit praerogatiua Christi Cruci astare quod concessũ Virgini Matri, discipulo dilecto, Magdalenae, bono Latroni & ceteris; ita & eidem mysticè in Crucis altari morienti ministrare. Sicut Sol sibi viciniora maiori luce perfundit & calorem influit, ita sibi vicinis ministris plus gratiae & donorum spiritualium infundit Sol iustitiae Christus.

Insuper minister sacerdotis deferre debet Missale ad altare, sed clausum, quo significatur mysteria Aduentus Christi in mundum, Incarnationis, & Passionis ipsius in lege veteri fuisse obsignata donec Agnus ea aperiret.

Porrò sine Missali (quod contineat dicenda in sacrificio maximè totum Canonem) celebrare peccatum est mortale, propter consuetudinem Ecclesiae, periculum errandi, & communem Doctorum sententiam, quamuis praeceptum in Iure non inueniatur. Plurimos citat Fagundez lib. 3. de primo Ecclesiae praecepto cap. 21. n. 23. 13 *Sine Missali facere peccatum est mortale.*

Quaeres, an in aliquo casu sacerdos possit celebrare sine Missali, ita vt non incurrat culpam laetalem. Quidam Doctores, quos citat Antonin. Diana, putant fieri posse: vt si necessitas vrgeat & Missale desit, & bona fide sacerdos existimet se posse absque errore recitare. Nec Vasquez disput. 233. cap. 3. facit scrupulum, si absit scandalum & nota omnis exterior, & periculum labendi ex defectu memoriae, & aliqua rationabilis causa adsit: V. G. si sacerdos vix videat, vt legat, satis tamen videt vt Missae actiones exhibeat: tunc enim satis est adhibere Missale vt scandalum vitetur, etsi legere non possit. Ego certè non facilè concesserim sine libro facere: quia cùm sacerdos illum ad manum soleat habere, licet memoriter omnia ferè recitet; tamen si ille desit, facilè perturbatur animus etiam in viro excellenti memoriâ; vnde & imaginatio facit casum. Lugo tamen sententiam Vasquez probabilem ait. 14 *Dubium an aliquando liceat.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

An necessariò offerendum hoc sacrificium in loco sancto, & altari consecrato?

NIhil hîc dicendum mihi de antiquitate, formâ, situ, fine, consecratione, ornatu templorum & ædium sacrarum, de quibus fusè & luculentè differuerunt tum alij, tum Ioann. Stephan. Durantus lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ, maximè quatuor primis capitibus, & Bellarm. tom. 1. Controuers. lib. 3. de Cultu Sanctorum, sex item primis capitibus.

Solum interpono hîc verba quædam S. Hieronymi epist. 3. ad Heliodorum, quæ præfert titulum Epitaphij Nepotiani; vbi inter eius Encomia hæc habet de cura eius in locis ornandis (quem tamen Nouatores nostri adferunt tamquam parum fauentem templorum cultui) Sic ergo scribit cap. 5.

1. *Commendatur Nepotianus à cultu templorum.*

Erat ergo sollicitus (Nepotianus) *si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrariũ mundũ, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus negligebat officium, vbicumque eum quæreres in Ecclesia inuenires.* Et post aliqua allata de ijs qui templi Salomonici & tabernaculi Mosaici supellectilem fabricati sunt, & alijs; hæc subijcit de Nepotiano. *Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas Ecclesiæ & Martyrum conciliabula diuersis floribus & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrarit, vt quidquid placebat in Ecclesiâ, tam dispositione quàm visu, Presbyteri laborem* (Nam sacerdos erat Nepotianus) *& studium testaretur. Macte virtute; cuius talia principia, qualis finis erit?* Hæc S. Pater; vnde sequitur illum non laudasse illaudatum.

Ante omnia asserendum, Missæ sacrificium extra locum sacrum non offerendum saltem ordinariè & sine dispensatione.

2. *Ordinariè non celebrandum extra locum sacrum.*

Præter Ecclesiæ statutum sic præcipientis plures succurrunt rationes, quæ pertinent vel ad dignitatem tanti sacrificij (quod alioqui contemni videretur, & vilesceret) vel ad reuerentiam & deuotionem populi excitandam. S. Basilius in Regulis breuioribus hanc interrogationem ponit 310. *Numquid in communi domo Dominica cœna debeat celebrari?* & responsionem hanc subijcit. *Quemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari; cùm ex iussu Dei in veteri testamento nihil isto modo fieri permittatur. Cùm autem Dominus dicat; Plusquam templum est hîc, & Apostolus item: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum; &c. sanè admonetur, non debere nos neque communem cœnam in Ecclesia manducare aut bibere, neque Dominicam in priuata domo in contumelia habere, extra quam siquis, cùm necessitas poscat, locum, ædemue elegantiorem deligat in tempore opportuno.* Hæc ibi.

3. *Decet S. Basilius, & Tridentinum.*

Vbi ostendit contumeliam fieri sacrificio, si in ædibus communibus extra casum necessitatis offeratur. Sancta Tridentina Synodus Sess. 22. in Decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, sic statuit: *Ne patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Igitur Missæ sacrificium offerre extra locum sacrum, consecratum, benedictum vel saltem auctoritate Episcopi ad diuinum cultum deputatum (quæ designatio, vt Vasquez Disput. 333. cap. 1. æquiualet consecrationi vel benedictioni) ex communi sententiâ Doctorum peccatum est mortale sine dispensatione vel graui causa: vnde

3. *Celebrare in loco profano sine graui causâ vel dispensatione est mortale peccatum.*

torrenti

crificio assistendi: vbi septem beneficia commemorat.

Citatur etiam pro hoc S. Bonauentura tractatu de Interiore homine, sed hunc inter eius opuscula reperire non potui.

Quâ porrò fide, reuerentia, & caritate ornatus quis augustissimo sacrificio assistere debeat, docent Auctores producti Salmeron & Toletus.

12. *Commendatur Missæ ministerium.* Obserua peculiariter conuenire Liturgiæ ministrantibus illa quæ dixit Christus suis Apostolis Lucæ 10. & Matth. 13. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis &c.* Vident enim Christum saltem, sub speciebus contentum; & quamuis non videant aspectu corporeo, beati tamen etiam illi qui non viderunt, sed crediderunt. Feliciores multo famulis Salomonis atriensibus & pocillatoribus; de quibus nihilominus verè pronuntiauit Regina Saba 3. Reg. 10. v. 8. *Beati viri tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Et ecce plusquam Salomon, hic.* Feliciores eunuchis & pueris Chaldæis, qui stabāt in conspectu regis Nabuchodonosoris Dan. 1. & Sapientibus qui regi Assuero semper ad erant Esther 1. v. 13. Similes illi mihi videntur septem spiritibus, qui astant ante Dominum, è quorum numero vnus erat Raphael Angelus, Tobiæ 12. 15. Sunt hi intimi summi Regis cubicularij, paredri, assessores, mensæ ministri, quorum in aulis regum summa dignitas est. Vt insignis fuit prærogatiua Christi Cruci astare quod concessū Virgini Matri, discipulo dilecto, Magdalenæ, bono Latroni & ceteris; ita & eidem mysticè in Crucis altari morienti ministrare. Sicut Sol sibi viciniora maiori luce perfundit & calorem influit, ita sibi vicinis ministris plus gratiæ & donorum spiritualium infundit Sol iustitiæ Christus.

Insuper minister sacerdotis deferre debet Missale ad altare, sed clausum, quo significatur mysteria Aduentus Christi in mundum, Incarnationis, & Passionis ipsius in lege veteri fuisse obsignata donec Agnus ea aperiret.

Porrò sine Missali (quod contineat dicenda in sacrificio maximè totum Canonem) celebrare peccatum est mortale, propter consuetudinem Ecclesiæ, periculum errandi, & communem Doctorum sententiam, quamuis præceptum in Iure non inueniatur. Plurimos citat Fagundez lib. 3. de primo Ecclesiæ præcepto cap. 21. n. 23. 13 *Sine Missali facere peccatum est mortale.*

Quæres, an in aliquo casu sacerdos possit celebrare sine Missali, ita vt non incurrat culpam lætalem. Quidam Doctores, quos citat Antonin. Diana, putant fieri posse: vt si necessitas vrgeat & Missale desit, & bona fide sacerdos existimet se posse absque errore recitare. Nec Vasquez disput. 233. cap. 3. facit scrupulum, si absit scandalum & nota omnis exterior, & periculum labendi ex defectu memoriæ, & aliqua rationabilis causa adsit: V. G. si sacerdos vix videat, vt legat, satis tamen videt vt Missæ actiones exhibeat: tunc enim satis est adhibere Missale vt scandalum vitetur, etsi legere non possit. Ego certè non facilè concesserim sine libro facere; quia cùm sacerdos illum ad manum soleat habere, licet memoriter omnia ferè recitet; tamen si ille desit, facilè perturbatur animus etiam in viro excellenti memoriâ; vnde & imaginatio facit casum. Lugo tamen sententiam Vasquez probabilem ait. 14. *Dubium an aliquando liceat.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

An necessariò offerendum hoc sacrificium in loco sancto, & altari consecrato?

NIhil hîc dicendum mihi de antiquitate, formâ, situ, fine, consecratione, ornatu templorum & ædium sacrarum, de quibus fusè & luculentè disseruerunt tum alij, tum Ioann. Stephan. Durantus lib. 1. de Ritibus Ecclesiæ, maximè quatuor primis capitibus, & Bellarm. tom. 1. Controuers. lib. 3. de Cultu Sanctorum, sex item primis capitibus.

Solum interpono hîc verba quædam S. Hieronymi epist. 3. ad Heliodorum, quæ præfert titulum Epitaphij Nepotiani; vbi inter eius Encomia hæc habet de cura eius in locis ornandis (quem tamen Nouatores nostri adferunt tamquam parum fauentem templorum cultui) Sic ergo scribit cap. 5.

1\. *Commendatur Nepotianus à cultu templorum.* *Erat ergo sollicitus* (Nepotianus) *si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrariũ mundũ, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus negligebat officium, vbicumque eum quæreres in Ecclesia inuenires.* Et post aliqua allata de ijs qui templi Salomonici & tabernaculi Mosaici supellectilem fabricati sunt, & alijs; hæc subijcit de Nepotiano. *Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas Ecclesiæ & Martyrum conciliabula diuersis floribus & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrarit, vt quidquid placebat in Ecclesiâ, tam dispositione quàm visu, Presbyteri laborem* (Nam sacerdos erat Nepotianus) *& studium testaretur. Macte virtute; cuius talia principia, qualis finis erit?* Hæc S. Pater; vnde sequitur illum non laudasse illaudatum.

Ante omnia asserendum, Missæ sacrificium extra locum sacrum non offerendum saltem ordinariè & sine dispensatione. 2. *Ordinariè non celebrandum extra locum sacrum.*

Præter Ecclesiæ statutum sic præcipientis plures succurrunt rationes, quæ pertinent vel ad dignitatem tanti sacrificij (quod alioqui contemni videretur, & vilesceret) vel ad reuerentiam & deuotionem populi excitandam. S. Basilius in Regulis breuioribus hanc interrogationem ponit 310. *Numquid in communi domo Dominica cœna debeat celebrari?* & responsionem hanc subijcit. *Quemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari; cùm ex iussu Dei in veteri testamento nihil isto modo fieri permittatur. Cùm autem Dominus dicat; Plusquam templum est hic, & Apostolus item: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum; &c. sanè admonetur, non debere nos neque communem cœnam in Ecclesia manducare aut bibere, neque Dominicam in priuata domo in contumelia habere, extra quam siquis, cùm necessitas pôscat, locum, ædemue elegantiorem deligat in tempore opportuno.* Hæc ibi. 3. *Docet S. Basilius, & Tridentinum.*

Vbi ostendit contumeliam fieri sacrificio, si in ædibus communibus extra casum necessitatis offeratur. Sancta Tridentina Synodus Sess. 22. in Decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, sic statuit: *Ne patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Igitur Missæ sacrificium offerre extra locum sacrum, consecratum, benedictum vel saltem auctoritate Episcopi ad diuinum cultum deputatum (quæ designatio, vt Vasquez Disput. 233. cap. 1. æquiualet consecrationi vel benedictioni) ex communi sententiâ Doctorum peccatum est mortale sine dispensatione vel graui causa: vnde 3. *Celebrare in loco profano sine graui causâ vel dispensatione est mortale peccatum.*

torrenti Scholasticorum restitit Sotus, dum in 4. d. 13. quæst. 2. art. 3. docet hoc non esse graue, si absque contemptu & scandalo fiat.

Ante Tridentinum dispensatio dabatur ab Episcopis, vt quouis loco honesto sine aliâ causâ liceret facere, vt patet c. *Missarum*, de Consecrat. dist. 1. Sed hæc res post habitum Concil. restricta paululum est, itemq; per Bullam Pauli quinti, an. 1615. Nihilominus probabile est ex plurium Doctorum iudicio non esse ademptam potestatem Episcopis dispensandi vt celebretur

5. *Dispensat Episcopus ex causa iusta.*

Missa extra locum sacrum, quando iusta causa interuenit. Vnde solùm censetur Concil. prohibere Episcopis, ne id permittant pro suo arbitratu & sine iusta causa, sicut antea permittere poterant: Gauantus tamen p. 1. tit. 20. vult hanc facultatem illis ablatam per Bullam vel Epistolam Pauli 5. de qua suprà.

Possunt etiam Episcopi in domo priuatâ locum certum assignare, qui maneat cultui diuino deputatus, & concedere, vt ibi Sacrum quotidie dicatur super altare portatile, quamuis locus non sit benedictus. Domus autem vel Palatium Episcopi non censetur domus priuata, vnde ibidem Sacellum deputari potest, vt celebretur.

Rursus possunt ijdem pro suo arbitratu dicere sacrum in domo vel extra eam quando sunt in via. Idem poterant olim Ordines mendicantes, quolibet loco honesto, scilicet celebrare cum altari portatili; sed hoc reuocatum est per Tridentinum suprà, (nisi postea auctoritate Pontificis sit illis iterum concessum): quamquam multi negant hoc priuilegium reuocatum esse, quamdiu Episcopus non contradicit.

6. *Concessum est Societati Iesu priuilegium celebrandi in missionibus extra locum sacrum & etiam Collegijs.*

Aduerte tamen, etiam post Tridentinum, posse Presbyteros Societatis nostræ in Missionibus, quæ à Superiore fiunt, debita cum reuerentia sacrificium super Altari viatico celebrare vbique gentium, etiam in castris militum, modò loca etsi communia & profana, honesta & tuta sint, & ità iudicauerint Superiores. Ita habent Priuilegia nostra V. *Altare*, & concessit Gregor. 13. vt constat ex nostro Bullario pag. 193. & sequent. Est autem hoc Priuilegium personale, vnde alij qui fortè nostrorum socij in itinere fuerint, eo frui nequeunt.

Idem Gregor. vt habetur suprà pag. 143. & V. *Oratoria*, dedit facultatem, vt in Oratorijs & Capellis, quæ Prouinciales Societatis per seipsos in Domibus, Collegijs & alijs locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum cultum dumtaxat deputauerint, Missæ & alia diuina officia celebrari possint nullius alterius ad id requisitâ licentiâ.

Est autem hoc priuilegium locale, vnde etiam alij, qui de Societate non sunt, illo gaudere possunt. Dixi non posse Missam extra locum sacrum celebrari sine iusta causâ, quia positâ illâ liceret, vt docent omnes Doctores, v. g. in itinere, vt D. Thomas, quod intellige, si multis diebus non occurrat alius locus decentior. Frequentiùs talis casus occurrit vt sub dio sacrificium fiat in castris militum, vel in magno populi conuentu ad exigua Oratoria, quæ populum aduenientem non capiunt: debet tamen in huiusmodi casibus peti licentia Episcopi, si commodè fieri potest, quòd si non possit, sufficiet ipsa necessitas.

7. *Ponuntur causæ iustæ quibus liceat extra Ecclesiam facere.*

Maior difficultas est, an in mari possit interdum hoc sacrificium peragi. Negat Suarez ob vllam necessitatem hoc licere, Disput. 81. sect. 3. & plures adfert Doctores, & rationem dat, quia periculum est ne Christi effundatur sanguis.

Verùm hoc tempore contrarium habet

8. *In mari licitum est celebrare, quando non est tempestas.* habet praxis: Siquidem Patres nostri Dunckercâ soluentes in Hispaniam vel in regiones alias sine scrupulo liberè & securè celebrant in nauibus vbi maris fauet malacia, & Oceanus tranquillus est. Vnde dicendum est iure antiquo hoc non licuisse; iam tamen ex priuilegio concedi, Nam Clemens 8. & Paulus 5. indulserunt hoc Patribus Societatis nostræ, vt in Indiarum Orientalium nauigatione Missa (non solùm sicca, sed verâ & integrâ cũ Sacramenti consecratione) celebrari possit sereno cælo & tranquillo mari. Nam tũc non est periculum effusionis Sanguinis, & caueri hoc possit, si alius sacerdos calicem consecratum manu contineat ne effundatur. Adde olim sanctos viros in mari celebrasse vt ostendit Stephan. Fagundez lib. 3. de primo præcepto Ecclesiæ cap. 10. num. 14 & iam id licitè in praxin duci posse docet.

9. *Miraculo Deus approbauit Missam in mari.* Solùm referam hîc miraculum, quod in mari nostro Morinis vicino accidit, ex quo Deus probasse videtur Missæ celebrationem etiam in mari. Scribit Ionas monachus in vita S. Wlfranni Archiepiscopi Senonensis (& habetur apud Surium die 20. Martij) & ex eo plures scriptores, & inter eos Baron. tomo Annal. 8. anno Christi 700. hoc quod subijcio. Dum, inquit Wando Abbas ad Ionam scribens, nauigaremus in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua sacrificium victimæ salutaris immolandum erat. Tunc positis anchoris nauis immobilis permanebat. Et celebrante Sancto Wlfranno Missarum solemnia, ventum est ad locum vbi minister patenam Præsuli porrigere debuit.

Sed dum minister eam abluere vellet, in mare cecidit, isque prostratus humiliter facti sui veniam precabatur. Mox autem Wlfrannus flectens genua sua Dei precabatur clementiam, vt qui in mari rubro fecerat mirabilia precibus suis adesset. Finitâ verò oratione imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat locum, mitteret manum: quo facto mox ab imo maris eadem patena reuecta diuinitus eiusdem ministri manu inhæsit; sicque commixtionem Corporis & Sanguinis idem Præsul faciens, Deum glorificans Missarum solemnia compleuit. Hæc ibi, quibus relatis, hæc suprà subnectit Baron. Ex quibus præter insignis miraculi virtutem intelligis Lector non destitisse sanctos viros in mari etiam, cùm tranquillitas esset religata anchoris naui, celebrare sacrosanctum sacrificium Missæ Deo maximè gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefecit. Sic Cardinal. Ergo & nobis simili euentu in mari Oceano idem facere licebit. Siquis hanc sententiam fusiùs explicatam; & eruditè propugnatam legere desiderat; consulat Cardinal. de Lugo Disputat. de Euchar. 10. sect. 3. Præterea dicendum, hoc sacrificium offerri debere in loco non violato.

Solùm hîc indico breuiter, quibus casibus hæc profanatio fiat, particularia omnia breuitatis causâ prætermittens, de quibus præter alios fusè scripsit Suarez suprà sect. 4. & Fagundez etiam supra cap. 4. 10. *Celebrandum sacrum in loco non violato.*

Profanatur primò, voluntaria hominis cæde. 11. *Casus, quibus hæc violatio fiat.*

2. Per iniuriosam, & voluntariam sanguinis in copia effusionem.

3. Per voluntariam & notabilem effusionem seminis humani.

4. Ex sepultura excommunicati nominatim & denuntiati vel notorij Clerici percussoris.

5. Ex sepultura infidelis, Iudæi. Pagani, vel infantis nondum baptizati.

Obserua interim non censeri locum violatum nisi res sit publica, idque vel iuridica confessione vel euidentia facti, ita vt passim constet: quinimò probabile

babile est in hoc casu non sufficere quamcumque notitiam facti, sed debere per sententiam Iudicis significari Ecclesiam illam esse pollutam.

12. *Peccatur mortaliter si absq; necessitate in violato loco Missa fiat.* Deinde sciendum non incurri irregularitatem vel suspensionem celebrando in loco violato, sed peccatum mortiferum, si fiat sine necessitate (qualis esset, si populus careret Missa die festo, si dandum viaticum infirmo & adiri non possit Episcopus, &c.) priuilegio, dispensatione, vti dispensare potest Episcopus in necessitate.

Demum, si contingat Ecclesiam profanari sacerdote celebrante, si quidem sacerdos Canonem inceperit, sacrum esse absoluendum; si verò antea, cessandum est, donec Ecclesia reconcilietur, quam reconciliare potest, si solùm sit benedicta.

Postremo, casus positi solùm valent pro Ecclesijs consecratis vel benedictis; docent tamen alij, eosdem etiam habere locum in Oratoriis ab Episcopo ad sacrum dicendum deputatis. Consecratio fit à solo Episcopo, quando parietes inunguntur Chrismate, benedictio fit aqua benedicta, estque in ipso solo siue terra.

13. *Peccatum est mortale celebratum altari non consecrato.* Præterea, sacrificium necessariò offerendum est in altari lapideo consecrato, siue illud fixum fuerit siue portatile, Ita S. Thom. qu. 83. art. 3. ad 5. vbi hæc habet: *Sicut legitur de Consecrat. d. 1. Altaria si non fuerint lapidea Chrismatis vnctione non consecrentur. Quod quidem competit & significationi huius Sacramenti, tum quia altare significat Christum iuxta illud; Petra autem erat Christus, tum etiam quia corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum: competit etiam quoad vsum Sacramenti, lapis enim est solidus, & facilè reperiri potest vbique*, &c. Vnde celebrare in altari non consecrato lapideo peccatum est mortale nec dispensat in eo nisi solus Pontifex. Nullus autem consecrat altare nisi Episcopus, vel habens commissionem à Pontifice.

14. *In altari fixo mensa superior, quæ inungitur debet esse lapidea, &c.* Nota porrò in altari fixo sufficere vt superior mensa sit lapidea; illa enim sola inungitur, inferior structura potest esse vel ex ligno vel ex terrâ. Adde non requiri lapidem esse ingentem, satis est vt capiat Hostiam & calicem saltem pro maiori parte; quod maximè locum habet in altari portali, vnde quando hoc altare includitur tabulæ vel capsellæ ligneæ, non ita scrupulosè curandum, vt tota hostia vel totus calix sit in lapide, sufficit vt maxima pars in eo contineatur, sic vt calix & patena lapide sustentari possint ne cadant. Ita Coninck q. 83. art. 3. dub. 2. Suarez & alij. Non potest autem sacrificari in ara constante duobus lapidibus, vt passim doctores.

15. *Quando pereat altaris fixi consecratio.* Vlteriùs aduerte perire Altaris consecrationem: primò, si lapis ita frangatur, vt in neutrâ parte possit commodè hostia & calix collocari, quòd si altera pars ad hoc sit sufficiens, illa manet consecrata, quia figura quadrata non est de substantiâ altaris.

Deinde perit consecratio si lapis superior siue mensa altaris à sua basi & structura separetur, cui erat imposita, & ratio est, quia in coniunctione mensæ cum sua basi consistit consecratio: hoc autem maximè verum est, si mensa altaris innitatur columellis: nam alioqui si vnus aliquis lapis inferior separetur à mensa, non propterea perit consecratio, quia manet figura altaris. Similiter non amittitur consecratio, si totum altare loco moueatur sine separatione mensæ ab inferioribus lapidibus: nec etiam violatur altare per fractionem sigilli vel sepulcri, vt Coninck supra. Præterea altare portatile non amittit consecrationem, quamuis tabella lignea, cui erat inclusum remoueatur; nam illa solùm seruit illius custodiæ vel ornatui, neque in eo consistit consecratio, sed in lapide solo. Card. de

de Lugo disp. 20. sect. 2. agens de Altari fortiter probat particulas pro sumptione populi consecratas non solùm debere esse in arâ tempore consecrationis, sed etiam vsque ad finem sacrificij & praxim contrariam, si quæ sit, sugillat.

16. *Reliquiæ non sunt de necessitate consecrationis.* Postremò, Reliquiæ sacræ non pertinent ad rationem consecrationis nec ex vllô Canone hoc probatur, vt rectè Suarez disput. 81. sect. 5. Vasquez disp. 233. cap. 2.

Nec obstat, quòd sacerdos altare ascendens sic precetur: *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt*, &c. quia, vt bene Fagundez, intelligitur illa oratio, de eo quod ordinariè est, & lex vera est etiam si vno atque altero casu deficiat.

Locus hic datur agendi de antiquitate, dignitate, vsu, cultu altarium, quæ hic breuitatis gratiâ prætermimus, quâ de re copiosè disserit Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus c. 15. & 25.

Ceterùm altare mysticè tria nobis proponit, primò, mensam, in qua Christus in Cœnâ nouissimâ incruentum instituit sacrificium. Ita Amalar. lib. 1. cap. 24. Deinde & Crucem triumphalem in qua peregit cruentum. S. Bernard. Sermone de Cœna Domino.

17. *Altare mysticè significat Christum præter alia.* Tertiò demum optimè repræsentat nobis ipsum Christum, qui sicut Altare in Ecclesiâ est altissimū (vnde & dictū Altare quasi alta ara) ita ipse in Ecclesiâ est eminentissimus: & ardore (vnde venit & ara ab adolendis igne victimis) flagrantissimæ caritatis accensus. Insuper ipse est lapis angularis, & petra, vt suprà dictum, & inunctus Chrismate vnionis hypostaticæ & gratiarum. Ita S. August. Sermone 11. de Sanctis. Integer quoque lapis est Christus cuius ossa in Cruce confracta non fuerunt. Denique, quia antiquissimus vsus Ecclesiæ fuit altaribus Sanctorum, includere Reliquias; de quibus suprà. Vnde & S. Germanus in Theoriâ dicit Ecclesiam in Martyribus consummatam, & in throno eorumdem Reliquiarum fundatam: per altare quod Christum notat, significatur sanctorum vitam absconditam esse cum Christo in Deo. S. Augustin. Serm. 73. in appendice de diuersis: *Quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, vbi mors Domini quotidie celebratur: vt qui propter mortem eius mortui fuerant, sub Sacramenti eius mysterio requiescant.* Vide Baptistam Scortia de Sacrificio Missæ lib. 3. cap. 12. §. 2. Gauantum p. 1. tit. 20. Dignitas Altaris præcipuè ex eo elucet, quòd in eo Christus sacrificet & sacrificetur, vnde meliùs dicitur Græco idiomate θυσιαστήριον à sacrificando quàm altare vel ara. Quamuis & quidam hanc deriuent ab ἀρὰ id est oratio.

Egregiè Altaris dignitatem describit Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Donatistas, vbi inter alia ipsum vocat, *Sedem corporis & sanguinis Christi*. 18. *Dignitas Altaris.*

Præterea colligunt Doctores ex Apocalyps. cap. 8. v. 3. & 4. (vt suo loco ostendemus) Angelum aliquem à Deo deputatum sacris altaribus semper adstare: Quò pertinet quod legitur in Prato Spirituali Sophronij cap. 4. Leontium Abbatem Dominicâ euntem in Ecclesiam ad sacra mysteria Angelum vidisse astantem altari, & ab eo audiuisse, *Ex quo sanctificatum est altare istud ego iugiter illi adstare iussus sum.* Simile habet etiam cap. 10. vt infrà dicetur. 19. *Astat illi Angelus.*

CAPVT XIX.

Vtrum necessarius sit altaris apparatus & ornatus per lintea, Crucem, lumina, &c.?

1. *Mappis insternendum altare non tamen necessariò benedictis.*

IMprimis, præter Corporale, de quo postea, insterni debet Altaris mensa duabus mappis lineis, quas tobalias vel pallas vocare solemus. Sufficit tamen vna duplicata, vt Layman, Suarez, Vasquez.

Obserua verò illas non necessariò benedici licèt Missale benedictas requirat, in necessitate etiam accipi possunt mappæ profanis vsibus deputatæ, & postea ad eosdem vsus cõuerti. Verisimile etiam est, eadem de causa, cessante scandalo & contemptu, sufficere vnam, sic vt non peccetur mortaliter, nisi vtraque omittatur. Denique quibusdam locis mos est expandere oblongam mappam, quâ tota altaris mensa tegatur, alteram verò introrsum breuiorem quâ sola sacra ara veletur: quod verò Cap. *Si per negligentiam*, de Consecratione d. 2. lintea quatuor altaris numerentur, consuetudo non seruat, nisi fortè in quibusdam templis religiosorum. Rubrica tres requirit superiorem oblongam vsque ad terram duas interiores breuiores, quæ ordinariè seruanda est, & sic habet vsus Romæ. Docet Fagundez suprà lib. 3. cap 22. n. 10. & 13. loco minoris mappæ sufficere posse sudarium Sacerdotis, si lineum sit & mundum, & postea vsibus sacris applicetur.

Existimo porrò mappâ vel linteo Altaris repræsentari mappam, quâ in Cœnâ nouissimâ mensa, cui cum Apostolis Christus accubuit, fuit instrata.

2. *Imago Crucis in altari collocanda, illam tamen omittere non mortale.*

Secundò, in altari, quo sacrificium offerendum est, imago sanctæ Crucis collocanda, & quidem sunt qui putent sine illâ celebrare peccatum esse mortale, quod ego non autumo, nec alij mecum, vt Suarez, Reginaldus Burgundus, Fagundez; & ratio est, quia nusquam extat tam graue præceptum, aut consuetudo obligans, & quamuis in Regulis Missalis ita statuatur, non tamen omnes illæ ordinationes in particulari ita grauiter obligant, nisi pertineant ad ipsius sacrificij essentiam vel quasi essentiam; non tamen excusarim à peccato veniali si facilè possit haberi; & hoc suadent multæ rationes.

3. *Rationes, cur Crux adhibeatur in altari.*

Prima, quia Missæ sacrificium est viua & expressa repræsentatio Passionis & Crucis Christi, quam sacerdos multis modis præsertim verò formatione signi Crucis demonstrat.

Secunda, quia initio Missæ Sacerdos ante illam se inclinare, & demittere caput debet, & sæpius etiam dum illam peragit, quæ inclinationes vanæ sunt si imago Crucis desit.

Tertia seruit illa icon colligendæ menti sacerdotis, & illam transferendi in Cruci affixum. Quamuis autem sufficiat absolutè Crucis imago in tabulâ altaris depicta, vsus tamen habet, vt sit figura fixa, id est Crux cum Christi imagine lignea, ærea, argentea vel ex alia materia solida. Hoc seruandum ex Rubricâ. Solet etiam quæri, an cùm expositum est Venerabile Sacramentum in Ciborio, Remonstrantia vel Hierotheca, in cuius vertice Crucicula inaurata eminet, etiam tum statui debeat Crux in altari? Viris religiosis etiam hoc in casu collocanda videtur, quia paruula illa vix est spectabilis. Quinimò multò magis Crux locanda est, quando V. Eucharistia in Tabernaculo est adhuc reposita, vt rectè Gauant. p. 1. tit. 20.


Ceterùm non defuerunt prodigia quondam, quibus Deus sibi placere ostendit Crucis in altari locationem, quæ hîc insinuabo.

Refert

4. *Deus miraculis ostendit sibi placere Crucis in altari locationem, vbi de Cruce Carauacensi.*

Refert Alfonsus Ciaconus Tractatu de signis Sanctissimæ Crucis Cap. 35. miraculum quod ipsius verbis paululum contractis subijcio.

Celeberrima, decantatissimaque per vniuersam Hispaniam Carauacensis est Crux, ante 400. annos Carauacæ nobili vrbe prouinciæ Carthaginiensis, quæ hodie populariùs Murciæ regnum appellatur, magna religione asseruata, non humano, sed Angelico dumtaxat artificio confecta; lignea illa quidem, sed cuius peculiaris arboris materia, ignotum; nisi ex quernea vel alia paradisiaca constet, cuius hæc est forma:



Huius ciuitatis arcem munitissimam, cùm Saracenorum imperio pareret, rex Agarenus aliquando ingressus captiuos iussit Christianos proferri, qui intra ergastula tenebantur: quos vt macie confectos conspexit, eorum seruilem conditionem miseratus, ergastulis eximit, & liberaliùs haberi edixit. Inter alios oblatus est illi presbyter. Hunc Rex quam artem profiteretur, sciscitatus, sacerdotem se esse Christianorum respondit, & omnes artes, &

& Regum quamcumque potentiam suum ministerium superare. Rex se intueri velle istiusmodi mysterium, & vt illud in suo conspectu celebraret, mandauit. Sacerdos contrà respondit destitui se vestibus sacris, & ceteris necessarijs ad sacram rem peragendam, quæ apud Christianos in promptu esse solerent. Rex continuò iubet, vt è proximo Christianorum oppido omnia peterẽtur, quę ad hoc ministerium celebrandum opportuna esse videbantur. Ara intra arcem erigitur, lapis sacratus illi imponitur, vestibus sacris sacerdos amicitur, calix aderat, panis & vinum consecrãda: & quintus tunc Nonarum Maij illuxerat, quo solennis S. Crucis Inuentionis festiuitas agebatur. Orsurus Missam Sacerdos constitit. Causam cunctationis rex sciscitatus, Crucem deesse dicit, quæ consuesset huiusmodi ministerio & ritibus illo die præsertim adhiberi. Vix hæc fuerat effatus cùm, fornice, qui altari imminebat, dehiscente, magnus splendor effulsit: & per illum hiatum duo Angeli de cœlo illapsi, Crucem ligneam bipalmarem deferentes super altare paratum deposuerunt. Stupet rex Agarenus cum suis aulicis tanto miraculo conspecto; & Christianis, qui aderant, lacrymæ obortæ, & singultus imo pectore eruperunt: pectus tundunt, clamorem attollunt, & gratias de tanto beneficio referunt admirabundi & gaudio ingenti delibuti. Rex cum suis aulicis Christianam fidem complexus, omnes Orthodoxos libertate donauit: & sacello intra arcem constructo & dicato Angelicam illam Crucem intra pretiosam arcam asseruandam reponunt. Hæc Ciaconus & plura. Pergit deinde enarrare signa & prodigia quæ Deus per Crucem illam indies operatur. Vnum solum ex eo recenseo. Quadringentis & amplius annis viguit illud lignum citra cariem & teredinem illæsum perdurans. Deinde maximè infestatur Carauaca tempestatibus, tonitruis & fulminibus grandine & lapidibus quibus pluit, atque sic cœli iniurijs auertendis datum illi singulare illud Crucis præsidium; quæ mox vt è sua theca depromitur, & hiatum illum contingit, per quem fuit, ab Angelis transmissa, continuò omnia conquiescunt, tempestas sedatur, tranquillitas subsequitur. Hæc Ciaconus.

5. *Item de Cruce S. Thomæ Meliapore.*

Idem auctor, & Petrus Maffeius lib. 12. Histor. Indic. sub finem prodigium mirum scribunt de Cruce Meliapore in India inuentâ, quam aiebant fuisse illam quam S. Thomas Apostolus adorabat; cùm martyrium subiret. Huius ea de re verba accipe. Crux illa effossa ac probè purgata à Lusitanis in arâ constituitur, quam Deus euidenti miraculo illustrauit. Octo ante Christi Domini, tribus ante Apostoli natalem diebus in eam ædiculam Christiani rei diuinæ causâ conuenerant: mirum dictu: simulatque ab sacerdote cœptum Euangelium est, vniuerso inspectante populo Crux ea modicis primo stillis, largo dein sudore manauit, admota hinc inde linteola sacra liquido cruentas ebibere maculas. Color etiam Crucis è candido sensim in pallidum, è pallido in atrum cessit; grato post hæc splendore cæruleus effulsit: ad extremũ sacrificio peracto natiuus rediit. Neque verò proprium illius dumtaxat diei id spectaculum fuit. Ex eo tempore singulis fermè annis, eadem luce, eodem non modo sacrificij, sed etiam Euangelij momento recurrit: si quando intermissum est, ipso doctus euentu dirum aliquid portendi populus putat. Ne autem dubitandi esset locus, tota rei series publicis consignata est litteris. Hæc ibi Maffeius.

6. *Rursus de Cruce in*

Nec planè παρέργως, & abs re fuerit hic intexere, quod refert Horatius

Tursellin.

castro Xaueriano. Tursellin. lib. 6. de vita S. Francisci Xauerij cap. 4. In Xauerio Castello, atque adeò in ipsa natali Francisci domo sacellum est, vbi Christi Crucifixi effigies religiosissima & illis locis antiquissima visitur. Hîc prodigium fuit visu euentuque mirabile. Constat ligneum hoc, quod dixi, Christi simulacrum, quoties Xauerius grauius aliquid pateretur in India (quod ex eius litteris domestici collatis temporibus compererunt) haud dubio sudore fluxisse, porrò eo ipso anno, quo Xauerius extinctus est, ferijs sextis deinceps omnibus per annum totum sudasse sanguine: sudandi autem initium feriâ item sextâ fecisse. Quod homines sic sunt interpretati, perinde quasi Francisci (qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore portauerat) mortem post maximos ac diutinos labores Christi causâ exsudatos portenderet. Sic ibi.

7. *Lumen requiritur in Missæ celebratione, & sub mortali non licet omittere.* Tertiò, in altari ad sacrificandum requiritur lumen, & ex communi sententia Doctorum illud in Missæ celebratione omittere; peccatum est mortale, nec casus incidere potest, in quo hoc licitum sit, vt fusè Fagundez lib. 3. suprà cap. 23. n. 19. Estque antiquissima Ecclesiæ consuetudo.

8. *Debet esse cereus lucens.* Licet autem in iure non habeatur materia vel alimentum istius luminis, vsus tamen Ecclesiæ idem habet, vt sit cera, non verò oleum vel seuum, vel adeps, & si aliter fiat incurri culpam letalem. Ita Henriquez lib. 9. de Missa cap. 26. n. 4. & cap. 29. num. 7. quem sequuntur quidam.

9. *In necessitate videtur sufficere lucerna ex oleo vel candela sebacea.* Nihilominus docet cum alijs Suarez suprà Disput. 8. sectione 6. in necessitate se non damnare peccati mortalis sacerdotem qui sine scandalo & contemptu cum sola lucerna ex oleo Missam faceret, licet hoc non consuleret. Intelligo verò per oleum, oliuum vel oliuarum, quia vti ibi oleo raparum, lini vel alterius materiæ valde esset indecens; illo autem & vetus Synagoga suis in ritibus, & Ecclesia nostra vsa semper fuit in diuino cultu, cùm lampades ex illo accendit in Dei & Sanctorum honorem.

Quamuis autem Suarez & alij non admittant candelas sebaceas in sacrificio ne quidē in necessitate, sunt tamen Doctores aliqui qui illas admittant, vt Antonin. Diana, & expressè Azorius lib. 1. Institut. Moral. lib. 10. cap. 28. qu. 15. & alij plures.

Denique in rigore sufficit vnus cereus; sed ad maiorem decentiam communiter duo accenduntur, quinimò festis & Dominicis quatuor, & in anni præcipuis solemnitatibus sex vel octo, &c.

Quærit Fagundez suprà c. 22. n. 19. num si incepto sacrificio extinguatur lumen, sit nihilominus peragendum, & respondet, si ante Consecrationem id fiat, non progrediendum, sin verò facta consecratione absoluendum, quia imperfectum relinqui non debet, & talis irreuerentia committi.

Obserua cereum accensum in sacrificio Christi meritò adhiberi, cùm clarè Christum ipsum referat, vt omnibus notum est. Tria in se habet cereus, scilicet ipsam ceram, ellychnium & lumen, tria etiam Christus, corpus quod significatur per ceram à virgine apicula formatam, vt ipse de matre virgine suum accepit; Ellychnium intra ceram inclusum eius animæ symbolum est, & lumen eiusdem Diuinitatis: Ipse enim est lux mundi Ioannis 8. Pluribus porrò de causis accenditur ex vsu antiquo cereus tempore Missæ. 10. *Cereus symbolum Christi.* 11. *Cur cerei accendantur tempore Missæ, rationes adferuntur.*

Prima & præcipua est ad honorandū tantum mysterium; Si enim Regibus alijsque huius orbis Principibus faces & funalia lucentia cùm inaugurantur præferri solent, venerationis politicæ causâ, si in ciuitates excipiuntur cum splendore lucernarum; Nonne æquum est 1.

est vt Regi Regum, & Domino Dominantium lucentes lychnuchos præferamus, & summo Latriæ cultu ipsum in altari præsentem prosequamur?

12. *Viri principes cum facibus excipiuntur.* Holoferni vniuersarum vrbium habitatores principes, & honorati simul cum populis venienti obuiam exierunt, excipientes eum cum coronis & lampadibus &c. vt habet liber Iudith cap. 3.

Rursus 2. Machabæor. 4. v. 12 auctor sacer agens de Antiochi aduentu Ierosolymam sic scribit. *Et magnificè ab Iasone & ciuitate susceptus* (Antiochus) *cum facularū luminibus & laudibus ingressus est.*

Insuper meminit S. Ioan. Chrysost. to. 5. oratione in Eutropium, facium & luminum, quibus ipse Consul à populo fuerat honoratus; quem vide.

Ritus hic lucernarum splendore viros principes vel alios bene de Repub. meritos colendi, ex gentilium historijs sole meridiano clarior est. Curtij verba sunt lib. 3. cap. 7. de Dario contra Alexandrum procedentem. *Ignis*, ait, *quem ipsi sacrum æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur.*

A Persis manauit exemplum ignem prælucendi etiam ad alios Imperatores, qui πῦρ πρoπομπευτικόν, qui in celebri pompâ accensus ferebatur, etiam radiante sole sibi præire volebant.

Vide Philostratum lib. 2. cap. 13. de Indis Phraotæ Regi cum facibus obuiam procedentibus.

Quin etiam ardentes faces, vt regiæ maiestatis symbola, prælatas Imperatoribus Romanis & Constantinopolitanis, & etiam Patriarchis legimus.

Sufficiat Tranquillum protulisse qui in Cæsare Dictatore c. 37. agens de eius triumpho sic scribit: *Gallici triumphi diè ascendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos* (lucernas vel lampades) *gestantibus.*

Hunc morem Græcis, Romanis, Barbaris, adde & Christianis multa suaserunt: Testabatur hic ritus à Principibus lucem dignitatis & claritatem nominis hauriri, eosque instar ignis omnia permeare, & vitalem spiritum populis impertiri, & Sapientiæ lumen diuidere debere.

Adde hoc ipsum fuisse notam expressam beneuolentiæ & venerationis, simulque lætitiæ significationem, quà perfundebantur cùm oculos & ora ipsorum intueri coram liceret: cùm verò micante solis iubare lychnuchi gestarentur, signum erat non adhiberi illos vt tenebræ pellerentur, sed vt gratulationis argumenta exhiberentur.

Hæc ideo prolixiùs disserui, vt his lectis nemo audeat antiquam Ecclesiæ consuetudinem calumniari, & maledicentiæ iaculis impetere (cum Vigilantio, & eius æmulatoribus) quæ passim multis lychnuchis & cereis accensis Christo in ara sacra præsenti vel in Hierotheca circumlato gratulabunda prælucet.

Et certè eædem & plures etiam rationes persuaserunt Orthodoxis Patribus, vt Liturgia nonnisi claro lumine præsente, etiam in meridie perageretur, & vt S. Chrysost. in Liturgia sua scribit, sacerdos procederet ad altare ministro præcedente cum lumine. 13. *Rationes cur cerei in altari accendantur.*

Ergo hic altera ratio ex S. Hieronymo petatur in libro contra Vigilantium, vbi ait in Ecclesia Catholica accendi cereos ad signum lætitiæ demonstrandum. 2.

Tertio, vt Christus qui Lucæ 12. venit ignem mittere in terras ignem caritatis in nobis accendat; foueat & nutriat. 3.

Quarta, vt Deus qui ignis consumens est, Deuteron. 4. paleas, stipulas, rubiginem scelerum nostrorum absumat. 4.

Quinta, vt accenso lumine sponsi Christi expectemus aduentum. 5.

Sexta, vt sicut lumen cerei sine sui detri- 6.

detrimento & diminutione pluribus communicatur, vt habet Præfatio cerei Paschalis, ita significetur Christus in V. Eucharistia ex plurium sumptione non minui.

7. Septima, vt ignis deuotionis in nobis sopitus excitetur.

8. Octaua, significat, ait Gabriel lect. 13. in Canonem, lumen fidem populi, quæ non debet esse abscondita sub modio, sed poni super candelabrum, vt ingredientes Ecclesiæ vnitatem, videant opera ex fide relucentia, & glorificent Patrem &c. Item vt qui erant aliquando tenebræ, nunc sint lux in Domino, ad Ephesios 5.

Adferri possent miracula de cereis diuino lumine accensis, nisi caput hoc nimium excresceret. Vide Stephan. Durant. lib 1. de Ritibus c. 8. & Ioan. Baptist. Scortia de Missa.

Vnum tantùm appono quod ab illis prætermissum est, & maximè ad rem præsentem pertinet.

Scribit Walafridus Strabo auctor probatus in vita S. Galli (& habetur apud Surium Octobr. 16.) quòd cùm festiuitas Octauarum Epiphaniæ anno celebraretur officio, cunctis tempore sacrificij ad Ecclesiam conuenientibus, luminaria & candelæ incendebantur ex more. Vnâ autem candelâ sine lumine inter ceteras ardentes dimissâ, inter sacra Missæ solemnia principalis, primò cœpit paulatim fumotenus vaporare, deinde videntibus non paucis flammam concipiens & ceteris clariùs rutilans, signa effectuum splendoris singularitate commendauit. Hęc Strabo.

14. *In Missa cereus sponte accenditur.*

Præterea ex Rubrica pro commoditate ponitur, Tabella Secretarum: & ex decentia, non verò ex necessitate in altari puluillus vel cussinus cui Missale incumbat; de quo nihil magnopere dicendum occurrit. Huius Hugo lib. 2. de diuin. officijs cap. 10. mysticam dat rationem: Indicat hic Euangelium & Dei Verbum excipiendum corde humili & molli, vt semen spargitur in terræ gremio mollito & subacto. Lex Mosaica in tabulis lapideis scripta, quia Iudæis cor durum & lapideum; at Euangelium inscribi debet cordibus Christianorum carnalibus ad obediendum paratis. Isaiæ 66. v. 2. *Dicit Dominus; ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* vbi alij legunt: *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietum?* Est ergo cor humile, contritum, ad Dei sermones paratissimum excipiendos, tamquam puluillus & ceruical ad quiescendum, mollius quàm cùm Matthæi 8. Christus dormiret in naui, vbi Marc. c. 4. v. 38. habet: *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens* (ligneum nempe quale solet esse nautarum): vel potiùs dixerim cor humiliatum, mansuetumque esse Dei thronum, in quo ipsius maiestas requiescit.

15. *Puluillus in altari.*

Postremò, multa hîc dicenda forent de altaris ornatu, vt ipsius peripetasmatis & aulæis (quæ alij vestes vel pallia altaris vocant, ego frontalia libentiùs dixerim) sed ratio instituti hoc non permittit, quin potiùs aliò vocat. Interim videndus Gauant. in Thesauro Rituum p. 1. tit. 20.

Solùm aduerte altaria diebus maximè solemnibus & celebrioribus coronari & ornari consueuisse pactilibus corrollis è floribus, & festiua arborum comâ, ita vt etiam solum ipsum herbis bene olentibus vireret, sparsis rosis erubesceret. 16.

Coronis floridis rectè ornantur altaria.

Fecêre hoc Troiani, vt constat ex illis Æneidos 2.

Nos delubra Deûm miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

Quid Hebræi? 1 Machabæor. 4. v. 57. *Ornauerunt faciem templi* (vestibulum) *coronis aureis &c.*

Quamuis autem Ecclesia Christiana primis suis incunabulis ab huiusmodi coronis abstinuerit, ne videretur gentilium superstitionibus se immiscere, vt patet ex Tertulliano libro de Corona militis, postea tamen in suis sacris etiam serta & coronas sutiles & textiles ex floribus vsurpauit, omni cessante scandali periculo. Monet S. Paulinus Natali 3. S. Felicis.

Spargite flore solum, pratexite limina sertis.

Commendatur Nepotianus, vt ante dicere memini à S. Hieronymo Epist. 1. *Quod Ecclesias Martyrum diuersis floribus, arborum ramis, vitiumque pampinis exornabat.*

Apertiùs hunc morem insinuat S. Augustin. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. vbi de conuersione ad fidem viri cuiusdam primarij Gentilis, Martialis nomine, scribit illius generum Christianum, qui ardenter soceri sui salutem optabat, adijsse memoriam S. Stephani Protomartyris, & oratione facta ex altari eiusdem Sancti tulisse quosdam flores (nota) eosque noctu supposuisse ceruicali Martialis dormientis, hunc verò sub matutinum crepusculum petijsse baptismum, quo recepto paulò post extinctus, identidem ingeminans, Christe accipe spiritum meum, cùm tamen ignoraret illa fuisse postrema Martyris verba.

17. *Miraculum de floribus ex altari ablatis.*

Ad hunc floribus & folijs altaria obumbrādi ritum hortatur nos Regius Psalmodus Ps. 117. *Constituite*, inquit, *diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris.* Loquitur autem quoad corticem litteræ de sua in Regem coronatione, vel Arcæ in tabernaculum à se paratum inductione; quoad nucleum verò mysticum de Christi triumphali resurrectione, vel qualibet eius festiuitate. Ait porrò: Vos, inquit, fideles populi celebrate diem lætum, festiuum & triumphalem, vias, compita & plateas ciuitatis incingentes densis arborum comis, & festis frondibus omnia loca profana & sacra inumbrantes sertis vsque ad ipsa altaris cornua, hilarem Pæana concinentes, &c.

CAPVT XX.

An sacrificium perficiendum in vasis sacris & linteis benedictis.

PRimò dicendum, hoc sacrificium conficiendum in vasis sacris, calice videlicet & patenâ, vt vocamus, consecratis benedictione Episcopali, vel alterius facultatem habentis, & Chrismate vnctis, ita vt peccatum mortale sit sine illis consecratis celebrare.

Materia horum vasorum est aurum, argentum, stannum, non autem vitrum quia fragile, non æs aut aurichalcum, quia facilè æruginant, & nauseam mouent, non lapis, quia minus aptus, non plumbum aut lignum, qui porosum, ita vt nullo negotio sanguis imbiberetur. Ita est statutum iure, licet olim cùm sacerdotes essent aurei ligneis vterentur, vt aiebat S. Bonifacius. 1. *Materia calicis consecrati aurum &c.*

Si tamen calix aut patena ex aurichalco inauraretur posset seruire sacrificio; de patenâ Vasquez Disput. 233. cap. 4. de calice etiam Fagundez cap. 21. n. 10. suprà: sufficit enim vt interior superficies sit inaurata; quod etiam consilij est, si patena vel calix sint argentea; sic habet praxis piorum, vt interiùs, quâ parte Corpus & Sanguinem Christi tangunt, inaurentur.

Consecratio calicis, patenæ vt & altaris solis Episcopis iure conceditur. Ex commissione tamen summi Pontificis etiam interdum facultas datur simplicibus sacerdotibus, vt Patribus Societatis Iesu à Paulo 4. pro remotissimis regionibus vtriusque Indiæ, vbi

vbi desunt Episcopi.

2. *Quamdiu duret consecratio, & quando pereat.* Durat autem consecratio quamdiu hæc ita manent integra vt idonea sint ad vsum suum, vt videlicet patena possit hostiam totam continere, & calix commodè totum sanguinem.

Vnde sequitur perire consecrationem si scyphus siue cuppa calicis à pede separetur, quia sic non est aptus ad vsum suum. Excipitur tamen calix tornatilis, qui certis clauiculis motis soluitur & nectitur, quia tali mente est consecratus vt facilius purgetur. Prætereà confici potest calix ex vnâ materiâ probatâ v. g. stanno, & patena ex argento:

Item; licitum est conficere calicem cuius scyphus constet argento inaurato, pes verò ex aurichalco, vt habet praxis multarum Ecclesiarum: & ratio est, quia sola cuppa deseruit vsui Sacramenti propriè. Rursus sequitur non amittere consecrationē ipsum calicem vel patenam, si inauratio amittatur, & ratio est, quia totus calix inauratus consecratus est per modum vnius, & ideo licet aurum defricetur, calix adhuc consecratus manet. Dubium tamen est, an si de nouo calix vel patena inaurentur, quia prior inauratio dissilijt, debeant rursus consecrari.

Affirmant communiter Doctores; quia inauratura est instar noui vasculi interioris, quod non est consecratum, & tamen immediatè tangit Corpus & Sanguinem Domini. Probabile tamen est non requiri nouam consecrationem quia manet idem calix integer, vnde consecrationē suā non perdit: illa autē noua inauratio habetur cōsecrata, quia additur rei ante consecratæ. Ita plures Doctores Emman. Sa V. Calix, Ægid. Conick in 3. par. quæst. 83. art. 3. Dub. 3. Layman, Diana. Et nouissimè Cardin. de Lugo.

Vlterius dubium est, an si quis sacerdos bona fide celebrarit in calice non consecrato (idem dic de patenâ corporali & vestibus sacris) possint postea alij sacerdotes sine aliâ benedictione in sacrificijs ijsdem vti. Negat cum alijs Fagundez suprà lib. 3. cap. 21. n. 15. quia consecratio siue benedictio consistit in certa verborum formulâ ab Ecclesiâ approbatâ, quæ illis non fuit adhibita. Alij tamen affirmant posse ijsdem vti sine alia benedictione: Ita Diana. & ratio est, quia si non sint consecrata ordinariâ formulâ, sunt tamen sanctificata modo altiore & nobiliore per contactum SS. Corporis & Sanguinis Domini. Verùm hanc sententiam solidè refutat Lugo suprà.

Nota breuiter tangere vasa sacra laicis prohibetur: non est tamen per se nisi veniale peccatum, à quo omnino excusat causa iusta. 3. *An licitum calicem tangere vel vendere.*

Vendere porrò ea extra necessitatem etiam ad vsus sacros si integra maneant, nullo modo est licitum.

Obserua secundò. Scribit Anton. de Molina tractatu primo de Instructione Sacerdotum cap. 14. patenam, quæ Christi corpus consecratum excepit, ex pretioso lapide fuisse fabrèfactam quæ Genuæ, vt fertur, aliquando videnda proponitur. Idem ait traditione se didicisse Calicem in quo Dominus sanguinem suum consecrauit nobilissimum fuisse ex pretioso lapide factum & inauratum qui Valentiæ asseruatur, quem ipse suis oculis vidit: tradit autem Fagundez suprà & alij lapidem illum fuisse Agatham vel Smeraldam. Nihilominus refert V. Beda de locis sanctis cap. 2. hunc fuisse argenteum & suo tempore asseruatum fuisse Hierosolymis, hinc inde habentem duas ansulas, in quo etiam est Spongia potus Domini ministra. Vide Baron. Ann. 1 primo pag. 162. an. 34. Putat tamen Gauantus p. 2. tit. 1. fuisse adhibitum ad potandum Christum felle & aceto vasculum istud. 4. *Qualis fuerit calix & patena in quibus Christus consecrauit.*

Tertiò: Calix mysticè nobis repræsentat Christi sepulchrum, & patena lapidem illi superpositum. Ita S. Bonauentura de expositione Missæ cap. 3. Hugo de S. Victore & alij.

5. *Explicatio Calicis mystica.* Moraliter verò significat carnis mortificationem & animum semper ad Martyrium præparatum vt S. Hieron. Epist. 20. ad Marcellam: & explicans illud S. Matth. cap. 20. *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, dicit per Calicem in scripturis accipi Passionem, vt notum est ex verbis Christi, *Transeat à me calix iste.*

S. Germanus in Theoriâ rerum Ecclesiastic. dicit calicem esse loco vasis quod recepit effusum sanguinem puncti immaculati Christi lateris. Olim calix effigiabatur imagine pastoris & ouis perditæ, vt Tertull. de Pudicitia c. 7. & 10.

Portatur autem calix velatus ad altare, sicut in lege veteri omnia vasa velata portabantur Numeror. 4. idque ob maiorem rei sacræ venerationem.

6. *Corporale requiritur & sine eo facere mortale est.* Sequitur Corporale, quod debet esse lineum & benedictum, ita vt sine illo celebrare iuxta communem sententiam Doctorum peccatum sit mortale.

Cauendum porrò ne illius pars interior serico vel auro intexatur vel ornetur; licet oræ, limbi vel extremitates illius possint sericis vel aureis filis decorari.

Perditur illius benedictio per notabilem rupturam, si nempe neutra illius pars sufficiens sit ad capiendam hostiam & calicem.

7. *Vnde dictum Corporale.* Dictum est corporale, vel quia Corpus Domini recipiat in altari, & quasi palliet (vnde & palla aliquando vocatur iuxta Alcuinum de diuin. offic. c. de celebrat. Missæ, & Rabanum lib. 1. de Instit. Cleric. cap. 33.) vel vt alij, quod sindonem mundam nobis referat, in qua Corpus Christi inuolutum in sepulcro, vt Hugo, Bonauent. & alij Rituales post Isidorum Pelusiotam Epist. 123. *Pura*, ait, *illa sindon, quæ super mysteria donorum ex pansa est, Iosephi Arimathensis est ministerium. Vt enim ille Domini Corpus sindone inuolutum sepulturæ mandauit, per quod vniuersum mortalium genus resurrectionem percipit: eodem modo nos propositionis panem in sindone sanctificantes Christi Corpus sine dubitatione reperimus.* Ita ille. 8. *Eius mystica significationes.* Sindon illa Christi adhuc seruatur Taurini cum Christi lineamentis diuinitus impressis, vt icones illius demonstrant, quæ passim circumferuntur.

Amalarius Fortunatus cap. 24. putat Corporale significare linteum, quo Christus se præcinxit ad lauandos pedes Apostolorum, vt & Purificatorium eiusdem sudorem quem in lotione illa profudit.

Varia extant miracula, quibus Deus sacra Corporalia honorauit. Memorabile est quod scribit Rupertus lib. de incendio oppidi Tuitiensis c. 3. nempe sacrum Corporale hastili supernè alligatum & flammis omnia vastantibus obiectum ignem repressisse eodem illæso permanente. 9 *Miracula per Corporale.*

Silentio etiam inuoluere nequeo id quod commemorat Ioann. Diaconus lib. 2 vitæ S. Gregorij cap. 42. Petentibus quibusdam Occidentalibus per legatos sacras Reliquias, Gregor. pallæ seu Corporalis portionē dedit. Illi donum contemnentes veluti parui pretij, lineam quidē portiunculā accepēre, sed cū lineæ apud illos pallæ domi haberētur, apud S. Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum cōquesti sunt. Gregorius autē cùm id accepisset, post sacrosancta peracta mysteria coram astante populo repositâ in altari pallâ in orationem prostratus efflagitauit, vt in quantâ veneratione habendæ huiusmodi pallæ essent; præ ceteris reliquijs omnibus miracu- 10. *Aliud miraculum.*

miraculo diuino perspicuum fieret: intermissa demum oratione gladio pallam pupugit imitatus Leonem primum Romanum Pontificem, moxque inde sanguis effluxit. Obstupescentes legati ac pudefacti cum reliquo populo efflagitarunt, vt pallæ in pristinum statum restituerentur.

11. *Monentur sacerdotes per Corporale, mundum habere cor, vt Corpus Christi recipiat.*

Ceterùm Corporali monentur Sacerdotes, vt sicut linteum illud castigatum est ab omni naturali viriditate & humore, ita sit ipsorum mens purgata ab omni carnali cupiditate: & sicut illud splendore suo nitet, ita eorum intentio niteat coram Deo. Ita Amalar. lib. 3. offic. Eccles. c. 19.

Rursus, vt Alcuin. Cap. de Celebrat. Missæ, *Sicut linum multis sudoribus reducitur ad candorem, ita Christus pluribus affectus cruciatibus migrauit ab hoc seculo, & ad candorem Resurrectionis perductus est atque immortalitatis. Similiter, qui Corpus Christi in se recipere desiderat, per multos operum bonorum labores & per castitatem mentis & corporis debet se mundum & candidum reddere.*

Item S. Thom. opusc. 58. de Sacramento Altaris. *In tribus quæ perducunt Corporale lineum ad candorem intelliguntur tria, quæ pertinent ad nostram mundificationem: primò lauatur, secundò torquetur, tertiò exsiccatur. Siquis ad suscipiendum Dominum mundus fieri vult, primo debet per aquam lacrymarum lauari, 2. per opera pœnitentiæ torqueri, tertiò per feruorem amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari.* Vide eumdem 3. part. quæst. 83. art. 3. ad 7.

Postremò linteum vt notum est, immune est & liberum à corrosione tinearum: ita mens sacerdotis pura esse debet à corruptione peccati & concupiscentijs. Rectè S. Hieronym. in c. 27. Matthæi: *Corpus Domini linteamine puro obuoluendum est, quod specialiter facit qui purâ mente suscipit.*

12. *Palla linea benedicta.*

Ad Corporale reducitur Palla siue Calicis operimentum, & easdem requirit conditiones, quas Corporale, debet enim esse linea & benedicta, nec benedicitur separatim sed simul cum Corporali, cuius est veluti pars. Gauant. p. 2. tit. 1.

Significat verò sudarium quod fuit super caput Christi in sepulchro, vt habent Rituales.

Aduerte porrò olim vnicum tantùm fuisse Corporale (quod etiam nunc seruatur quibusdam locis) idque oblongum, super cuius partem maiorem collocabatur hostia & calix; altera verò parte obtegebantur. Iam vsus ostendit expeditiorem rationem, vt Corporale in duas partes diuidatur, quarum altera maior extendatur super aram, quæ etiam nomen retinet Corporalis, altera minor, quâ calix operitur, & hæc palla vocatur & aliquando etiam Corporale, & sic in Missali vocatur, vti præscribitur benedictio Corporalium in plurali.

13. *Dubium an palla debeat esse linea & benedicta.*

Dubitari potest an hæc palla debeat esse linea & benedicta? Communiter ita Docent Doctores, Henriquez, Suarez, Vasquez, Fagundez. Scortia, alij: Quia habetur hæc tanquam pars Corporalis vt praxis Ecclesiæ tenet, vnde & Romæ communiter fieri solet ex parte Corporalis plicatâ & conuenienter compositâ, & linea; & dicunt interiorem saltem eius partem talem esse debere, quæ calicem tangit, licet exterior possit esse serica vel aurea. Addit Lugo posse pallam seruire pro Corporali si capax fuerit, vnde sequitur debere esse benedictam.

Nihilominus Dominicus Sotus in 4. dist. 13. q. 12. ar. 3. docet sine scrupulo componi posse ex materiâ sericâ vel aureâ, eò quòd non sit de essentiâ ornamentorum altaris: & non requiri ex necessitate præcepti; vnde sequitur non necessariò benedici. Emmanuel Rodriguez in summa p. 1. c. 259. §. 18. docet aliquibus locis ex rezza siue reticulo, aliáue materiâ factas vsurpari à viris

à viris doctis & religiosis, quæ consuetudo orta est, quòd Palla non contingat hostiam sacram vt Corporale. Deinde quibusdam locis Episcopi non curant eam benedici.

Tertiò palla nec tangit sanguinem Domini, vt calix cuius solum est tegmen, nec Corpus eius, vt patena vel Corporale: ergo non necessariò benedicitur. Hæc sententia non improbabilis videtur.

11. *Purificatoria non benedicuntur.* Vlteriùs purificatoria, quæ sermone Lusitano Fagundez Sanguineos vocat, linea sunt, vt ijs commodius calix tergatur, & si praxim sequamur non benedicuntur, quia non nisi raro aliquid Sanguinis imbibunt ex calice mundando. Solus Fagundez. lib. 3. de primo Ecclesiæ præcepto cap. 21. n. 30. docet sub mortali culpâ illa debere benedici. Sed in Missali non ponitur eorum benedictio, sicut Corporalium, & Mapparum altaris. Vnde non benedicuntur in Ritualibus, & ita tenet Suarez disp. 8 sect. 8. & Gauant. p. 2. tit. 1. Lugo disp. 21. sect. 2.

Petes ex qua materiâ conficienda pyxis (vel vasculum in qua seruatur V. Eucharistia; & an necessariò benedicenda?

12. *Pyxis V. Eucharistiæ non benedicitur ex necessitate.* Respondeo, si de honestate loquamur, deberet constare eâdem materiâ quâ calix & patena; quia tamen in Iure nihil hac de re præcipitur, simpliciter confici potest ex qualibet materia, in qua decenter ea asseruetur. Vide Caput primum de custodia Eucharistiæ.

Decet etiam vt intra pyxidem, si non sit benedicta palla vel Corporale benedictum ponatur; sed Diana dicit hoc non requiri. Addit etiam Vasquez pyxidem locandam super lapidem consecratum vel altare portatile; sed praxis hoc non seruat, æd solùm supponitur illi Corporale benedictum: sed nec hoc necessarium.

Præterea dicunt quidam, inter quos Stephan. Durantus lib. 1. de Ritibus cap. 16. pyxidem benedici & consecrari debere, illo nixus argumento, quia in ordine & Missali Romano formula benedicendi reperitur: quæ sententia licet securior sit & magis consulenda; nihilominus contraria etiam probabilis est & secura & seruatur à viris Doctis & timoratis, nempe illam non necessariò benedici, quia nullum huiusmodi præceptum extat in Iure. Ita tenent plures D. Henriquez, Paludan. Syluester. Vasquez, Sotus suprà.

CAPVT XXI.

An sacerdos aliquando teneatur, & quoties in die possit, & quo tempore celebrare?

Statuendum ante omnia: Etsi multi & graues Doctores, vt Alexand. Alens. Bonauent. Caietan. Bonacina Victoria, Diana & alij probabiliter doceant nullo præcepto sub peccato mortali obligari sacerdotes simplices nullo beneficij titulo astrictos aliquando Missam celebrare modò absit contemptus & scandalū, sed satis esse, si in Paschate communionem laicam percipiant; contrarium tamen multo est probabilius, verius & in praxi sequendum, nempe diuino præcepto teneri ad aliquando celebrandum, ita vt mortaliter peccent si toto vitæ tempore à dicendâ Missâ abstineant, vt docet S. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 10. & cum eo Schola Scholasticorum & Canonistarum; & sunt inter illos qui dicunt tales non absoluendos, vt Henriquez lib. 9. de Missa cap. 23. n. 2. Azor tom. 1. Institut. Moral. lib. 10. cap. 24. quæst. 1. & Fagundez suprà c. 15. n. 5. Pius quintus in Editione Vaticana Commentariorum Caiet. iussit tolli opinio- 1. *Tenentur sacerdotes sub mortali aliquando celebrare vt efficaciter probatur.*

opinionem asserentium tantùm esse peccatum veniale.

Satis hoc constat ex verbis Christi Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis præcepit Apostolis & eorum in sacerdotio successoribus vt sacrificium offerrent, vt docet Trident. sess. 22. c. 1. & Can. 2.

Vbi notanda veniunt illa verba (illorum in sacerdotio successoribus) vnde cessat eorum cauillatio, qui dicunt hoc præceptum solùm tangere curam habentes animarum. Vide idem Trident. sess. 23. cap. 1. & Can. 1. & de Reformat. cap. 14. ibidem, vbi præcipit Episcopis vt curent sacerdotes saltem Dominicis diebus & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrare. Ex quo sequitur etiam simplices sacerdotes teneri aliquando celebrare ex vi intrinseca diuini præcepti; non vero solùm ad vitandùm scandalum, contemptum, &c.

Accedunt congruentiæ. Prima illa occurrit, quia censetur neglectus diuinæ gratiæ acceptæ in Sacramento Ordinis, & contemptus muneris sacerdotalis eo numquam vti, & ipsius sacrificij illud numquam offerre, cùm ad hoc sint consecrati, & omni careant impedimento.

Altera; quia sacerdos tamquam communis Ecclesiæ legatus accipit onus intercedendi pro populo, & pro ipsius peccatis sacrificium offerendi, cui renuntiare non potest tamquam priuilegio proprio, cùm datum sit in publicum bonum. Verùm decretum Trident. suprà solùm dirigitur ad Episcopos. quare

2. *Tenentur festis solemnioribus.* Videntur simplices sacerdotes suæ obligationi satisfacere si in solemnioribus Ecclesiæ festiuitatibus Missam offerant, v. g. Paschæ & alijs, vt communiter Doctores, vel vt Nauar. cap. 25. num. 88. ter vel quater in anno. Vide de Lugo de V. Eucharist. Disp. 20. Sect. 1. qui tamen propendet in sententiam negantem.

Nihilominus dicimus non tantùm licitum esse sacerdotibus singulis diebus sacrificium offerre, sed etiam magis meritorium, laudabilius & magis consulendum, vt docet piorum sacerdotum consuetudo: hoc enim & Dei honorem apud Ecclesiam promouet, & populo fideli est saluberrimum, pertinet ad sacrificij dignitatem, estque sacerdos ad hoc peculiariter consecratus: vnde non facilè hoc prætermittendum, dummodo quis non fuerit indignus. 3. *Commendatur quotidiana Missæ celebratio.*

Multa hic forent dicenda de pijs & sanctis sacerdotibus, qui quotidie, nisi corporis infirmitas impediret, hostiam salutarem Deo obtulerunt, & de magnis fructibus, qui ex frequenti celebratione colliguntur, simulque de socordia quorundam Mystarum, qui rarissimè hoc beneficio singulari fruuntur, sed in alium locum hoc differimus, ne Caput hoc prolixius euadat.

Solùm velim sacerdos pectori suo insculpat verba S. Bonauenturæ, quæ inueni in eius Opusculo de Præparatione ad Missam cap. 5. (vbi citat Bedam sed locum non profert) *Cùm sacerdos non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est priuat SS. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, iustos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicinâ & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates.*

Vbi idem Doctor, multis probat malum esse, si sacerdos carens peccato mortali & impedimento non celebret. Idem argumentum disertè & eleganter prosequitur Ludouicus Cresollius Mystagogi lib. 13. sect. 6. Ruminet & illa pij scriptoris Thomæ à Kempis c. 5. lib. 4. de Imitatione Christi: *Quando sacerdos*

cerdos celebrat Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & se omnium bonorum participem efficit.

4. *Parochi & beneficiarij quando tenentur.* Parochi, qui curam animarum gerunt, vt notum est, tenentur Dominicis & festis sacrificare, vt officio suo, & populo item suo satisfaciant: Sic & omnes beneficiarij qui obligantur quotidie celebrare, hoc præstare debent, nisi iusta aliqua causa illos interdum liberet, vt plures Doctores: vnde aliquoties in anno pro se vel aliquo amico celebrare possunt, vt Diana & alij. Si tamen in beneficij institutione habeatur, vt quotidie per se vel alium celebrent, tenentur alium sufficere si ipsi impediantur, cùm ad hoc teneantur. Idem dicendum si certo loco celebrare debeāt, ibidem celebrare tenentur, nisi fortè bis vel ter in anno alibi celebrando excusentur. Ita Fagund.

Adde his, nec Parochos ratione officij Pastoralis teneri quotidie celebrare: cùm nullo iure hoc probari possit, vnde strictè loquendo, non videtur peccare mortaliter modò Dominicis diebus & festis Missam per se vel alium faciunt; consulendum tamen est, vt frequenter celebrent. Non tenentur tamen Missam festiuam populo applicare: nihilominus vetantur pro illa stipendium accipere.

Deinde curandum est Rectoribus Ecclesiarum vt diebus singulis in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, Parochialibus saltem maioribus sacrificium offeratur, vt habet praxis, & si secus fiat, scandalum nascitur, & est res hæc magni momenti; in paruis tamen pagis, quando vix vllus diebus feriatis templum frequentat, videtur posse omitti sine graui peccato.

5. *Excepto die Para-* Secundò dicendum, quouis die per annum licitum esse offerre hoc sacrificium præterquam die Parasceues, quo *sceues quotidie celebrare licet.* etiam die communicare laicis vetuit sacra Rituum Congregatio, nisi ob infirmitatē, 19. Februarij 1622. Vide Gauātum p.4. tit.9. n.25. de sacro. Consentiunt omnes, nisi quòd nonnulli negent in die Cœnæ Domini & sabbati Sancti celebrandum: verùm in die Cœnæ communiter docent licitum esse, modò fiat absque offensione, Item in Sabbato Sancto priuatim, præsertim circa tempus Paschalis officij: vitandum tamen scandalum. Et ratio est: Cùm enim iam, abrogato iure antiquo, generali consuetudine vbique gentium sacrificium eo die offeratur in Ecclesia, licebit etiam absque solemnitate id ipsum offerre; vnde sine scrupulo licet illo die priuatim vnicuique sacerdoti etiam summo mane celebrare. Ita Sotus, Suarez, Præpositus quæst. 83. art. 2. Dub. 2. Ideo enim olim illo die sacrificium non offerebatur, quia ad repræsentandam Domini quietem in sepulchro differebatur vsque ad noctem sequentem, & tunc primum offerebatur, vt etiam significat Collecta & Præfatio illius Missæ; sed Ecclesia contrariā consuetudine illud sustulit, tempus lætitiæ Paschalis anticipando. Vnde Cardinal. de Lugo Dispur. 20. de Euchar. sect. 1. dicit passim posse hoc fieri priuatim.

Præterea, tertiò notandum, regulariter & ordinariè sequendo ius Ecclesiasticum, non potest quis vno die nisi vnam Missam facere, vt patet ex Cap. *Sufficit*, de Consecr. dist. 1. & alijs Canonibus. 6. *Regulariter solùm semel in die licet celebrare.*

Excipiuntur casus aliquot. Primus ex sensu & vsu totius Ecclesiæ est Natalis Christi, in quo omnibus licet, si tamen voluerint, tres peragere Cap. *Consuluisti*, de Celebratione Missarum; ita tamen, vt non sumatur ablutio, nisi in tertia, vt satis constat. Repetitio illa Sacrorum si Durando credimus in Ration. l.6. c.3. insinuat Christū 7. *Excipitur Natalis Christi ob mysterium.*

Saluato-

Saluatorem esse patrum qui fuerunt ante legẽ, sub lege, & post legem: vel vt melius alij, adumbratur Christi æterna ex Patre generatio Liturgiâ mediæ no ctis; temporalis verò eius ex Matre, illâ, quæ fit in aurorâ: & quæ de die, indicat Christi spiritualem in cordibus fidelium natiuitatem.

8. *Licet continenter nocte Natiuitatis tres Missas priuatas celebrare.*

Prima Missa inchoatur nocte media non ante, secunda dicitur in Aurora, tertia pleno die; quod intellige de Missis solemnibus & officio chori: Missæ autem priuatæ sine vllius peccati scrupulo licitè fieri possunt quouis tempore, in quo prima Missa legitimè absoluitur, ita vt etiam continenter statim incipiatur secunda, & deinde tertia. Ita enim passim iam & a multo tempore habet praxis optima rerum interpres inter pios & eruditos. Si enim licet vnam media nocte celebrare, cur non deinde 2. & 3. cum eadem sit ratio. Et ita docent Suarez Disput. 80. sect. 4. Gabr. Lugo, Vasquez, Diana, & plures alijs: licet antiquiores Doctores aliqui docuerint peccatum esse mortale nocte Natalis Domini plures Missas quàm vnam ante auroram celebrare, & cum illis etiam tenet Fagundez suprà cap. 26. n. 3.

9. *Ponuntur alij casus, quibus hoc licet.*

Secundus casus maximè moralis est, quando vnus sacerdos haberet duas Parochias, nec commodè habere posset coadiutorem, & populus frequens esset in vtroque loco, quo casu etiam diebus professtis bis celebrare posset si sufficiens fuerit populus, qui eò conueniat.

Huc reuoca & alterum, posse duo sacra & etiam plura celebrari ab eodem, si ad aliquam solemnitatem tantus populus confluat, vt simul vna Ecclesia omnes non capiat.

Item quando rari inueniuntur sacerdotes, & vrget publica necessitas, vt cõtingit in Indijs, & inter hęreticos &c. Doctores plures ponunt casus, vt Nauar. cap. 25. n. 87. sex vel 7. vt & Durand. suprà c. 1. l. 4. Rationalis, Fagund. sup. num. 5. & sequ. sed multi reijciuntur à Lugo Disp. 20. sect. 1. sub finem.

11. In summa dicendum plures missas posse dici quando adest causa iusta arbitrio viri boni, aut vrgens necessitas: Tunc enim ius permittit Cap. *Consuluisti* de Celebratione Missarum.

Obseruandum quartò: quoad horam celebrandi attinet, ea est regulariter ab initio auroræ (id est, crepusculi, quo aliquid lucis apparet circa Horizontem) vsque ad meridiem, vel horam diei duodecimam; Ita communiter Doctores, ita vt sit mortale sine priuilegio notabiliter regulam illam prætergredi v.g. vltra dimidiam horam vel nisi causa sit iusta. 10. *Tempus celebrandi ordinarium statuitur ab aurora vsque ad meridiem.*

Initium auroræ seu crepusculi sic interpretantur vt liceat circiter duabus horis ante ortum solis: quare siquis habeat priuilegium vt possit vnâ horâ ante auroram, vt habet Societas Iesu concessum à Gregorio 13. post Tridentinum, poterit tribus horis ante ortum Solis sacrum celebrare, nam alioquin priuilegium nihil operaretur, vt ait Suarez suprà.

Potest etiam ob aliquam iustam causam vel necessitatem tempus ordinarium præueniri, vt si infirmo danda esset communio; si opifices & viatores alioquin essent carituri sacro: tunc enim locum habet Epijcia; maximè autem hoc liceret permittente Episcopo, qui ob iustam causam in hoc potest dispensare, vt affirmant Doctores.

Præterea potest sacerdos inchoare aliquanto post meridiem, quia consuetudo non ita præcisè accipienda est: quin etiam ratione itineris impeditus potest die festo vna hora post meridiem incipere, vt docet Suarez & alij: quod tamen ex Priuilegio concessum est à Gregorio 13. Religiosis Societatis Iesu sed Priuilegium hoc parum aut

nihil operatur; licet aliqui teneant ex eodem licere celebrare post meridiem vsque ad Nonam inclusiuè, id est vsque ad tres horas post meridiem. Insuper Nauarrus suprà num. 85. docet generatim ob aliquam causam rationabilem id ipsum licere modò fiat priuatim & sine scandalo, quia nullus est Canon vel ratio, quæ id vetet; vnde priuilegia circa hoc nihil habent vltra ius commune. Idem tenet Vualdus & alij Hac Nauar. cuius sententia etsi sit probabilis, consuetudo tamen Ecclesiæ est in contrarium non licere, nisi magni momenti ratio aliud suadeat. Posset etiam Episcopus pro aliquot vicibus dispensare, licet fortasse generatim id non valeat indulgere.

11. *Non interrumpenda Missa sine graui causa.* Statuendum est quintò, sanctum Missæ sacrificium non esse interrumpendum sine graui causa, alioqui grauis & aliquando mortalis committeretur irreuerentia. Docet Nauar. in Miscelan. de Oratione cap. 87. adueniente populi multitudine vel Principe quopiam posse Missam, quæ perducta fuerat vsque ad Euangelium rursus inchoari vt omnes sacrum integrum audiant, & probat efficaciter.

Licitè verò interrumpitur post dictum vel cantatum Euangelium, vt verbum Dei populo annuntietur ex antiquo Ecclesiæ & recepto more.

Deinde si sacra Synaxis populo ministranda, quod sæpe fieri solet à sacerdote postquam ipse communicauit, vt reliquias minores sumere possit.

Item ob alias causas notabiles, v. g. si ante inceptum Canonem ingrediatur quis excommunicatus denuntiatus, tunc si exire non velit, sacro abstinendum; Canone autem inchoato progrediendum in Missa vsque ad communionem; tunc autem abeundum, & sacrum alibi perficiendum.

Alias causas hic prætermitto, de quibus suo loco agendum; interim de his legendus Stephanus Fagundez lib. 3. de primo Ecclesiæ præcepto cap. 18.

Postremò quæri solet, num recitatio Matutini Missæ sacrificio priuatim præmitti debeat. Verùm hac de quæstione copiosè à me dictum est lib. 2. de Horis Canonicis cap. 16. vbi docui nullum certum ordinem vel dependentiam Matutinum aut Horas inter & Missam intercedere, & ideo si quis Matutinum Officium tempore piorum virorum consuetudine determinato recitauerit, & eodem modo celebrauerit, nullum prorsus committit peccatum, quidquid aliqui Doctores veteres nec iure nec ratione fulti tenuerint. Sermo autem hîc est de lectione priuata. 12. *Priuatim non necessariò præmittitur matutinum Sacrificio.*

CAPVT XXII.

Vtrum sacerdos iure diuino teneatur sub vtraque specie V. Eucharistiam consecrare & sumere.

Sacerdos saltem præcepto Ecclesiæ debet S. Eucharistiam sub vtraque specie consecrare & sumere, vt communiter censent Doctores, & patet ex Canone *Relatum*, & Can. *Comperimus*, de Consecratione dist. 2. 1. *Tenetur sacerdos Sacramentum sub vtraque specie consecrare & sumere iure Ecclesiastico, & etiam diuino.*

Deinde probabilius est consecrare & sumere debere sacerdotes V. Eucharistiam sub vtraque specie iure diuino.

Et quidem de sumptione vix potest esse dubium, si consecratio vtriusque speciei est ad sacrificium necessaria, cum sacerdos teneatur particeps esse sacrificij à se oblati.

De consecratione verò plures asserunt Doctores vt Caietan. in quæst. S. Thomæ 80. art. 12. ad 3. Paludan. dist. 11. quæst.

11. quæst. 1. art. 1. Suarez, Vasquez, Præpositus & alij, qui censent consecrationem vtriusque necessariam esse ad essentiam sacrificij Missæ.

Confirmatur ex verbis Domini Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus, vt ait Tridentinum sess. 22. cap. 1. præcepit Dominus Apostolis & eorum in sacerdotio successoribus, vt offerrent & sumerent Corpus & sanguinem suum sub symbolis panis & vini, sub quibus ipse obtulerat. Vbi Concilium insinuat de vtraque specie extare diuinum præceptum.

Nec refert quòd S. Lucas illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem* referat immediatè tantùm post consecrationem panis, & non post consecrationem vini, quia vel Lucas ea per Anticipationem retulit, cùm post consecrationem vtriusque speciei ea dicta esse insinuet noster Canon, vel certè his dicta sunt à Domino, nempe post singulas species consecratas, quod indicat Apostolus prioris ad Corinth. 11.

2. *Non dispensat in hoc Ecclesia.* Ex hoc sequitur Ecclesiam non posse vllo modo dispensare vt Sacrificium Eucharisticum sub vna specie perficiatur, cùm non possit mutare essentialia Sacramentorum aut sacrificij, cùm vtraque sint diuinitus instituta; alioquin non essent legitima. Sunt tamen quidam Doctores, qui nō omnino improbabiliter docent Pontificem in hoc posse dispensare ob extremam aliquam necessitatem, vt tenet Gabriel Lectione 53. in Canonem, Adrianus quæst. de ieiunio necessario ad sumptionem Eucharistiæ, & alij quidam.

3. *Refutatur Volaterranus, qui ait Pontificem dispensasse.* Quod autem aiunt ex Raphaele Volaterrano lib. 7. Geographiæ cap. de Saxonibus, Innocentium octauum cum Noruegis dispensasse vt sacerdotes eorum sub specie solius panis consecrarent, planè incredibile est. Hæc autem sunt Volaterrani verba pag. 80. *Noruegis, ait, Innocentij VIII. Pontificis concessione permissum sine vino calicem consecrare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat.* Hæc ille.

Quis non videt multa in illâ narratione absurda, & ad propositum nostrum non pertinentia contineri.

Primum, non dicit Raphael concessisse Pontificem vt sub altera specie, panis scilicet tantùm, consecraretur, qua de re agimus, sed vt calix sine vino consecraretur.

Alterum, peto ab eodem, an calix consecrabatur vacuus, an certè illi infusus esset alius liquor, vt puta, aqua an cereuisia? Primum dicere ridiculum est, & insanum; alterum hæreticum, cùm vini liquor de vite expressus sit materia consecrationis calicis ex Concilio Florentino & Trident. sess. 13. Canone 2.

Tertium, peto à Volaterrano, an ante Innocentij tempora numquam fuerint tam immensa frigora, vt vinum acesceret, vel potiùs congelaretur. Si fuerint, & tunc in vino consecratum fuerit, vt suppono, quid opus fuit postea dispensatione.

Postremum, mirum admodum est apud alios auctores nullum illius dispensationis extare vestigium, & non frequentiorem illius fuisse vsum.

Ex dictis sequitur secundò, nullum moraliter loquendo, incidere posse casum, in quo liceat consecrare & sacrificare in sola specie panis; nequidem vt ægrotanti periculosè viaticum ministretur; quia tunc excusatur infirmus à præcepti transgressione ob Sacramenti defectum; multominus hoc licebit, vt populus diebus festis Missam audiat, vel in Paschate communicet vel si vinum initio sacrificij allatum non fuerit, nec possit postea haberi, vel sine perturbatione populi adferri.

CAPVT XXIII.

Vtrum nocturnæ pollutionis immunditia arceat sacerdotem à sacrificio.

1. *Pollutio non impedit ratione sui à sacrificio, sed solùm ratione causæ vel effectus.*

POllutio non semouet à sacrificio ratione sui, sed ratione causæ vel effectus. Videndus S. Thom. 3. par. quæst. 80. art. 7.

Ex quo sequitur pollutionem, quæ cum nullo peccato coniuncta est, neque post relinquit euagationem mentis, vel fœdas imaginationes non impedire à sacro celebrando.

Obserua ad euitandos scrupulos; si quis post pollutionem ex mortifero peccato prouenientem celebret, modò anteà debitè peccatum suum sit confessus, nec vllus amplius restet libidinis sensus, vel animi distractio, seque ad deuotionem excitet, non peccat, quamuis nulla grauis causa illum ad celebrandum vrgeat, sed solùm pius aliquis motus, vel honor Dei ad hoc inclinet, vt Nauar. Enchiridij cap. 21. n. 51. Ratio est, quia nihil necessariò impedit sacrificij celebrationem & Sacramenti sumptionē præter peccatum mortale præsens; distractio autem & imaginatio quæ residua esse potest ex libidinis fluxu solum impedit ex decentia, ita vt sit peccàtum veniale cum illâ celebrare, nisi aliqua grauis causa adsit, & tunc homo faciat quod in se est, vt illam depellat, tunc enim ne veniale quidem erit. Ipsa autem corporalis pollutio cùm omnino præterierit, & nihil eius extet, nullo modo per se impedire potest. Itaque si peccatum deletum sit, & omnis distractio inde orta depulsa, nihil superest, quod celebrationem impediat.

Idem dicendum de pollutione nocturna, quæ sine peccato accidit, si nulla inde mentis indispositio relicta sit.

Curandum autem, vt si quis noctu etiam sine peccato carnis fluxum sit passus eo feruentiùs se excitet ad deuotionis affectus, vt nulla restet in animo impuritatis vel libidinis sensus, alioquin esset saltem veniale sic sacrificium peragere: nam quantum in nobis est etiam omnes distractiones in perceptione tanti Sacramenti sunt euitandæ.

Sæpius etiam consilij erit post pollutionem sequenti die à sacrificio abstinere, nisi vel festi solennitas, vel obligatio ratione officij vel grauis causa aliud requirat.

CAPVT XXIV.

An sacerdos ieiunus debeat sacrificium celebrare.

DIcendum est primò, hoc sacrificium a sacerdote ieiuno omnino celebrandum, quandoquidem in eo Corpus & sanguinem Domini sumere debeat, quæ ordinariè non nisi à ieiunis sumuntur.

1. *Sacrificium peragendum à ieiuno ex Traditione Apostolicâ.*

Est hæc traditio Apostolica, vt docent multi Patres, & inter eos Augustin. Ep. 118. c. 6. *Ex hoc*, inquit, id est, ab vltima cœna, *placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm reliqui cibi: nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur*: Dicit tamen Cap. 7. quosdam semel ad imitationem Domini post cœnam hoc Sacramentum sumere, & idem permittitur in Concil. Carthaginiensi 3. cap 29. sed hæc exceptio nunquam fuit vniuersalis, & iam penitus est abrogata, vt colligitur C. Ex parte de celebratione Missarum, vbi Innocentius tertius statuit, ne sacerdos quando secundum sacrum postea facturus

cturus est, tunc in priore sumat ablutionem.

2. *Requiritur ieiunium naturale à mediâ nocte.* Aduertendum hac in re non sufficere ieiunium Ecclesiasticum, sed ex sensu & vsu Ecclesiæ requiri ieiunium naturale, idque ab initio diei, quem vocamus, naturalem, id est, à tempore, quo sol ab altera meridiani parte nobis opposita, quæ punctum mediæ noctis dici solet, incipit ad nos accedere, vel, vt in Belgio loquimur, ab horâ noctis duodecimâ, vsque ad tempus quo V. Eucharistia sumenda est. Soluitur autem hoc ieiunium quacumque extrinsecâ cibi vel potus sumptione, quantumcumque exiguâ quantitate accipiatur, idque siue nutrimenti, siue medicinæ causâ fiat, siue aduertenter & ex intentione, siue fortuitò & casu.

3. *Quibusdam defluentibus non soluitur, quibusdam verò soluitur ieiunium.* Aduertendum præterea non solui hoc ieiunium per saliuam vel catharros è cerebro defluentes, vel etiam sanguinem in os descendentem, similiter nec per illa quæ per modum saliuæ in guttur demittuntur, vt sunt reliquiæ cibi inhærentes dentibus, guttæ aquæ inter abluendum os (nisi notabilis esset quantitas etiam præter intentionem) item iuris vel vini dum ad solum saporem gustantur & exponuntur, multò minùs, illud soluit gustus rei siccæ vt cinnamomi, vel similis aromatis, vel eius attritio inter dentes. Excipe tamen hinc saccarum, succũ glycyrrhizæ &c. quæ ori imposita resoluuntur & attrahuntur in ventriculum, quia est quædam continua comestio. Idem dic de attractione tabaci vel Nicotianæ per os, si in stomachum sorbeatur, quia per modum cibi vel potus sponte delabitur.

Dubitatur, an soluatur ieiunium, si quis ex certa scientia & intentione reliquias cibi præcedenti die sumpti dentibus adhærentes deglutiat: Negat Tabiena & reijcit tamquam scrupulosum, & alij apud Dianam. Affirmat cum alijs Paludanus, & rectius. Errat autem Diana cùm citat Francisc. Suarez pro sententiâ negante; nam expressè docet illas ore reijciendas. Idem dic de papyro contrita & in stomachum demissa cum eodem, (licet alij contrarium teneant.) Illa enim ab extrinseco in os ingeruntur, & propriâ actione siue per se in stomachum traijciuntur, non verò per modum saliuæ vel respirationis vel ab intrinseco. Videndus de his Card. de Lugo Disput. 15. Sect. 2. maximè de reliquijs cibi, de papyro contritâ, de musca attracta per respirationem, qui opiniones DD. concordat.

Aduertendum tertiò, ex Suarez disput. 66. sect. 4. & Præposito Quæst. 80. art. 8. dub. 1. & alijs, peccatum esse mortale naturali infracto ieiunio, etiam si vel minimum sumptum sit per modum cibi vel potus, tunc V. Eucharistiam sumere, nec fieri veniale ex leuitate materiæ; & ratio est, quia præceptum huius ieiunij non est abstinentia à cibo vel potu simpliciter, cuius transgressio, ratione materiæ posset esse leuis, sed est negatiuum, scilicet, non sumere V. Eucharistiam post cibum vel potum, quod violare graue est: vnde qui post voluntariè haustam stillam aquæ communicat, mortaliter peccat, nisi inaduertentia vel ignorantia inuincibilis excuset. 4. *Peccatum est mortale naturali soluto ieiunio V. Eucharistiam sumere.*

Aduertendum quartò, ex sententia S. Thomæ & communi, non requiri, vt quis post sumptum cibum dormierit, vel illum concoxerit; sufficit enim vt sit ieiunus à nocte media. Quod si quis propter discordiam Horologiorum non possit discernere punctum noctis mediæ, potest tunc tutò sequi Horologium quod tardiùs horam pulsu indicat, modò non constet illud errare, vt communiter Doctores. 5. *Quid faciendum in dubio sumpti cibi, post mediam noctem? & in Horologiorum diuersitate.*

Quod si quis dubitet an aliquid trãsmiseris

miserit per os in ventriculum post mediam noctem, non poterit postridie celebrare vel communicare; & ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis; hic autem tempus mediæ noctis possidet suam libertatem, quo vetatur quis dubius de sumptione cibi V. Eucharistiam manducare; aliud foret si ipse dubitaret an cibum traiecisset, quia tunc suam possideret libertatem, & posset communicare; dubius enim est, non de tempore traiectionis, sed de traiectione. Vide Vasquez, Suarez, Sancium Layman & maximè de Lugo suprà.

6. *Casus quibus licet soluto ieiunio communicare.* Dicendum secundò, varios posse occurrere casus, in quibus liceret soluto ieiunio communicare vel celebrare, vt constat ex S. Thoma, Doctoribus, & consuetudine Ecclesię recepta: & ratio est, quia potest contingere, vt quis teneatur communicare vel celebrare iure naturæ vel diuino siue cibum sumpserit siue non; non potuit ergo Ecclesia suo præcepto prohibere vt in illis euentibus non celebret vel communicet nisi ieiunus.

7. *In periculo mortis infirmis datur non ieiunis per modum viatici.* Primus ergo casus est periculum mortis in ægrotis, in quo non potest commodè expectari tempus quo sunt ieiuni sine graui detrimento, ex iudicio medici, nec propterea etiam intempestiuè danda V. Eucharistia; quin etiam sæpius illis præberi potest in eodem morbo, non solùm, quando varietas in illo apparet, sed etiam aliquot interpositis diebus, si periculum duret, vt Armilla V. *Communio* §. 18. Filucius, & alij. Addit Layman; si quis assuetus sæpe communicare aut sacrificare, propter deuotionem ægrè abstineat, permitti ipsi potest, vt altero statim die communicet non ieiunus; imò aliqui generatim docent ab infirmis non ieiunis posse toties sumi, quoties à sanis ieiunis; quia ab hac lege in Concilio Constantiensi excipiuntur infirmi sine vlla limitatione. Ita Hurtado. Rectè autem docet sup. Lugo in tanta DD. varietate sequendam piam fidelium consuetudinem, vt detur infirmo periculosè diu laboranti etiam non ieiuno post dies septem. Præterea potest etiam illis dari in cochleari cum modico vino vel aqua, si præ siccitate aliter hostiam transmittere non possint, sicut in die parasceues pars hostiæ consecratæ cum vino sumitur, & in ablutione de particulis hostiæ, & vini consecrati guttis calici adhærentibus est quotidianum. Ita Præpositus, Suarez, & alij.

Sunt tamen qui negant post semel sumptum viaticum in mortis periculo à non ieiuno, posse iterum sumi eodem morbi etiam diuturnioris statu perseuerante post sumptum cibum; quia tunc non sumitur per modum viatici. addunt tamen alteram sententiam docentem quòd quando morbus grauis est diuturnus, possit præberi communio non ieiuno non esse improbabilem, & in praxi securam, quam tenent plures Doctores, vt Nauarrus, Fumus Graffijs, Tabiena, Sa V. *Eucharistia*. nu. 5. Suarez disp. 68. sect. 5. §. *Duo vero*.

Eodem quo infirmi, de quibus iam dictum, priuilegio gaudent etiam grauiter vulnerati, & extremo supplicio afficiendi, si illud differri non potest, vnde vna hora ante mortem illis potest præberi, etiam post cibum præsumptum.

Alter casus, quo non ieiunus sacrificare & cõmunicare potest, occurrit, si nempe post vnius, aut etiam alterius speciei consecrationem recordetur se non esse ieiunum, aut etiam sciens, & volens ad celebrandum non ieiunus accesserit; debet enim tunc pœnitere & prosequi: si verò nondum ad consecrationem peruentum sit, potest vtérque sacrum inceptum relinquere, si pos- 8. *Potest sacerdos non ieiunus communicare si post consecrationem ipsius recordetur.*

possit sine scandalo vel infamiâ: & hoc tutius est. Sunt tamen qui censent sacerdotem huiusmodi posse pergere, licet hoc aduertat ante consecrationem: cum quibus & ego sentio, maximè post Canonem inceptum. Alij hoc negant, excepto casu quo non potest sine nota ab altari discedere. Idem dicendum de eo qui iam accessit ad scamnum communicantium vt V. sumat Eucharistiam. Est enim eadem ratio.

9. *Item si loco vini aquam sumpserit.*

Pertinet huc, si sacerdos loco vini consecrati sumpsit aquam: tunc enim debet vinum accipere, consecrare & consecratum sumere vt sacrificium perficiatur. Quod autem hoc in casu volunt quidam sacerdotem, qui aquam ore hausit debere in vasculum vel calicem eijcere, & post vini consecrati sumptionem eam resumere, nimis perplexum est: vnde non videtur sacerdos illam aquam bonâ fide hauriens peccare.

10. *Tenetur sacerdos etiam non ieiunus perficere sacrificium ab alio imperfectũ relictum.*

Tertius casus est. Si celebrans deficiat post consecrationem vnius vel vtriusque speciei, & non adsit sacerdos non ieiunus, qui possit perficere, tunc etiam sacerdos non ieiunus tenetur: præstat enim consummari sacrificium à non ieiuno, quàm ieiunium ante communionem obseruari.

11. *Potest sacerdos post ablutionem sumere reliquias quæ post illam remanserunt.*

Quartus est. Si sacerdos sumptâ ablutione inueniat aliquas reliquias in calice vel patenâ aut corporali, easque eiusdem sacrificij, potest illas sumere quamdiu est in altari, etiam si sint grandiores, & magna mora intercesserit, vt quando datur populo diu communio. Ita Victoria quæst. 83. & alij: & ratio est, quia pertinent illæ reliquiæ ad idem sacrificium, & sacerdos censetur adhuc versari in eadem actione, quæ ordinatur ad consumptionem eiusdem sacrificij, post quam tamen finitâ misâ ab altari recessit, non potest eas sumere quia ministerium suum impleuit, nisi fortè periculum esset ne perirent: reliquiæ autem alterius sacrificij non debent sumi post ablutionem, nisi ad vitanda maiora incommoda.

Contingit quandoque particulam hostiæ sacratæ in calicem immissæ in eodem remanere hærentem; quæ infuso vino sumi potest.

Eadem ratione, si adhæreat particula hostiæ palato laici dum communicat, potest sumpto vino vel aqua illam deglutire, vt & sacerdos sumendo ablutionem.

Nota hîc, quando ciborium vel pyxis, aut calix purgandus est, in quo consecratæ fuerunt hostię minores pro laicis communicaturis, particulæ in eo residuæ consumendæ sunt ante ablutionem, quantum commodè fieri potest, v. g. in calicem eas mittendo; alioqui, sumi poterunt cum vino in vasculum vel pyxidem immisso, quia moraliter loquendo vix aliter fieri potest.

12. *Si periculũ irreuerentiæ Sacramento impendeat, poterit illud à non ieiuno consumi.*

Quintus casus est, Si periculum ingruat, ne V. Eucharistia indignè à fidei hostibus tractetur, incendio absumatur, à soricibus corrodatur, ab hæreticis conculcetur, tunc sacerdos non ieiunus, vel etiam laicus sumpto cibo, eam poterit manducare: quod etiam accidere potest sacerdote ab altari reuerso in Sacristiam, si ipse aduertat particulas aliquas remansisse in patena, quas probabile sit perituras nisi consumantur, nec adsit alia ratio succurrendi.

13. *Sacerdos vt det viaticum infirmo non potest celebrare non ieiunus, ordinariè loquendo.*

Nota Ioannem Maiorem in 4. d. 9. quæst. 3. existimare posse sacerdotem non ieiunum celebrare, vt infirmum sine viatico alioqui è vita decessurum communione reficiat, qui etiam tunc multa absurda posse fieri ibidem admittit; quod plures Doctores vt Paludan. Sotus, Victoria fieri posse negant; quod omnino est tenendum; & ratio est, quia cùm hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, & ex illâ licentia celebrandi, possint sequi graues irreue-

uerentiæ,meritò potuit hoc Ecclesia vetare:aliàs si nasceretur inde verũ scandalum,v. g. desperatio infirmi, vel turbatio & odium amicorum,posset tunc sacerdos, non ieiunus celebrare, & ratio est, quia lex positiua cessat in casu scandali, quod iure naturali vitandum est:similiter si alioqui sequeretur notabilis infamia sacerdotis.sed hi casus rarissimè accidunt; & potius erit admiratio aliqua quàm actiuum & verum scandalum; non datum, sed acceptum.

Ceterùm hoc in casu & infirmus excusatur ab obligatione recipiendi, & sacerdos, si parochus sit, à præcepto ministrandi Sacramentum,cùm legitimè non possit præberi. Quia tamen multi Doctores concedunt posse absolutè sacerdotem non ieiunum celebrare vt infirmo det viaticum, non est sententia hæc improbabilis. Ita Lugo.

CAPVT XXV.

Vtrum sacerdos, qui sibi conscius est peccati mortalis teneatur illud confiteri, priusquam celebret & communicet.

I. *Peccat mortaliter sibi conscius peccati lætalis, si sine pœnitentia V. Eucharistiam sumat.*

NOn est dubitandum mortaliter peccare eum qui sine pœnitentiâ mortiferi peccati sibi conscius V. percipit Eucharistiam:hoc enim fides Catholica tenet, & præsupponitur à Tridentino sess. 13. cap. 7. & Canone 11. Colligitur verò manifestè ex Apostolo 1.ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini*; quem locum suprà ad hoc propositum Tridentinum adducit; est enim scriptura euidentissima.

Præterea, si figuræ huius Sacramenti in veteri lege,v. g. panes Propositionis non poterant sumi nisi à legaliter mundis, quantò magis non poterit ipsa veritas & sanctitas nisi à mundis supernaturaliter.

Postremò committitur grauis irreuerentia in Christum,cùm peccator intra viscera ipsum indignè suscipit, non diiudicans & discernens Corpus Domini purissimum & sanctissimum ab alijs cibis terrenis & profanis. Subaccedit,quòd peccator quantum in se est, falsum reddit significatum Sacramenti, quæ est vnio cum Christo per caritatem, & nouum gratiæ augmentum, cuius ipse non est capax, cùm in illo nec gratia,nec caritas reperiatur.

Secus esset, si quis simplici contactu hoc Sacramentum, vel etiam Corpus Christi in propria specie contingeret: hic enim contactus non esset peccatum mortale etiam si fieret à peccatore, modò fiat cum aliqua reuerentia, immo si fieret, vt ab ipso sanctificaretur,non esset peccatum: sumptio autem intra se suaque viscera longè arctiorem & maiorem familiaritatem designat; vnde meritò maiorem præparationem requirit.

Sancti Patres frequenter inculcant sanctitatem necessariam esse in perceptione huius Sacramenti. Sufficiat S. Clem.Constit.Apostol.lib. 7. c. 27. *Siquis sanctus est accedat; si non est, curet vt fiat per pœnitentiam.*

Porrò peccati huius grauitas oritur non ex præcepto aliquo positiuo prohibente indignam Sacramenti perceptionem,sed ex iure naturæ, quo vetatur omnis irreuerentia erga res diuinas, & sacras: vnde est grauissimum non quidem absolutè, sed inter indignas Sacramentorum susceptiones, & circa puras creaturas commissas iniurias longè superat. Vide S. Thom, qu. 80.art.4.& 5. 2. *Indigna illius sumptio grauissimum est peccatum secundum quid.*

Dicendum nunc primò, teneri peccatorem

3. Tenetur peccator ante illius sumptionem confiteri ex præcepto Ecclesiæ & etiam iure diuino positiuo.

catorem conscium sibi peccati mortalis antequam V. Sacramentum accipiat, præmittere Confessionem ex præcepto Concilij Tridentini sess. 13. cap. 7.

Vlteriùs dicendum hanc confitendi obligationem non esse nouam, sed semper in Ecclesia fuisse, vt constat ex Trident. suprà, vbi ait: *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur* (quâ præparatione constituitur in gratia) *absque præmissa sacramentali confessione accedere debeat, quod à Christianis omnibus etiam ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc Sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illis copia Confessoris.*

Est contra quosdam Doctores, Panormitanum Cap. *De homine*, de celebratione Missarum, Caietan. 3. p. q. 8. ar. 4. & in Summa V. *Communio*, Armil. eodem §. vltimo, qui putant sufficere contritionem, sed nostra est communis Doctorum; & manifesta est ex locis multorum Patrum, B. Cypriani Epist. 10. quæ est ad Clerum, vbi reprehendit quosdam sacerdotes, qui admittebant peccatores ad V. Eucharistiam ante Exomologesin siue Confessionem. Vide etiam sequentes Epist. 11. & 12. Eusebius lib. 6. Hist. cap. 27. scribit Philippum Imperatorem Christianum non prius admissum ad sacram Synaxin quàm confiteretur peccata sua. Idem habet S. Leo Epist. 91.

Dicendum præterea, hanc confitendi obligationem, etsi consentanea sit iuri naturæ, supposità institutione huius Sacramenti, & Sacramenti Pœnitentiæ; non tamen esse legis naturalis, sed positiuæ diuinæ.

Prima pars facilè suadetur, quia V. Eucharistia continet ipsum summæ puritatis & sanctitatis auctorem, ergo consentaneum est vt ad eum suscipiẽdum summam diligentiam quis adhibeat, non solùm per internam contritionem, sed etiam per Confessionem.

Altera pars, quòd tamen non sit iuris naturalis etiam probatur: nam ius naturale non obligat nos ad summam diligentiam, nec ad summã certitudinẽ bonæ dispositionis, sed solùm ne indignè accedamus: atqui non censetur indignè accedere, qui bona fide se existimat esse in statu gratiæ, vt patet in alijs Sacramentis viuorum, ad quæ sufficit contritio, nec requiritur confessio.

Deinde; quamuis certus omnino quis esset remissionis peccatorum, deberet tamen communioni præmittere Confessionem, vt omnes docent: ex quo euidenter sequitur hanc obligationem esse iuris positiui, non naturalis: Ius enim naturæ desinit obligare cessante illius remedij necessitate.

Tertia pars, hanc obligationem esse iuris diuini positiui est plurium Doctorum, vt Soti in 4. d. 12. qu. 1. art. 4. Cani Relectione 5. de Pœnitentia, Couaru. in C. Alma, §. 1. num. 7. Vict. Suarez & aliorum; & satis insinuat Tridentinum & Cyprian. suprà, vbi ostenditur illa obligatio semper in Ecclesia fuisse, quam promulgauit Apostolus suprà: & ratio est, quia si esset solùm iuris humani facilè potuisset aboleri, sicut alia Ecclesiæ præcepta; sed vbique & semper videtur hoc præceptum obseruatum, & vbique obseruandum statuit Tridentin. sess. 13. Can. 11. vbi hæc habentur: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Aduerte tamen non esse improbabile hoc præceptum esse dumtaxat Apostolicum, sicut præceptum de Eucharistia à ieiunis sumenda, quod tenet Nauàr. de Pœnitentia dist. 5. Ioan Medina Codice de Confessione, quæst. 14.

Nunc dicendum secundò, posse

4. quem peccatorem conscium sibi peccati mortalis celebrare vel communicare non præmissa Confessione concurrentibus duabus conditionibus, quas supra memorat Trident. scilicet si necessitas vrgeat, & desit copia Confessoris.

Potest peccator communicare non præmissa confessione si vrgeat necessitas, & desit Confessarius.

Prior conditio, siue necessitas celebrandi vel communicandi censetur vrgere

5. Primò, si sacerdos, sit in periculo vitæ & desit Confessarius, tunc enim poterit celebrare & seipsum communicare.

Septem in casibus vrget necessitas communicandi.

Secundò, si proximus sit in periculo vitæ, & vt ei viaticum detur, necesse est te celebrare.

1. 2. 3. Tertiò, si ex officio tenearis celebrare, & non possis per alium, vt Parochus diebus festis & Dominicis ne populus careat sacro, cuius casus meminit suprà Tridentin. Si verò non teneris ex officio, nulla est necessitas, etsi populus Missâ careret; quia populus nō tenetur audire quando Missa non celebratur. Circa tamen hunc casum aduerte non esse improbabile etiam huiusmodi sacerdotem posse tunc temporis celebrare, vt alij sacrum audiant; sic enim tenet Henriquez & plures alij.

4. Quartò; quando non teneris quidem celebrare vel communicare, tamen sine scandalo vel notâ infamiæ non potes omittere. Non sufficit autem sola admiratio populi, nisi moraliter simul timeatur infamia vel scandalum, sicut ferè coniungi solent, vt notat Suarez, ex Corduba.

5. Quintò, si aliter non possit sacrificium perfici, vt si sacerdos post consecrationem deficeret, & tu solus sacerdos adesses, deberes perficere inchoatum ab altero sacrificium, etiamsi non posses præmittere confessionem: & ratio est, quia perfectio sacrificij est maioris momenti quàm præmissio Confessionis ante ipsum sacrificium.

Sextò, si post consecrationem committas peccatum mortiferum, vel recorderis te eo esse obstrictum, teneris quidem statim conteri, sed non teneris ante communionem confiteri, etiamsi commodè possis sine infamia sacerdotem ad altare vocare (nisi fortè existimares te non concepturum contritionem, sed solam attritionem) Ratio est, quia non expedit partem illam sanctissimam & actioni sacrificandi cohærentem interrumpere. Quod si ante consecrationem, peccati mortiferi recorderis, teneris confiteri, si commodè & sine notâ possis, quia illa pars Missæ solum est præparatoria, & extrinseca actioni sacrificandi. Quod si non possis sine notâ sacerdotem arcessere, potes progredi concepta contritione, vel etiam desistere, si absit scandalum. Sūt tamen Doctores aliqui qui docent huiusmodi sacerdotem non teneri confiteri etiam si sine scandalo vel notâ possit: quod etiam est practicè securum, neque Rubricæ Missalis Cap. *de Missæ defectibus*, ex parte animæ id præcipiunt; quæ tamen iubent excommunicatum à Missa cessare ante consecrationem, si sine scandalo possit. Idem dicendum de eo, qui iam accedit communicaturus ad scamnum communicantium, & recordatur peccati mortiferi non subiecti confessioni: nam si absque nota non potest se subducere, potest communicare sine præuia illius confessione, quod si potest se commodè subtrahere, tenetur omnino illud peccatum confiteri ante communionem, etiam si paulò ante confessus esset alia cum debita diligentia, vt sentiunt omnes pæne Doctores, etiam ante Concil. Tridentin. vide Nauar. cap. 21. Enchir. n. 49. & post Concil. res est certa. Nam sic habet sess. 13. Can. 11. *Statuit atque declarat ipsa sancta* 6.

Synod

Synodus illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem, & excommunicat eos qui præsumunt contrarium docere &c. vt supra. Loquitur autem Concil. de Confessione Sacramentali illius peccati mortalis, cuius conscientia quempiam grauat; huius enim ait Confessionem debere præmitti.

7. Septimò, si ex præcepto Ecclesiæ teneris audire Missam vel communicare, vt impleas præceptum Ecclesiæ, potes celebrare & communicare etiamsi non possis confiteri, vt docent plures Doctores: Ita Domic. Sotus, Suarez ex Siluestro, Paludano, & alij: quæ sententia est probabilis: nam probabile est præceptum de præmittendâ confessione esse Ecclesiasticum; contrarium tamen est probabilius & verius ex fundamento contrario; probabilius enim est præceptum esse diuinum vt confessio præmittatur, ac proinde non videtur debere præteriri, vt seruetur præceptum Ecclesiæ de Communione in Paschate, vel de Missa audienda die festo.

6. *Quando censeatur deesse copia Confessarij.*

Altera conditio est Confessarij inopia: Censetur autem Primò hæc esse,
1. si ipse linguam tuam ignoret; non enim vt V. Eucharistiam suscipias, teneris confiteri per Interpretem, quamuis fortè in periculo mortis tenearis.

2. Secundò; si prudenter à Confessario metuas infamiam vel aliud malum tibi vel alteri; tunc enim illa peccata, de quibus est timor mali, confiteri non teneris; si tamen alia mortifera habes, de quibus nihil times, debes ea confiteri, vt rectè Nauar. cap. 7. n. 6. quòd si præter illa non habes nisi venialia, non teneris, quia venialia non sunt materia necessaria sed voluntaria, nisi fortè non possis contritionem elicere ante communionem.

Tertiò; si Confessarius non possit te absoluere directè, eò quòd habeas casum Superiori reseruatum, & tunc non possit commodè adiri. Ita Armilla V. *Communio* §. Vltimo, citans Archidiacon. & Paludan. Item Victoria quæst. 79. quæ sententia non est improbabilis: nam videtur graue onus idem peccatum bis confiteri, vt fit in hoc casu. Tamen verius videtur, si habeas aliqua mortifera, à quibus inferior potest directè absoluere, quod ei tenearis confiteri ante communionem, & quidem integrè: & ratio est, quia hoc onus non est tanti, vt possit excusare ab obseruatione illius præcepti de præmittenda confessione ante communionem, quia desit sacerdos habens directam potestatem in aliqua peccata necessariò confitenda. Confir. quia propter hoc onus non excusaretur quis à præcepto Confessionis annuæ, quod tamen constat esse solius Ecclesiæ: ergo multò minus ab hoc præcepto quod verisimile est esse diuinum.

Quod autem quidam docent censeri deesse copiam Confessarij in re præsenti, si desit ordinarius, cui soles deuotiùs & liberiùs confiteri, verum non est neque securum. Vide Nauar. cap. 21. num. 49. & Sotum distinct. 12. quæst. 1. art. 4. Aliud foret, si nullus adesset, qui in te haberet iurisdictionem ordinariam aut delegatam. Quantum verò abesse debeat Confessarius, vt censeatur inopia illius v. g. an mille passus, &c. Pendet à prudenti æstimatione circumstantiarum temporis, loci, confitentis, vrgentis necessitatis ad celebrandum, vel communicandum, &c.

Nota hic ex Trident. sess. 13. cap. 7. 7. si sacerdos necessitate vrgente absque præuia confessione celebrauerit quam primum debere confiteri; quod licet Stephan. Fagundez lib. 3. de tertio præcepto Ecclesiæ cap. 8. n. 9. ...

Sacerdos necessitate vrgente absque præuia confes-

sione celebrans tenetur quamprimum confiteri. Quamprimum, explicet ante proximam celebrationem, quamuis etiam immediatè post dictum prius sacrificium habuerit confitendi opportunitatem non placet, quia ab ipso non probatur, & alij censent contrarium; quia Concilium loquitur absolutè & independenter ab omni secuturo sacrificio & communione. Vide de Lugo, qui explicat prima data opportunitate.

8. *Est autem hoc praeceptum iuris humani.* Aduerte autem hic primò, quosdam existimare hoc praeceptum esse iuris diuini & oriri ex obligatione praemittendi Confessionem ante susceptionem V. Eucharistiae: hanc enim obligationem debere statim impleri si ante communionem impleta non fuerit: sed non est vera sententia, nam praecepta affirmatiua non obligant nisi certis occasionibus, quae vbi praeterierint, cessat eorum obligatio, siue impleta fuerint, siue non: v.g. teneris dare eleemosynam in extrema vel graui necessitate proximi; qua cessante non amplius teneris, siue impleueris praeceptum siue non. Eodem modo teneris confiteri peccatum mortale quando est communicandum vel celebrandum, cùm autem tempus illud praeterierit cessat illa obligatio, quia tota ratio obligans cessat. Igitur hoc praeceptum est merè humanum introductum à Tridentino, vt rectè Nauar. c. 2. n. 10. & alij.

9. *Illo praecepto non tenentur laici.* Aduerte 2. Laicos qui communicarunt absque confessione praeuia non obligari statim postea confiteri, sed solùm sacerdotes qui celebrarunt vrgente necessitate, quod est contra Nauar. & Fagundez suprà: & ratio est, quia lex non est extendēda vltra significationem verborum. Adde, quòd in sacerdotibus sit causa peculiaris, quae non in laicis, quia multo crebrius ordinariè celebrant quàm laici communicent. Neque ratio Nauarri vrget, tum quia non est certum quòd Concil. idem de laicis statuisset si interrogatum fuisset; immo omnino credibile est hoc venisse Concil. in mentem, & tamen noluisse idem pro illis statuere; tum denique, quia hoc reipsa non statuit, non obligauit laicos. Bonum est tamen hos etiam ad hoc hortari.

Aduerte 3. ex Suarez tom. 3. disput. 66. sect. 7. stando in verbis huius praecepti, sacerdotem qui ex obliuione sine conscientia peccati mortalis celebrauit non teneri ad statim confitendum, nisi fortè ratione sacri sequentis vt etiam habet Vasq. quia Conc. loquitur de eo qui conscius fuerat peccati mortalis: similiter neque eum qui sine necessitate celebrauit cum eiusdem conscientia, quia loquitur de eo qui vrgente necessitate id fecerit. 9. *Quibusdam in casibus dubium est, an sacerdos celebrans cum conscientiâ mortalis, statim confiteri teneatur.*

An verò qui in Missa meminit mortalis obliti, aut in ea peccauit statim teneatur confiteri, videtur problematicum: cum Rubricae Missalis Cap. de defectibus Missae ex parte animae, eum qui cum conscientiâ peccati ad sacrum accedit, ad hoc obligent; hunc verò non obligent: Accedit rationem in hoc cessare: vnde verisimile est Concil. loqui de eo qui praeuia conscientiâ mortalis ad celebrandum accesserit vel cebrauit.

Similiter dubiū est de eo qui cū conscientia mortalis Missam alterius perfecerit, cùm propter raritatem casus, in quo etiam ferè cessat ratio legis, non videatur lex ex vi verborum vel intentione Concilij ad eum extendēda. Quidam tamen eum hac lege comprehendi tenent, vt & eum qui officium Parasceues celebrauit: non tamen illum qui communicauit more laico. Ita Lugo disp. 14. sect. 7. n. 139. alijs citatis, qui plures etiam casus adfert.

Porrò obserua sacerdotem qui in praedictis casibus celebrauit licitè non praemissa Confessione, debuisse iure naturae conari ad excitandum motum Con-

Cōtritionis,ita vt bona fide existimauerit se contritū, quamuis fortè solùm fuerit attritus; sufficit enim morale iudiciū de hac re ad celebrandum. Si tamen sacerdos ante Missam confessus, postea peccati alicuius mortalis recordetur ex obliuione in confessione omissi,non tenetur illius peccati contritionem elicere,sed tantum postea confiteri, quia peccatum illud in priore confessione fuit remissum virtualiter & indirectè. Ita Præpositus quæst. 80. artic. 5. dubio 3. Vasquez & alij expresse, Cardin. de Lugo disp. 14. sect. 6. n. 122.

Ceterùm sententia communis Doctorum est sacerdotem illum qui conscius sibi mortalis peccati vrgente necessitatecelebrauit cùm deesset Confessarius,teneri quamprimum confiteri;& si neglexerit peccare mortaliter: sic enim explicant illa verba Concilij: *Quamprimum confiteatur.* Vide Præpositum suprà Dubio quarto.

11. *Debet sacerdos celebraturus liber esse à Censura.* His adde,sacerdotem non solùm debere esse ieiunum & liberum à peccato mortali vt celebret & communicet, sed etiam in eo requiri, vt non sit aliquâ censurâ implicatus, v. g. Excommunicatione maiore vel minore, suspensione à diuinis, interdicto vel irregularitate,quamuis hæc censura sit occulta.

12. *Excusatur tamen si scandalum vel infamiam timeat, si non celebret.* Nota tamen ad vitandum scandalum vel infamiam,si prudenter timeretur ex Missæ omissione,posse huiusmodi celebrare, modò interim doleat & conteratur, & proponat prima opportunitate confiteri, & petere absolutionem (suppono autem deesse Confessariū qui possit eum directè absoluere,) Ita docent multi recentiores Doctores, & inter eos Ludouicus Lopez 2. parte pag. 580. vbi citat Siluest. Alphonsum à Castro,Nauar.Cordubam. Ratio est: quia sicut Domini iugum suaue est,ita etiam Ecclesiæ: vnde non censetur Ecclesia velle hominem obligare ad suarum censurarum obseruationem cum graui iactura famæ vel rerum suarum,multoque minùs quando inde sequeretur scandalum, quod iure naturæ vitare debemus. Sufficit ergo vt tunc faciat quod in se est ad dignè celebrandum.

13. *Prohibentur sacerdotes Epilepsia vel simili morbo laborantes celebrare.* Postremò in sacerdote necessaria est ea corporis decentia & compositio, quæ excludat omne periculum irreuerentiæ,vel relinquēdi inchoatum sacrificium: vnde in *C. Communiter* dist. 14. & 2. quæst. 7. per totam excluduntur omnes epileptici, siue illi qui morbum comitialem vel caducum patiuntur,vel capitis vertiginem, vel paralysim, aut apoplexiam vel similem ægritudinem. & quidem siquis huiusmodi morbo ante ordines susceptos laboret nullo modo est ordinandus, cùm talis sit irregularis: si post ordinationem Epilepsiâ laboret, non solùm priùs curandus est, sed etiam in iure cauetur,ut postquam conualuerit, antequam ad altare accedat, per annum probetur,quod seruata proportionē in alijs quoque infirmitatibus tenendum. Idem dicendum de eo qui subiectus est periculo vomitus &c. Vbi verò nullum simile discrimen interuenit,sed solùm horror quidam,vt in lepra, non omnino prohibetur celebrare huiusmodi infirmitate affectus, verùm solùm, ne publicè ministerium suum obeat, sed priuatim,postquam ad ordines promotus fuerit: nam leprosus cùm sit irregularis ad illos promoueri non potest. Vide Cap. *Tua nos*, de Clerico ægrotante.

CAPVT XXVI.

An Missæ non solennes, sed quæ priuatim à sacerdotibus celebrantur, probandæ sint.

1. *Probantur Missæ priuatæ.*

PRobant eas omnes Orthodoxi, licet ringantur & carpant Heterodoxi, qui eas priuatas vocant, quia pauci è populo ad eas conueniunt: vel angulares, quia in ijs solus sacerdos Sacramentum percipit. Ceterùm licet etiam Catholici Missas priuatas vocent, vt distinguuntur contra solennes, quas etiam Conuentuales & Parochiales appellare solemus, ad quas populus frequens concurrit, & pulsu campanarum inuitatur, cantuque graui peraguntur, cùm illæ paucis præsentibus, aliquando etiam a solo sacerdote cum ministro obeantur, quæ etiam in Missali priuatæ nominantur, nihilominus cùm disceptamus cum fidei aduersarijs, asserere possumus omnia sacrificia Ecclesiæ esse publica, nulla priuata.

Quid aliud significant apud Græcos Patres voces *λειτουργεῖν, λειτουργία, λειτουργός*, quàm publicum obire, publicum officium, minister publicus? Si apud Græcos sacrificium Eucharisticum fuit ministerium ad minus publicum, vt vocabulum Liturgia clarè indicat: ergo Missa etiam nostra officium publicum est, quæ cum Liturgia eadem est. Altercentur ergo nostri Missomastiges & Misoliturgi cum Græcis antiquis Patribus, & extorqueant S. Basilio, Chrysostomo, imò S. Apostolo Iacobo suas Liturgias.

2. *Omnis Missa nostra est publica, etiam si pauci ad eam conueniant, quia est Liturgia.*

Dicimus ergo quamcumque Missam nostram, quocumque tempore, loco, modò celebratur, esse Liturgiam, id est publicum ministerium, siue pauci siue multi conueniant, & proprijssimè & absolutè loquendo, nullam Missam esse priuatam per se, licet vocari possint aliquæ priuatæ ex circumstantijs temporis, loci, personarum &c.

Hanc Liturgiam in Ecclesia Antiochena obibant Prophetæ & Doctores, de quibus scribitur Actor. 13. 2. *Ministrantibus illis Domino* Græcè *λειτουργούντων* quod Erasmus rectè ad rem nostram vertit, sacrificantibus: Tigurina, cùm operarentur Domino: optimè: est enim propriè operari Domino, sacrificare, & Deo proprium cultum exhibere.

3. *Probatur illa à Tridentino.*

Pudeat ergo Lutheri sobolem nobis obijcere Missas priuatas, cùm ex dictis constet omnes esse publicas. Nos Catholici excipiamus auidè verba Tridentini sess. 22. cap. 6. quæ hîc ad longum exscribo, quia ad nostrum institutum pertinent. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret; nec tamen, si id non semper fiat propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim, quòd in eis populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent celebrentur.*

Accedit & Canon 8. *Siquis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Sentit ergo Concilium nullas propriè loquẽdo Missas esse priuatas, sed omnes communes, & publicas, cuius tres insinuat rationes.

Prima est, quod populus in illis spiritualiter communicet, siue pauci sint, siue multi.

Altera, quia à publico Ecclesiæ ministro, qui Græcè ideo Liturgus audit, celebrentur.

Tertia

Tertia, quia pro omnibus Christi Corporis mystici membris fiunt, & pro publica vtilitate.

Igitur dico licitas & probandas esse Missas illas ad quas vel pauci vel nulli, excepto Sacerdotis ministro, conueniunt & communicant.

4. *Probatur idem ex Antiquitate.* Constat hoc, tum ex facto Christi, (qui sacrificium obtulit in vltima Cœna in priuatis ædibus solis discipulis præsentibus) & Apostolorum, qui Actor. 2. per domos priuatas frangebant panem: tum ex Liturgijs veterum Pontificum & sacerdotum, qui tum aliàs, tum tempore sæuientis tyrannorum persecutionis etiam in cryptis hypogæis & speluncis sacris operabantur: tum denique ex more Sanctorum omnis æui, & continuo vsu Ecclesiæ Catholicæ ab eius exordio vsque ad nostra tempora. Videndus Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 9. & 10.

5. *Nec refert quòd solus sacerdos in ijs communicet.* Dico vlteriùs, non esse reprehendendas aut sugillandas eas Liturgias vel Missas, in quibus nemo è populo, sed solus Liturgus vel Sacerdos Eucharistiam percipit, quas Misoliturgi hæretici priuatas vocant.

Confirmatur hoc ex verbis Concilij Tridentini citatis, & probat suprà Bellarm.: tum ex ratione Sacrificij, quod non requirit vt populus, pro quo Deo offertur ex illo participet, vt patet ex sacrificijs legis antiquæ: tum ex praxi Ecclesiæ Christianæ, in quâ omni seculo multa oblata fuêre sacrificia, in quibus nullus ferè è populo communicabat, & tamen consuetudo illa tolerabatur, & permittebatur nihilominus populus Liturgiæ adesse.

Accedit, quòd Fabianus Papa Epist. 3. ad Hilarium Episcopum, & habetur Can. *& si non*, de Consecrat. dist. 2. statuit, vt Christiani saltem ter in anno communicent, vbi supponit non esse necessarium vt præter sacerdotem in singulis Missis aliqui è populo communicent, cùm tamen ab exordio Christianismi solerent fideles sacrificio sæpius interesse.

Denique nulla auctoritate vel ratione demonstrari potest sacra illa, in quibus nullus è laicis Sacramentum percipit, esse illicita.

Quòd verò in primordijs nascentis Ecclesiæ vel omnes vel plurimi fideles diuinis epulis reficerẽtur, mirũ non est: tunc enim pretiosiùs Christi sanguis in medullis eorum ebulliebat adhuc recens, & continua ferè tyrannis in gregem Principis Pastorum grassabatur, eratque is admodum pusillus; iam verò Ecclesiâ adultâ in multorum pectoribus primigenius ille ardor refrixit, nec passim sæuiunt aut stringuntur enses in capita Christianorum, cumque maxima sit multitudo solo nomine Catholicorum aut fidelium, non expedit sanctum dare canibus: insuper quò remotiùs à fonte sanctitatis defluunt aquæ, eò minùs limpidæ & puræ hauriuntur. 6. *Cur initio Ecclesiæ plerique omnes fideles communicarent.*

Denique Christus non præcipit vt omnes præsentes Sacrificio, de eodem participarent, nec vrgent ipsius verba Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; quia illa dirigebantur ad Apostolos, quos tum sacerdotes instituebat, & ad eorum in sacerdotio successores, quibus præcepit, vt Corpus & sanguinem suum consecrando offerrent, & oblata sumerent, distributionem verò eorumdem, solùm mandauit conditionatè, vt siqui videlicet adessent qui digni essent, illa sumerent, & qui ad illa se offerrent.

CAPUT XXVII.

An sacrificium Missæ lingua vulgari, & alta voce sit celebrandum.

1. *Ecclesia statuit Missam non celebrandam linguâ vulgari, nec per totum altâ voce.*

AIunt nostri æui hæretici, negant Catholici. De his ita sanxit Trident. sess. 22. cap. 6. *Cùm natura hominum ea sit, vt non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit, &c.*

Et cap. 8. *Etsi magnam Missa contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, vt vulgari passim linguâ celebraretur. Quam ob rem retento vbique cuiusque Ecclesiæ ritu antiquo & à sancta Ecclesiâ Romanâ probato, mandat sancta Synodus Pastoribus curam animarum gerentibus vt inter Missarum solemnia frequenter ex ijs quæ leguntur in Missa exponant, & mysterium aliquod illius declarent.*

Accedit his Canon eiusdem sess. 9. qui sic definit. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere &c. anathema sit.*

Ex his constat quid de quæstione proposita tenendum: quandoquidem enim Christus de his nihil statuerit, quod vel ex scripturâ vel traditione constet, potuit Ecclesia circa hæc sancire & disponere quidquid salutarius, vtiliusque populo Christiano iudicaret: constituit autem vt in sacrificio quædam voce submissâ, alia clarâ pronuntiarentur, & lingua aliqua nobili, Hebræâ, scilicet aut Chaldæâ, Græcâ, aut Latinâ Missa vel Liturgia perageretur: ergo hic ritus vbique obseruandus est.

De his videndus inter alios plurimos Bellarmin. partim lib. 2. de verbo Dei sub finem, & lib. 2. de Sacramentis in genere partim lib. 2. de Missâ cap. 11. & 12.

2. *Rationes cur celebretur Missa lingua non vulgari sed nobiliore aliqua.*

Primò quidem, ne linguâ vulgari Missa celebretur obstat veneranda antiquitas, quâ semper vel Chaldaicè vel Græcè vel Latinè sacris operatum fuit. Præterea requirit Maiestas augustissimi sacrificij grauem aliquam linguam, quâ apud populum honoretur, ne vilescat.

Vnde etiam nostra ætate Paulus 5. Pontifex, cùm accepisset à P. Nicolao Trigautio apud Sinas, aliam esse linguam vulgarem, aliam litteratorum, concessit ei, vt apud illos celebrari Missa posset idiomate litteratorum, vt patet ex Breui dato 27. Iunij an. 1615. & Incipit; *Romana sedis Antistes.* Insuper sic meliùs seruatur communicatio Ecclesiarum, cùm in totâ fermè Europâ quilibet Romanæ Ecclesiæ sacerdos sermone Romano posit Liturgiam peragere, quod locum non haberet, si cuiusque populi idiomate, quod singulis sæculis ferè variatur, illa celebrari deberet. Denique hoc modo nec deuotio populi impeditur cùm videamus sæpius multas orationes Latinas deuotiùs recitari à laicis quàm à doctis Clericis. Nec refert, quòd non ita populus, dum Latinè sacrum fit, erudiatur: cum quia non ea de causa Eucharisticũ mysterium peragitur vt populus instruatur, sed vt Deus honeretur, & gratiæ illi agantur: tum quia doctrina populi suppleri potest, & debet à pastoribus, qui eius arcana exponant, vt statuit suprà Tridentin.: tum postremò, quod occasio vulgo imperito præberetur multorum errorum si populari sermone omnia illa Missæ arcana pronuntiarentur sine clara explicatione.

Rursus planè conueniebat submissâ voce

voce & secreto quædā in Liturgiâ pronuntiari: de qua re cùm alibi disseruerimus, hoc breuiter & strictim insinuasse sufficiet.

3. *Item cur in illa non omnia alta voce pronuntientur.*

Quis Catholicorum ignorat sacrificium Missæ passim à Patribus vocari mysterium? quale autem erit mysterium, id est arcanum, si omnia quæ in eo peraguntur, alta voce enuntiētur? quæ, erit eorū reuerentia & dignitas, si omnia vulgi auribus insusurrentur & patefiant? Certè silentium illud & secretum maiestatem & venerationem conciliat augustis illis mysterijs: & etiam deuotio, & ad superna contemplanda mentis attentio erigitur, vt notum est.

Adde Christum summum sacerdotem cùm cruentum in Cruce sacrificium Patri offerret, quod exemplar fuit omnis nostri sacrificij, supplicationes quidem fudisse cum lacrymis, sed ijs solùm septem verba altâ voce miscuisse.

Eadem fuit consuetudo antiquæ Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ, vt constat ex Liturgia S. Basilij, Chrysostomi, & alijs.

4. *Punitio puerorum qui formulam Consecrationis ludibundi protulerant.*

Postremò, Deus videtur prodigio quodā declarasse, placere olim sibi vt formula consecrationis voce submissâ recitaretur. Contigit ante annos nongentos & refertur à Ioanne Moscho in Prato Spirituali cap. 196. de pueris Apameensibus, qui cùm verba sacræ consecrationis altâ voce sæpe pronuntiare in æde sacrâ à Presbytero audissēt, cùm propiùs altari astarent, eadem ludibundi super panem & vinum, quæ saxo imposuerant, recitarunt; & eccum ignis cœlitus delapsus, quæ proposita erant, consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita vt nihil eorum relinqueretur intactum aut integrum; quo miraculo pueri semiuiui in terram corruerunt incredibili stupore perculsi, vt fusiùs ibi refertur.

CAPVT XXVIII.

An teneatur sacerdos ritus Missalis obseruare.

Dicendum est orationes & ritus necessariò seruandos in sacrificio sacerdoti, qui in Missali Romano præscribuntur. 1. *Tenetur sacerdos ritus Missalis seruare.*

Constat hoc ex Constitutione Pij quinti, quæ præfixa Missali legitur, vbi sic præcipitur his verbis: *Mandantes & districtè omnibus & singulis Patriarchis &c. & reliquis personis Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt ceteris omnibus orationibus & ritibus ex alijs Missalibus quantumuis vetustis hactenus obseruari consuetis in posterum penitus omissis & planè reiectis Missam iuxta ritum, modum ac normā, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces quàm quæ in hoc Missali continentur addere vel recitare præsumant.*

Huc petinet etiam decretum Tridentini, sess. 22. de obseruandis & vitandis in celebratione Missæ. Nota tamen ex supradicta Pij quinti Constitutione, Missalia, quæ ducentos annos in aliquâ Ecclesiâ continuò fuerunt vsurpata permitti Clericis illius Ecclesiæ (sicut alibi diximus de Breuiarijs) quod tamen sic intellige, vt, si suum Missale retineant, debeant illius normam & ritus sequi in celebrando, nihil mutando vel addendo, vel detrahendo.

Iam Quæritur, quando, & quantum peccetur, non obseruando Missalis regulas siue Rubricas quæ constituunt preces vel ritus, hoc est, quæ præscribunt preces aliquas recitandas vel cæremonias exhibendas.

Videntur plerique Doctores non satis distinctè & clarè hanc obligationem

tionem explicasse, præter Bartholomæum Gauantum in Thesauro sacrorum rituum parte 3, tit. 11.

2. *Sententia Fagundez, non peccari mortaliter, nisi talis in illis fiat mutatio, vt noui ritus inducantur.* Igitur Fagundez de primo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 21. num. 7. & 8. dicit præceptiones Missalis etiam quæ rubricatis litteris notantur, communiter non obligare ad mortale. Vnde iuxta illum ordinariè non peccat sacerdos mortaliter, qui aliquam aut aliquas scienter & sine causa omittit, nisi omittat tantam illarum partem vt censeatur nouum ritum in Ecclesiam introducere. Igitur, summus Pontifex suo Breui non intendit singulos sacerdotes obligare ad singulas regulas Missalis seruandas sub peccato mortali, sed intendit illos generaliter obligare ad vtendum illo ritu in celebrando, & non introducendum alium de nouo. Hæc ille.

3. *Quomodo obligent Regulæ de supplendis defectibus.* Addit insuper Regulas de supplendis defectibus in Missa occurrentibus non obligare, vt docet etiam Suarez disput. 85. sect. 1. quia illæ non sunt præcepta, sed doctrinales instructiones, quæ ex se tantam solummodo obligationem inducunt, quanta est Doctrina, in qua fundantur, vnde Pontifex eas approbat tamquam probabilem Doctrinam. Sicilli.

Ioannes Azor. tomo primo Instit. Moral. lib. 10. cap. 29. quæst. 6. docet non committi circa illas peccatum mortale si ex obliuione, ignorantiâ, vel alia iusta causa, v.g. ad iter accelerandum, non seruentur.

4. *Regulæ Missalis aliæ directiuæ, aliæ præceptiuæ.* Verùm, vt hac in re distinctiùs procedatur, sciendum est, Regulas siue Rubricas Missalis, alias esse præceptiuas, alias esse directiuas: rursus alias esse tantùm directiuas, alias dubias. De singulis iam agendum allatis exemplis; & quidem directiuam tantùm censeo illam, quæ habetur tit. 10. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus n. 8. *Si*, inquit, *sumendo sanguinem particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum & sumat.* Vbi videmus poni diuersas sententias DD. probabiles, quas ad libitum sequi sacerdos possit. Prima est Scoti in 4. dist. 8. Altera Siluestri V. *Eucharistia* 2. quæst. 9. quæ magis videtur probanda ob decentiam; sic de alijs ratiocinandum.

Vlteriùs generatim præsupponendum est quasdam rubricas præscribere preces certis in Missis dicendas, vt Gloria in excelsis, Credo, Commemorationem de aliquo sancto, & eiusmodi: alias autem statuere cęremonias, quæ in actione consistunt. & quidem primi ordinis rubricas, quæ certas preces præscribunt, siquis suo loco omiserit non debet postea si recordetur repetere, quia inconcinnum hoc esset, & minus ædificaret audientes, nisi facilè secretò id fieri possit. Aliud est in recitatione Horarum, in quâ siquid omissum fuerit, postea repetendum, cùm aduertitur error, vel recitato officio. Quinimo docent plures, eum qui sciens huiusmodi aliquid prætermittit, non peccare mortaliter, sicut nec ille qui tempore Paschali vel aliquo solenni omittit aliqua quę interponuntur in Communicantes, & Hanc igitur &c. Ita Fillucius & alij: Doctores tamen non excusant à mortali, qui omitteret Epistolam vel Euangelium, aut oblationes, aut collectas, vt rectè Præpositus quæst. 83. art. 4. dubio 3. 5. *Quomodo peccetur aliquas preces omittendo.*

Quòd autem quidam censent in in Canone vnum etiam verbum omittere culpabiliter, mortale esse peccatum, non videtur admittendum: potest enim leuitas materiæ assignari non minùs in Canone, quàm in voto, vel in alijs partibus sacri, licet certum sit maiorem curam adhibendam esse in recitando Canone, & obligationem illius esse

esse strictiorem. Vnde solùm veniale videtur peccatum si culpabiliter nomen vnius & alterius Sancti ibidem omitteret, vel qui in forma consecrationis prætermitteret voculam (*Enim*): Suarez, Fillucius, alij.

6. *Peccatur mortaliter si aliquid notabile omittatur, addatur, mutetur.* Ceterùm in hoc conueniunt communiter, quòd si voluntariè vel culpabili negligentià in Missa aliquid omittatur notabile, graue committatur peccatum: quid autem sit notabile, pendet ex iudicio viri prudentis. Sicut autem aliquando omittere aliquas orationes in Liturgia est mortale peccatum, nisi obliuio vel inaduertentia, vel materiæ leuitas excuset, ita etiam in illa aliquid addere vel mutare, & quidem sæpe, grauius est, præsertim si clarà voce aliquid interseratur, maximè si fuerit alienum à cultu diuino, vel saltem notabile, vt cum Siluestro Missa 1. qu. 2. & 3. alij communiter tenent. Addit Gauant. Thesauri Rituum par. 3. tit. 10. num. 16. quòd si quis præsumeret id quod adderet, esse melius, peccaturum mortaliter, quia in Bulla Pij Quinti dicitur *ne præsumant*. Ita etiam tenet Anton. Molina Instruct. Sacerdotum Tractatu 3. cap. 11. §. vltimo, quod multò magis locum habet, si fuerit explicitus contemptus.

Aduerte tamen Doctores quosdam non improbabiliter censere, si sacerdos non intendat aliquid addere officio Missæ, sed solùm secretò tamquam priuata persona precatiunculam aliquam recitet ex propria deuotione, non peccare mortaliter.

Præterea, quæ dicta sunt de Rubricis primi Ordinis siue de precibus recitandis in Missa, similiter intelligenda sunt de cæremonijs, quæ in actione consistunt quoad grauitatem vel leuitatem materiæ, rationem peccati mortalis & venialis.

7. *Idem dicendum de Rituum omissione, additione, &c.* Vnde omittere ritum aliquem vnum vel alterum, qui solùm ad decentiam pertineat, non erit mortale, si verò speciale per illum denotetur mysteriū, regulariter erit mortale, vt v. g. voluntariè prætermittere hostiæ fractionem, & particulæ illius in calicem immissionem. Et de mixtione aquæ cum vino, nemo dubitat.

Deinde additio aliarum cęremoniarum voluntaria regulariter erit mortale peccatum si fiat tamquam pars sacrificij & ad illud spectans: secus, si interseratur ex propria deuotione, vt dictum de precibus.

Porrò, cum suprà dictum sit, Rubricas Missalis alias esse præceptiuas, alias directiuas, & illæ ex se obligent ad mortale, hæ non item, nisi per contemptum negligantur, & difficile sit discernere, quænam huiusmodi sint; ideo Gauantus in Thesauro rituum p. 3. tit. 11. Regulas plures adfert, quibus hoc discrimen agnoscatur, quarum præcipuas hîc strictim recenseo. 8. *Regularum directiuarum & præceptiuarum discrimen.*

Prima est; Quando in Rubricis habetur hæc vox, *grauissimè* vel *grauiter peccat*, certissimum est, significari peccatum mortale. Septies autem habetur cùm de Missæ defectibus agitur.

Secunda est, Quando materia Rubricæ pertinet ad integritatem Sacramenti vel sacrificij, ea ita grauis censenda est, vt omissio sit peccatum mortale.

Tertia: Eæ Rubricæ sunt præceptiuæ, in quibus concordant Doctores eas esse de re graui, & sub mortali obseruandas esse.

Quarta: Rubricæ aliquæ sunt strictioris iuris in Missis Conuentualibus siue principalibus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, vt docet Suarez, Bonacina, & alij; quia æquiparantur hæ Missæ Horis Canonicis, quæ dicuntur in choro, vt probat Marcellus Francolin. Eiusmodi est Rubrica de Concordia Missæ Conuentualis cum Officio, quæ præcipitur in Canonibus.

Quinta: Prope præceptiuæ sunt ex Rubricæ, de quibus etsi disputent Doctores, tamen summi Pontifices magis in alteram partem inclinant tamquam tutiorem, vt v. g. est illa de luminaribus cereis &c.

Sexta; Reliquæ dubiæ sunt, de quibus vtrimque disputant Doctores, vt de Orationibus ad sacras vestes dicendis, de Cruce in Altari collocanda, & similes.

Septima; Reliquæ Rubricæ directiuæ sunt, sed tamen non negligendæ. Hæc & plura Gauantus.

Quæritur hîc primò, an is qui Missam alterius diei, vel de alia re celebrat, peccet contra Pij V. diploma.

9. Respondeo non peccare, modò seruet ritum præscriptum in Missa quam celebrat; & ratio est, quia non inuenitur præceptum de Missa eiusdem diei celebranda respectu vniuscuiusque sacerdotis. Sacerdos enim vt sic non tenetur diebus singulis facere sacrum, sicut tenetur quotidie pensum horarium persoluere, & saltem regulariter proprium illius diei officium. In sacrificando autem contraria consuetudo tenetur à viris doctis & pijs: & videmus Missam pro defunctis fieri etiam festis diebus, & antiquæ fundationes extant, quibus Pastores vel Canonici obligantur ad sacra cantanda Feria 5. de Venerabili Sacramento, & Sabbato de S. Maria.

Non peccat contra Bullam Pij, qui non recitat Missam diei regulariter.

Maior autem est obligatio Rubricæ de concordia Missæ principalis, solemnis siue Conuentualis cum diei officio & Horis: nam illa expresse præcipitur in Capit. *Cum creatura*, de celebratione Missarum, in quo verbum *Mandamus*, videtur indicere obligationem sub mortali.

Adde optimum esse etiam in Missis priuatis hunc ordinem seruare, vt conueniat Missa cum officio, nisi rationabilis causa interueniat, vt passim Doctores, Siluester, Sotus, Victoria, Nauar. cap. 25. n. 7. & alij.

Quæritur 2. An sacerdos obligatus ratione stipendij, fundationis, vel aliter ad Missam aliquam Votiuam dicendam, vel pro Defunctis, satisfaciat suæ obligationi & licitè possit celebrare Sacrum quod illo die in Missali assignatur.

Multi hac de re scripserunt, sed inter alios copiosius Paulus Fraxinellus, cuius Resolutio extat apud Gauantum in fine Thesauri Rituum de Missa, vbi plurimis productis Doctoribus concludit Sacerdotem ad dicendam Missam pro defunctis obligatum, posse celebrare de Sancto, aut de Feriâ occurrente, præcipuè quando Festum Sancti est Duplex. 10.

Sacerdos obligatus ad dicendum sacrum pro defunctis satisfacit dicendo sacrum in Missali notatum regulariter.

Summam totius Disputationis in gratiam Lectoris hîc collegi, quam & ego probo.

Primò, si sacerdos stipendio accepto expresse Missam votiuam vel de Requiem promisit, eam dicere tenetur ne fidelitas violetur, præcipuè si promissum esset iuramento firmatum, vt fit in legatis, aut alijs obligationibus Missarum in forma stipulationis acceptis. Sed tum consultum est, vt sacerdos promittat se dicturum Missam pro Defuncto, eo modo quo magis illi proderit ex mente Ecclesiæ & sua deuotione: & populus circa hoc instruendus est.

Secundò, potest Sacerdos loco Missæ de Requiem dicere, missam de Sancto &c. quando maiore deuotione afficitur in Missa de Sancto &c. vnde maior valor accidentalis Missæ oritur ex opere operantis, quo compensari potest etiam cum incremento Missa de Requiem breuior, & quæ in multis attentionem & deuotionem minuit; alioquin ex opere operato idem fructus oritur ex omnibus Missis.

Tertiò; Si sacerdos nō afficitur maiore

re deuotione circa Missam de Sancto vel de feria, tunc dicat de Requiem, exceptis Dominicis, festis duplicibus, & alijs, in quibus Rubricæ prohibent dici de Requiem, par. 1. tit. 5. n. 2.

Quartò, Cùm mens Ecclesiæ sit vt Missa Officio respondeat, quoad eius fieri potest, cui fideles se conformare debent, non sunt verba postulantis Missam votiuam vel de Requiem ita arctè accipienda, vt ab ijs ex causa recedere sacerdos non possit, sed ciuiliter & moraliter, cùm lex Ecclesiæ permittit, quæ priuatæ voluntati petentium debet præualere.

Postremò, Quando Missa de Sancto aut de feriâ celebratur, pro Defunctis, non est necesse pro illis Collectam recitare, nam applicatio Missæ non fit in Collectis, sed in memento, vel initio Missæ, vel cùm accedit ad altare Sacerdos: & sæpe etiam Collectæ non permittuntur ipsius arbitrio, vt constat ex Rubricis. Hæc & plura Fraxinellus. Sit ergo Conclusio ab omnibus recepta; ordinariè melius esse semper seruare Ordinem Missalis in celebratione Missæ; poterit tamen is qui tenetur pro mortuo celebrare, si sit officium feriæ non priuilegiatæ, tunc pro eodem facere, quia orationes Ecclesiæ pro Defunctis institutæ efficaciùs illi proderunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

Quinta: Prope præceptiuæ sunt eæ Rubricæ, de quibus etsi disputent Doctores, tamen summi Pontifices magis in alteram partem inclinant tamquam tutiorem, vt v. g. est illa de luminaribus cereis &c.

Sexta; Reliquæ dubiæ sunt, de quibus vtrimque disputant Doctores, vt de Orationibus ad sacras vestes dicendis, de Cruce in Altari collocanda, & similes.

Septima; Reliquæ Rubricæ directiuæ sunt, sed tamen non negligendæ. Hæc & plura Gauantus.

Quæritur hîc primò, an is qui Missam alterius diei, vel de alia re celebrat, peccet contra Pij V. diploma.

9. *Non peccat contra Bullam Pij, qui non recitat Missam diei regulariter.* Respondeo non peccare, modò seruet ritum præscriptum in Missa quam celebrat: & ratio est, quia non inuenitur præceptum de Missa eiusdem diei celebranda respectu vniuscuiusque sacerdotis. Sacerdos enim vt sic non tenetur diebus singulis facere sacrum, sicut tenetur quotidie pensum horarium persoluere, & saltem regulariter proprium illius diei officium. In sacrificando autem contraria consuetudo tenetur a viris doctis & pijs: & videmus Missam pro defunctis fieri etiam festis diebus, & antiquæ fundationes extant, quibus Pastores vel Canonici obligantur ad sacra cantanda Feria 5. de Venerabili Sacramento, & Sabbato de S. Maria.

Maior autem est obligatio Rubricæ de concordia Missæ principalis, solemnis siue Conuentualis cum diei officio & Horis: nam illa expressè præcipitur in Capit. *Cum creatura*, de celebratione Missarum, in quo verbum *Mandamus*, videtur indicere obligationem sub mortali.

Adde optimum esse etiam in Missis priuatis hunc ordinem seruare, vt conueniat Missa cum officio, nisi rationabilis causa interueniat, vt passim Doctores, Siluester, Sotus, Victoria, Nauar. cap. 21. n. 7. & alij.

Quæritur 2. An sacerdos obligatus ratione stipendij, fundationis, vel aliter ad Missam aliquam Votiuam dicendam, vel pro Defunctis, satisfaciat suæ obligationi & licitè possit celebrare Sacrum quod illo die in Missali assignatur.

Multi hac de re scripserunt, sed inter alios copiosiùs Paulus Fraxinellus, cuius Resolutio extat apud Gauantum in fine Thesauri Rituum de Missa, vbi plurimis productis Doctoribus concludit Sacerdotem ad dicendam Missam pro defunctis obligatum, posse celebrare de Sancto, aut de Feriâ occurrente, præcipuè quando Festum Sancti est Duplex. 10. *Sacerdos obligatus ad dicendum sacrum pro defunctis satisfacit dicendo sacrum in Missali notatum regulariter.*

Summam totius Disputationis in gratiam Lectoris hîc collegi, quam & ego probo.

Primò, si sacerdos stipendio accepto expressè Missam votiuam vel de Requiem promisit, eam dicere tenetur ne fidelitas violetur, præcipuè si promissum esset iuramento firmatum, vt fit in legatis, aut alijs obligationibus Missarum in forma stipulationis acceptis. Sed tum consultum est, vt sacerdos promittat se dicturum Missam pro Defuncto, eo modo quo magis illi proderit ex mente Ecclesiæ & sua deuotione: & populus circa hoc instruendus est.

Secundò, potest Sacerdos loco Missæ de Requiem dicere, missam de Sancto &c. quando maiore deuotione afficitur in Missa de Sancto &c. vnde maior valor accidentalis Missæ oritur ex opere operantis, quo compensari potest etiam cum incremento Missa de Requiem breuior, & quæ in multis attentionem & deuotionem minuit; alioquin ex opere operato idem fructus oritur ex omnibus Missis.

Tertiò; Si sacerdos nõ afficitur maiore

re deuotione circa Missam de Sancto vel de feria, tunc dicat de Requiem, exceptis Dominicis, festis duplicibus, & alijs, in quibus Rubricæ prohibent dici de Requiem, par. 1. tit. 5. n. 2.

Quartò, Cùm mens Ecclesiæ sit vt Missa Officio respondeat, quoad eius fieri potest, cui fideles se conformare debent, non sunt verba postulantis Missam votiuam vel de Requiem ita arctè accipienda, vt ab ijs ex causa recedere sacerdos non possit, sed ciuiliter & moraliter, cùm lex Ecclesiæ permittit, quæ priuatæ voluntati petentium debet præualere.

Postremò, Quando Missa de Sancto aut de feriâ celebratur, pro Defunctis, non est necesse pro illis Collectam recitare, nam applicatio Missæ non fit in Collectis, sed in memento, vel initio Missæ, vel cùm accedit ad altare Sacerdos: & sæpe etiam Collectæ non permittuntur ipsius arbitrio, vt constat ex Rubricis. Hæc & plura Fraxinellus. Sit ergo Conclusio ab omnibus recepta; ordinariè melius esse semper seruare Ordinem Missalis in celebratione Missæ; poterit tamen is qui tenetur pro mortuo celebrare, si sit officium feriæ non priuilegiatæ, tunc pro eodem facere, quia orationes Ecclesiæ pro Defunctis institutæ efficaciùs illi proderunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE SACROSANCTI MISSÆ SACRIFICII RELIGIONE, ORDINE ET RITIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Ingressus sacerdotis ad Altare, & Confessio peccatorum generalis, &c.

1. *Egressus Sacerdotis è Sacrario significat egressum Christi ex vtero Virginis, vel euntem in Caluariam.*

CVM tota Missa inspersa sit spiritualibus mysterijs, & sacris symbolis, vt constat ex S. Dionysio l. de Ecclesiastica Hierarchia, Cyrillo Hierosolym. Catechesi 5. Mystagogica, Isidoro, Rabano, Ruperto, & omnibus, qui de Ecclesiæ ritibus libros ediderunt; vnde Trident. sess. 22. cap. 5. dicit inter alia, res altissimas in hoc sacrificio latere: Egressus Sacerdotis è Sacristia, & accessus ad altare nobis adumbrat iuxta aliquos euntem Christum ad montem Golgothæum, vt sponte suâ ibi seipsum Patri cælesti pro nobis offerret, ad quod alludere videtur quod ex Psalmo 42. recitat: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me adduxerunt in montem sanctum tuum &c.* Vel secundũ plures alios Rituales, significat Christi Sacerdotis magni egressum de excelso cælorum habitaculo & vtero immaculatæ Virginis assumpta carne, & aduentum eius in orbem, vt se immolaret Deo Patri hostiam sanctam in in odorem suauitatis: Ita cecinit Hildebertus Cenonianensis, in Bibliotheca SS. Patrum

Interea veniens in sacra veste sacerdos
Altaris dextram dona daturus adit,
Illius aduentus, quibus, ô Iudæa reuisit
Te tuus Emmanuel tempora plena notat.

Solent sacerdotes pij è Sacrario egredientes tacitè recitare Psalmum 50. vt se excitent ad compunctionem, & hic videtur fuisse vsus Ecclesiæ.

Igitur Mysta altare accedens & se inclinans reuerentiæ causâ ascendit ad medium altaris, ibique calice disposito iuxta rubricas, pergit ad dextram altaris & collocatum Missale aperit, per hoc indicans mysterium aduentus Christi in lege veteri fuisse clausum, quod jam mundo est manifestum, hoc autem fit in dextera altaris, quia Christus ad Iudæos priùs aduenit, post ad gentes, quæ ad sinistram positæ erant ob idololatriam: illis verò Euangelium non recipientibus, ad sinistram, id est ad gentes se conuertit: In fine autem Missæ rursum liber collatur ad dextram,

2. *Cur Missale ad dextram Altaris aperiatur.*

teram, quo insinuatur Iudæorum reliquias in fine seculi conuertendas.

3. *Sacerdos se inclinat coram altari, vt humilitate Dei gratiam promereatur.*

Inde vadens ad medium descendit ex altari ad vltimos & infimos eius gradus, & rursus profundè se inclinat, &, si in tabernaculo sit Eucharistia reposita vel exposita, genua flectit, vt magis coram Deo se humiliet & ei placeat: non enim ab altissimis arboribus, sed ab humilibus fruticibus balsamum desudat, & aqua de tumoribus montium defluit ad profunda vallium. Similiter mũdi in genesi dies non processerunt primũ à mane; sed à vespere. Denique figulus formam, quam mente conceptam tenet in materiam non imprimit, nisi argilla & lutum probè fuerint subacta & mollita. Aiunt etiam pupulam oculi quò nigrior fuerit, eò acutiùs cernere, & quò profundior eò perspicaciùs intueri. Quæ omnia nobis ostendunt, quò quis humilior & demissior in oculis suis fuerit, eò paratiorem & capaciorem esse beneficiorum & gratiarum Dei.

4. *Meritò sacerdos initio Missæ SS. Trinitatem inuocat.*

Hic primò omnium dicit: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Et meritò. Cùm enim omnium magnarum primordia rerum à Deo sumenda sint, iuxta illud S. Gregorij à Nazianzeno Exordio sui Apologet. *Quisquis, ait, vel orationem aliquam vel negotium auspicatur, non alium meliorem, commodioremque ordinem tenere potest, quàm vt à Deo incipiat, & in Deo conquiescat,* tum maximè oratio & sacrificium omnium augustissimum, in quo maximum & publicum totius mundi pertractatur negotium, in cuius principio petit Sacerdos SS. Trinitatem sibi propitiã, vt ad eius gloriam id peragatur, & id solùm agat quod agendum est, diuinæ maiestatis proposita sibi ante oculos præsentia.

5. *Et Cruce se signat, cuius typus fuit lamina aurea in fronte Pontificis veteris.*

Insuper se signat vexillo Crucis, vt eius veritate & meritis illius, qui in eâ pependit, custodiatur & præmuniatur aduersus insultus & laqueos inimici, & ostendat, profiteaturque nihil se posse sine eius numine, nedum dignè sacrificare. Memineris postes Iudæorum sanguine Agni vnctos Exodi 12. contra Angelum vastatorem. Nos semel tantùm Crucis signum formamus vnius diuinitatis Sacramentum protestantes. Æthiopes, (vt constat ex ipsorum Liturgiâ) ter se consignant ad nomen cuiusque personæ, vt indicent mysterium SS. Trinitatis, sed hoc ipsum nos ore confitemur.

Scitum est, summum Iudæorum Pontificem ingressurum Sancta Sanctorum, aureâ laminâ Dei tetrogrammato nomine celata frontem præcinxisse, & armasse: pari modo sacerdos noster interiora sanctioris tabernaculi subiturus se incingit & insignit augustiore signaculo, ne hostis humani generis illum infestare audeat vanis euagationibus & noxijs tentationibus. Est autem triumphale labarum Crux Christi, in quo vincimus; ἐν τούτῳ νίκα, In hoc vince; de quo plura suis locis. Vide S. Ignatium Epist. ad Philippenses, S. Iustinum Apolog. 2. Chrysost. homil. 55. in Matthæum.

6. *Præmittitur Psalmus, Iudica me Deus, & quis illius sensus.*

Deinde alternatim cum ministro pronuntiat Psalmum 42. qui incipit, *Iudica me Deus & discerne causam meam* &c. ex Ordine Romano. Et id quidem ordinariè: nam in Missis pro defunctis, & à Dominicâ Passionis vsque ad Sabatum Sanctum omittitur.

Porrò huius Psalmi loco dicitur in Liturgiâ S. Iacobi: *Hanc orationem & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi tuus Spiritus Paracletus mittatur, fortificans & instaurans me ad hoc sacrificium*: quæ verba conformia sunt sensui Psalmi prædicti.

Meritò verò hic Psalmus præmittitur. Excitatur enim in eo sacerdos ad attentè, constanter, deuotè & alacriter Deo sacrificium à se institutum offerendum, & ad animo læto laudes Deo

integrandas. Imprimis postulat à Deo liberari ab infestationibus dæmonum, qui tamquam Harpyiæ suâ fœdâ proluuie conantur mentem libantis mystæ collutulare: petit contra illos muniri, qui, vt muscæ morientes, perdere tentant suauitatem vnguenti & hilaritatem deuotionis, quâ veluti adipe & pinguedine anima repletur, & odoratur Dominus suauitatem odoris. Insuper supplicat sibi remitti peccata, quibus tamquam tenebrosâ nebulâ animus obscuratur, & quę sacrificij sanctitati repugnant.

Denique precatur nouam sibi infundi Lucem, & præueniri optat Dei gratiâ, beneuolentiâ, & fauore, vt in mentis hilaritate, Deum laudare, & sacrificare possit in spiritu & veritate. Vide Lorinum in illum Psalmum tomo 1. in Psalmos.

Ceterùm quod dixit Propheta sanctus de Sacrificio laudis in monte sancto, & Tabernaculo cœlesti, hoc Ecclesia accommodat Missæ sacrificio; de qua re S. Augustin. in illum Psalmum, vbi sic loquitur, *Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. Illic inueniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam.* Lege Scortiam lib. 3. de Missâ cap. 9. §. 2. & Ludouicum Cresollium in Mystagogo lib. 3. pag. 638. hunc Psalmum sapidè & fusè explicantem.

Maximè autem ruminandus versiculus ille. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam,* qui ter repetitur, vt animo reuoluens se ad Dei præsentiam accedere, qui etiam paratus est nouam illi gratiam animum exhilarantem infundere, accedat non ex consuetudine secundùm veterem hominem, non torpidè, non tepidè, non ex tristitia, aut necessitate, sed nouo feruore, exhilarato spiritu, corde dilatato. Noua sint omnia, Corda, voces, & opera, ostendit Stephan. Durantus lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. 11. §. 4. & probat ex S. Ambrosio & Nazianzeno olim initio Liturgiæ dici solitum versiculum: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.*

Quin etiam totius Psalmi soliti recitari meminit Micrologus, qui scripsit ante quingentos annos opusculum de Ecclesiasticis obseruationibus, in quem extat præfatio Domini Iacobi Pamelij cum notis Marginalibus, & habetur tomo 11. Bibliothecæ Sanctorum Patrum vltimæ editionis. Hic autem ait cap. 23 *Paratus* (sacerdos) *venit ad altare dicens Antiphonam; Introibo ad altare Dei: Psalmum: Iudica me Deus, & discerne, & Confessionem facit: Confiteor Deo omnipotenti &c.* Hunc passim sequitur Radulphus Tungrensis.

Sacerdos hęc recitans manus iungit ante pectus, iunctis pariter & extensis digitis, & pollicem dexterum super sinistrum ponit in modum Crucis (quod & aliàs facit) qui gestus fiunt humilitatis gratiâ, & excitant deuotionem. Nam videtur hoc ritu sacerdos fateri se supplicium mereri, & indicare se in flagella paratum, & simul deprecari ne ligatis manibus mittatur in tenebras exteriores. Ita Illustrissimus Dominus Franciscus vander Burch in Elucidatione Missæ, vbi etiam huius Psalmi piam & eruditam Paraphrasim subijcit, ad quam omnes deuotè celebraturos ex animo remitto, quia mirificè excitat suaues motus. 7. *Sacerdos cur iungat manus ante pectus.*

Psalmus hic prætermittitur in Missis pro Defunctis, quia tunc nō dicitur Glorificatio siue Clausula *Gloria Patri* &c. similiter & tempore Passionis, quia hic Psalmus tristitiam fugat, spiritualem prouocat lætitiam, vt verba significant.

Additur deinde versus: *Adiutorium nostrum* &c. & rectè quidem: cùm enim Dei auxilium semper sit necessarium, vt bene ostendit S. Hieronym. Epistolâ 8. *Cur petat Dei auxilium.*

ad

ad Ctesiphontem aduersus Pelagium & Pelagianos, vbi inter alia: *Non mihi sufficit quòd semel donauit, nisi semper donauerit, Peto vt accipiam, & cùm accepero, rursus peto.*

Formauerat initio sacerdos signum Crucis per merita Christi & misericordiam Dei in aggressione maximi operis roborari desiderans, iterum Dei adiutorium postulat conscius suæ infirmitatis, & altitudinis excellentissimi Sacrificij, ad quod offerendum accedit.

Sequitur generalis Confessio, quam facit sacerdos ante accessum ad osculum altaris, quem ritum certum est antiquissimum esse, tum ex alijs, tum

9. *Confessio generalis est antiquissima.*

ex Liturgiâ S. Iacobi, quæ exordiuum ducit à Confessione, sic enim incipit. *Peccatorum multitudine inquinatum ne me spreueris Domine Deus noster. Ecce enim accedo ad diuinum hoc & supercæleste mysterium tuum, indignus quidem, sed tua bonitate confisus emitto tibi vocem, Deus sis mihi peccatori propitius: peccaui in cælum & coram te, neque dignus sum qui oculos obuertam huic sacræ & spirituali mensæ. &c.* Idem habet S. Marci Liturgia.

Vnde non audiendi qui huius Confessionis ritum vel S. Pontiano vel S. Damaso Pontificibus tribuunt. Insistit sacerdos sententiæ Salomonis Prouerb. 18. v. 17. *Iustus prior accusator est sui*: vel vt habent Septuaginta; *Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis*: id est, sermonis exordium captat, præcipitque aduersario suo vocem, accusationem sui præmittens. Hic gradus est ad veniam peccatorum à Deo obtinendam. Fatetur etiam Sacerdos se peccatorem cum Publicano vt *descendat iustificatus in domum suam.* Sequitur consilium Psalmodi Psalmo 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Percommodè ad propositum nostrum scripsit S. Basil. in illa Psalmi 37. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum &c. Ipse,* inquit, *sui ipsius accusator primus erat in principio sermonis, & coram omnibus seipsum accusat, vt & in ipso impleatur illud: Iustus accusator est sui ipsius, praeueniens quemcumque hominem accusatorem; ipse quidem se condemnauit, ora verò inimicorum omnium sic oppilauit, vt aliud nihil reliqui iam haberent, quod aduersus eum obijcerent.* Hæc S. Basil. vbi & deinceps per similitudines pergit ostendere quantum periculum sit peccata sua tegere, & quantum boni proueniat ex eorum detectione. Et S. Ambros. lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. *Dic,* inquit, *iniquitates tuas vt iustificeris. Adhuc reo culpæ iustificationis præmia proponuntur. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen sponte agnouerit. Denique iustus in exordio sermonis accusator est sui. Nouit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non vt puniat, sed vt ignoscat. Non vult vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata sua arguat.* Hæc & plura S. Doctor.

10. Conformis est Scripturæ & valde commendatur.

S. Augustin. libro de salutaribus documentis: *Est,* ait, *genus quoddam serpentis, quod cùm cœperit ire ad bibendum aquam, antequam veniat ad fontem euomit omne venenum; imitare tu hunc serpentem in hac parte. Agnitio & confessio peccati initium salutis, & morbi remedium.*

11. *Antequam serpens è fonte bibat virus expuit. Imitetur peccator.*

Nota verò hanc Confessionem esse non Sacramentalem aut specialem, sed solùm generalem & piam; quâ etsi putet Magister in 4. d. 21. & alij Doctores remitti peccata venialia, vt & per orationem Dominicam, & Sacramentalia, vt aspersionem aquæ benedictæ siue lustralis & cetera; commodè tamen ipsorum sententia est intelligenda, sic nimirum, vt ea remittantur non immediatè & formaliter, sicut fit per Sacramentum pœnitentiæ & ex opere operato, vt etiam remittunt Baptismus, V. Eucharistia, &c. sed solùm per modum impetrationis, quatenus in nobis, vel tunc quando piè assumuntur, vel suo tempore excitant mo-

12. *Hæc Confessio non est Sacramentalis, & per illam non remittuntur peccata venialia, nisi mediante contritione vel attritione.*

motum contritionis perfectæ vel imperfectę, vel, si nulla occurrant memoriæ peccata, affectum caritatis, quæ est Pœnitentia virtualis; Hæc est sententia S. Thomæ 3. par. qu. 87. art. 3. ad primum & tertium. Suárez & aliorum Doctorum. Vnde dicendum peccata venialia, ersi per se primò non requirant infusionem gratiæ vt remittantur, ordinariè tamen, vt perfecto modo illa remissio fiat, eamdem postulare: cùm peccatum quodcumque interiorem motum pœnitētiæ vel formalis vel virtualis exigere videatur, quo posito gratiæ augmentum datur. Porrò dicere Sacramentalia, inter quæ tamen non est numeranda hæc Confessio, habere ex opere operato vim remittendi peccata venialia, non videtur admittendum, cùm Ecclesia auctoritatem illam non habeat, quæ tamen Sacramentalia instituit, sed solus Christus, qui vim illam contulit Sacramentis.

Quod dictum est de Confessione generali, idem dicendum de pectoris tunsione, scilicet, tantùm illâ cæremoniâ deleri peccata venialia, quatenus habet sibi coniunctum actum & motum pœnitentiæ.

Vnde laudabilis valde est alternata illa & sacerdotis & ministri eius, nomine totius populi confessio, & vicaria deprecatio per *Misereatur*, & communis oratio per *Indulgentiam*: nec dubium, quin, si pio affectu fiat & suscipiatur per modum impetrationis veniales noxas abstergant: quocirca etiam sacerdos & Minister, dum hanc Confessionem pronuntiant, se profundè inclinãt, vt exterioris humiliationis signis, quæ ab interiori animi demissione proficisci par est, Diuinæ oculis Maiestatis placeant, & placent, non solùm numen, sed etiam amicos eius sanctos, coram quibus peccata sua confitētur, & quos orãt vt pro se intercedant: neq; hoc modo; sed etiam culpam suam agnoscant coram viuentibus hominibus ibi præsentibus, & pro se preces eorum postulant, idque, vt faciliùs, se deprimendo, diuinam misericordiam promereantur.

Docet porrò Gauantus in Thesauro sacrorum Rituum parte 2. titulo 3. præter Sanctos, quorum nomina ibi exprimuntur, non posse addi alterius vel Patroni vel tutelaris alicuius è cælitibus sine licentiâ Pontificis; quod tamen dicit concessum à Pio Quinto Ecclesijs Hispaniæ; sed vsus seruat contrarium.

Ceterùm pectoris percussio, quâ exemplo Publicani vtitur sacerdos, & 13. *Tunsio pectoris vetus & laudabilis.*
eorum, qui visa morte Christi in Cruce *reuertebantur percutientes pectora sua*, Lucæ 23. perantiqua est & verisimiliter ab Apostolis accepta, quam etiam ratio naturalis docet, estque index & symbolum pœnitentiæ & doloris apud omnes gentes. Meminit huius ritus Stephanus Episcopus Eduensis Tractatu de Sacramento altaris capite 12. (qui vixit circa annum 950. & extat in Bibliotheca Patrum tomo 10.) hisce verbis: *Sacerdos veniens ad altare confitetur se indignum celebrare tam excellens mysterium. In Confessione percutiendo pectus, gemit pro peccatis, & oratione Fratrum à Domino postulat sibi indulgeri, dicens, mea culpa, promittit vt de his pœnitentiam agat, in quibus conscientia eum accusat.*

Sed priorem audiamus S. Augustin. 14. *Cuius index sit pectoris tunsio.*
serm. 8. de verbis Domini secundum Matthæum: *In hoc ipso quod sonuit Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis nisi quia audistis, Confiteor tibi Pater?* Et infrà. *Ergo in confessione sui accusatio, Dei est laudatio.* Sic ibi. Confessio in Scriptura est, & peccati agnitio, & Dei laudatio: Confitetur homo se reum, sed iustum & pium Deum.

Idem in Psalm. 146. *Tu dirigere cor tuum non potes, tu frange, ille dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud significat pectorũ tunsio; nisi fortè putamus ossa nostra aliquid peccasse cùm cadimus & tundimus pectus? Sed significamus nos cor conterere vt à Domino dirigatur.* Hæc S. August.

In pectore cor fuit, id est, voluntas omnis peccati fons, hanc nos pulsamus quasi ream, ab illa pœnas poscimus. S. Isidorus Pelusiota in Catena: *Omnis qui propter peccata percutit, Deum in tympano & choro laudare dicitur.* Plura de hac cæremonia vide apud Gauant. par. 2. tit. 3. & Stephan. Durant. lib. 2 de Ritib. Ecclesiæ cap. 12. §. 6. & apud Interpretes S Lucæ cap. 18. de Publicano.

15. *Miraculum circa virtutem Confessionis.* Refert Cæsarius lib. 8. Miracul. cap. 13. Petrum quemdam iuuenem religiosum dum Villariensis Abbatis Missæ ministraret, & Confessionem generalem dixisset, & Absolutionem deuotè reciperet, audiuisse de cælo vocem sibi dicentem: Dimissa sunt omnia peccata tua.

Sacerdos data Absolutione duos versiculos subiungit ex Psalmo 84. *Deus tu conuersus*, &c. quibus petit vt Deus ad misericordiam conuersus, vitam gratiæ per hoc sacrificium præsentibus infundat, & Christi Saluatoris nostri meritorum nos participes efficiat, vt Dei populus spirituali consolatione exhilaretur.

Post hæc sacerdos ad *Dominus vobiscum* expandit, & mox iungit manus ad *Oremus*, quasi significans hoc ritu se astantis populi corda in vnum colligere ad pariter orandum.

Aufer à nobis Domine, &c. Pontifices veteris legis nonnisi purificati, mundi & loti audebant ingredi Sancta Sanctorum, quæ solùm vmbram habebant nostri altaris, ad quod accedunt nostri Liturgi: lauabant se Exodi 30. illi antein labro æneo &c.; quantò iustius, si precantur vt Deus auferat à cordibus eorum cunctas iniquitates, vt ad Sancta Sanctorum augustiora puris mentibus mereatur, introire? Hæc oratio, quam, altare ascendens, pronuntiat sacerdos, extat etiam apud Micrologum c. 21.

Oramus te Domine. Hanc precem recitans in medio, altare osculatur ex antiquo vsu ob reuerentiam.

S. Bonauent. Opusculo de Expositione Missæ cap. 2. post Micrologum, dicit osculo altaris signari per Incarnationem & Passionem Christi salutem & pacem Iudæis & Gentibus ad fidem conuersis esse nuntiatam: In dextro enim altaris cornu Iudæi, in sinistro verò Gentiles designati sunt: vt hoc insinuet, sacerdos iunctis manibus altare in medio contingit & osculatur. Gabriel in Canonem Lect. 15 *Osculum*, ait, *significat quod Christus summus Sacerdos sacram sibi Ecclesiam copulauit. Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui. Osculo siquidem os ori coniungitur; & in Christo non solùm est humanitas coniuncta diuinitati, verùm etiam sponsa Ecclesia sponso Christo. Sponsus ergo Christus est, Ecclesia sponsa quæ & per altare significatur.* Sic ille. 16. *Quid significet osculum Altaris.*

Alij volunt osculum illud testimonium esse initæ pacis cum Deo & Sanctis. Quatenus enim Altare lapideum est, Chrismate vnctum, & quasi portãs hostias, significat Christum lapidẽ fundamenti vnctum gratiâ Spiritus S. & præ participibus suis vnione hypostaticâ verbi, (*quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* ad Coloss. 2.) & omnes hostias bonorum operum nostrorum portantem: ita vt nihil boni, aut Deo accepti habeamus, nisi Christus hoc nobis det. Quatenus verò Altare continet Reliquias Sanctorum (nam Apocalyp. 6. vidit Ioannes subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei) est etiam in hoc osculo professio reconciliationis cum san- 17. *Altare significat Christum.*

ſanctis, quorum per hoc oſculum ambitur Interceſſio. Ita Illuſtriſſ. Cameracenſ. ſuprà.

Diximus tamen ante, Reliquias Sanctorum non requiri neceſſario ad conſecrationem Altaris. Vbi Reliquiæ non ſunt, omitti debent verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*, & tunc Altaris Oſculum debet fieri ad illa: *Indulgere digneris*. Gauant. p. 2. tit. 4.

Orat inſuper Sacerdos per merita Sanctorum quorum Reliquiæ ibi requieſcunt: adhibentur enim iure Sancti, vt noſtri patroni, vt oſtendamus nos non niti noſtris, ſed ipſorum meritis, ſic fecit Moſes orans Exodi 32. Salomon 2. Paralip. 6. Azarias Daniel. cap. 3. &c. Vide Baptiſtam Scortia lib. 3. de Miſſa cap. 3. §. 1. & Gaſparem Sanchez in Theſauro ſpirituali Miſſæ, cap. 14.

CAPVT II.

Sacrificij Miſſæ Introitus.

1. *Introitus vnde dicatur.* POſt hæc Sacerdos ad dextram Altaris accedens ibidem Introitum pronuntiat, qui etiam à Pſaltis ſiue Cantoribus cum iubilo concinitur.

Ergo nomen ſortitur, quia à choro canitur, Presbytero ad Altare introeunte. Ita Micrologus ſuprà cap. 23. & alij. Sunt qui ſic dictum volunt, eò quod ſit exordium Miſſæ, vt Remigius, Conradus, Brunus lib. 2 de cæremonijs cap. 1. Alcuinus de diuinis Officijs Cap. de celebratione Miſſæ: per Antiphonam, quæ hic dicitur, ad diuinum officium introimus, ſicut per introitum oſtij ad ſecreta domus.

2. *Eius ſignificationes myſticæ.* Myſticè ſiue Allegoricè Introitus eſt Antitypus primi Chriſti in mundum per carnem Aduentus. Ita Maximus Monachus in Expoſitione Liturgiæ, S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, & alij.

Ceterùm, ſicut acceſsus ſacerdotis ad Altare adumbrat Chriſti primum in orbem aduentum, ita Antiphona ſiue verſiculi qui à Clero & choro tum canuntur, exprimunt ardens veterum Patrum deſiderium Chriſti Incarnationem anhelantium & ſuſpirantium, de quo ipſe Dominus Ioan. 8. 56. *Abraham Pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Et Lucæ 10. 24. *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis &c.* Idipſum paſſim indicat Eccleſia vetus, vt illud Cantic. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*; omitto alia. Ita plerique omnes Rituales, Innocent. Hugo, Rupert. Videndus Gabriel Lectione 15.

Notat Albert. tract. de Miſsa, non inchoari Miſsam ab Oratione, ſicut Horæ Canonicæ per *Deus in adiutorium &c.* quia ardor ſuſpirantium magis ad amorem quàm ad orationem excitat. Sed hoc commodè accipiendum.

S. Thom. 3. p. qu. 83. art. 4. in Corpore, agens de Introitu, dicit illum continere laudem Dei, & videtur indicare ſacrificium laudis præparare nos ad Chriſti ſacrificium Euchariſticum; vnde adducit illud Pſ. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Addere potuit, quod ſequitur ibidem ad rem noſtram pertinens; *Et illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei*: qui eſt Saluator noſter Chriſtus.

Rabanus hoc clarè oſtendit, ſimul indicans Introitus typum in veteri lege lib. 1. de Inſtitut. Clericor. cap. 3. cuius hæc notanda: *Primum in celebratione Miſſæ ad introitum Sacerdotis ad altare Antiphona cantatur à Clero, vt audiatur ſonitus quando ingreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, ſicut in veteri teſtamento per tintinabulorum ſonitum ingreſſus innotuit Pontificis: bene ergo in ingreſſu ſacerdotis concrepantibus choris auditur modulatio diuinæ laudis.* 3. *Significatur Introitus veteris Pontificis in Sancta Sanctorum.*

laudis, vt Dominicæ celebrationis mysteria præcedat consonantia: & Corporis & Sanguinis Christi Venerabile Sacramentum antecedat digna laudis sacrificium.

Notum porrò est Introitum constare versiculis ordinariè desumptis ex Psalmis Dauidicis, quos mox sequitur initium eorundem Psalmorum, deinde Doxologia; *Gloria &c.* & rursus ijdem versiculi repetuntur.

4. *Quis Introitus auctor.* Quis autem primus hunc ritum instituerit in obscuro est. Plures qui de Ritibus Liturgiæ scripserunt, tribuunt Cælestino primo. Ita Walafridus Stabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. & alij.

Sed non placet, siquidem tradit Anastasius Bibliothecarius in eius vita, eum instituisse vt Psalterium Dauidicum, Antiphonas, id est, alternatim, per ordinem cantaretur ante sacrificium, vt modò in Horis Canonicis: sed postea, vt prolixitas vitaretur, selecti sunt versiculi quidam, qui excitandæ deuotioni essent aptiores.

Adde Cælestinum non fuisse primum qui Psalmodiam sacrificio Missæ adhibuerit. Nam S. Dionysius Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 3. testatur Psalmorum melos initio Missæ insonuisse, idemque constat ex Liturgijs S. Basilij & Chrysost.

Quidquid tandem sit, vsus Psalmos sic canendi sub Liturgiæ initium ab vniuersa Ecclesia receptus fuit ab annis amplius mille. Ita Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 16.

Ait verò S. Bonauentura vbi suprà, versus Introitus bis dici interpositâ Glorificatione, ad significandum, quòd Christus de Virgine natus venit in mundum, & fide SS. Trinitatis nos imbuens ascendit in cœlum.

5. *Doxologia siue Glorificationis* De sacra Doxologia; *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto &c.* multa à me dicta sunt lib. 1. de Horis Canonis cap. 30. vbi de eius antiquitate, expositione & fructu. Breuiter verò hîc quædam comprehendam in gratiam Lectoris, ad cuius manũ liber meus non peruenerit. *antiquitas, fructus, &c.*

Meritò hæc Doxologia siue Glorificatio nostris admiscetur orationibus, Antiphonis, Psalmis, vt militantis Ecclesiæ hymnodia & cantus conformetur laudatione Triumphantis, quia immediatè ex hac nostrâ transitur ad istam; in qua glorificatur Deus vnus & trinus Hymno, Sanctus, Sanctus Sanctus, Isaiæ 64.

Confitemur verò hoc hymno singulas SS. Trinitatis personas, & in principio & nunc & semper in omnem æternitatem fuisse, esse, & futuras, vt in Diuinitate, ita in gloria æquales, & in maiestate coæternas.

Interim per hanc glorificationis hymnodiam fides nostra eiusque professio distinguitur ab errore Paganorum plures falsos Deos in naturâ & personis colentes, simul & ab Arianorum falsa persuasione docentium filium Patre inferiorem. Vnde in duobus errabant, primò quidem quòd dicerent *Gloria Patri per filium in Spiritu sancto*, qui loquendi modus, etsi ab antiquis Patribus sit interdum vsurpatus, illo tamen verborum inuolucro illi se tegebant, vt liquet ex Theodoreto lib. 2. histor. cap. 24. Sozomeno lib. 3. cap 19. Socrate, & alijs, quod etiam miraculo Deus condemnauit.

Accedit, teste Theodoro Lectore lib. 2. Collectaneorum circa annum 500. vt, cùm Deuterius Arianus Episcopus vellet baptizare quemdam vocatum Barbas, & mutata forma Catholica diceret: *In nomine Patris per Filium in Spiritu S.* illico euanuerit aqua fontis præparati: quo viso miraculo Catechumenus ad Catholicos confugit, & vulgauit. *6. Miracula de Glorificatione.*

Rursus Ammoni Episcopo Christus aliquando apparuit, eumque admonuit illius Clericos dum in choro canerent

nerent in recitatione versiculi *Gloria Patri* &c. syncopando solitos omittere filium, ne ei æqualem cum Patre gloriam tribuerẽt. Sic Baptista Scortia refert. Sed in quibusdam falsus fuit, hoc miraculum narrans. Siquidem Episcopus ille non fuit Ammon, sed Anno Coloniensis Archiepiscopus, qui floruit anno Domini 1040. deinde ille qui vitiosâ syncopâ personam filij prætermittebat, fuit solus ipsius Diaconus, & quidem hoc faciebat non ex errore Arianorum sed defectu humanæ infirmitatis & tædio victus. Historiam illam retuli ad longum lib. 3. de Horis Canonicis cap. 8. hic autem prætereo, ne Lectorem fatigem. Habet autem illam Surius tomo 12. 4. Decembris vitæ S. Annonis lib. 2. cap. 19.

7. *Expositio eius.* P. Cornelius à Lapide enarrans vltima verba Cap. 11. Epist. ad Romanos: *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula Amen*; lucculentam & piam huius adfert expositionem: vnam solùm adfero exempli causâ portiunculam.

Gloria Patri ex quo omnia tamquam primo omnium exordio: gloria filio per cuius sapientiam omnia condita, & homines redempti tamquam per mediatorem: gloria Spiritui sancto, in quo omnia veluti in vinculo & consummatione. Reliqua Lector inueniet apud eum.

8. *Antiquitas.* Hymnus hic glorificationis natus simul est cum fide Christiana & Baptismo, & traditione Apostolicâ ad nostra vsque tempora transmissus, sicut & Symbolum Apostolorum. Ita disertè scribit S. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 9. 27. & 29.

Vnde colligimus hymnum illum tempore primi Concilij Niceni, Flauiani, Antiocheni, S. Hieronymi, Damasique præcessisse, licet Alcuinus lib. de diuinis Offic. cap. de celebrat. Missæ compositum putet à S. Hieronymo petente Damaso, & Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. cap. 25. ex aliorum sententia asserat concinnatum à Concilio Nicæno. Cum his tamen verũ est Concil. Nicęnum verbis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, appendiculam addidisse; quæ hodieque vbique personat: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen*; idque ad Arianorum confusionem. Cùm enim illi blasphemè oblatrarent: Erat (quando scilicet non erat tempus) quando non erat filius, addidit Sancta Synodus; *Sicut erat in principio*, &c.

Constat hoc ex Concilio Vasensi 1. cap. 5. quod habitum fuit paulò post Concil. Nicęnum imperante Constantio.

Verborum autem sensus quæ in clausula habentur hic est; nos gloriam damus Deo & optamus similem illi, quæ erat in principio, id est, ab omni æternitate, in principio, de quo dictum est; *In principio erat verbum*: Sicut ab æterno Pater, ita Filius, & Spiritus sanctus, ita & gloria æterna.

Plura qui de hoc hymno quærit, inueniet apud Toletum Sermone 14. & 15. in Psalmum 31. & fusiùs apud Iulium Mazarinum concionibus 30. & in scriptis nostris de Horis cap. 30. n. 21. & seq. lib. 1.

Cornel. à Lapide in Caput 6. Isaiæ v. 3. diuersa adfert prodigia, quibus ostendit Doxologiam hanc & esse horrori dæmonibus, & inuisam Simoniacis. 9. *Mira de Doxologiâ.*

Vnum habet Sophronius in Prato Spirituali cap. 119. vbi Dæmon cùm ab Anachoreta inuitaretur ad Deum laudandum, nihil aliud dicere voluit, quàm: *Et nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen*: alijs omissis.

Alterum ex Baronio an. 1055. vbi in Concil. Lugdunensi illius vrbis Archiepiscopus Simoniacus ex Doxologia solùm dicere potuit, *Gloria Patri & Filio*,

lio, omisso *Spiritui sancto*.

Ceterùm quandocumque diuina Doxologia legitur, vel canitur in Missa, vel in Canonicis horis, caput inclinamus magnum illud Numen venerãtes:
10. Quàm verò Deo, & sanctis eius grata sit illa corporis inclinatio tunc temporis, & quàm econtrà eius neglectus eis displiceat, probat hac historiâ S. Bonauent. in speculo disciplinæ ad Nouitios prima parte cap. 15. *Beata*, ait, *Dei genitrix, quanta sit hæc noxa & quàm damnosa ostendit seniori cuidam in choro psallentium, quæ inclinantibus se ad venerandæ Trinitatis Doxologiam Religiosis, suum ipsa filium singulis offerebat, quemdam verò minimè se inflectentem auerso ab eo vultu veluti hoc fauore indignum stomachabunda præteribat: quin & ipsa Deipara legitur aliquando ad Doxologiam in choro se profundè demisisse*. Hoc viro eximiæ sanctitatis ostensum est, & habetur in speculo Exempl. V. Defuncti, Exemplo 22.

Placet Deo capitis inclinatio ad Doxologiam.

CAPVT III.

Litania Kyrie eleison, κύριε ἐλέησον.

1. Græci hanc supplicationem Litaniam nominãt, & sic S. Benedictus eam vocat, nempe supplicationem Litaniæ, cap. 9. Regulæ, vbi vocem Græcam explicat. Est enim λιτανεύειν supplicare, & λιτανεία supplicatio.

Sensus Litaniæ.

2. Est autem consuetudo illa in Ecclesia Latina antiquissima Litaniam siue supplicationem Græcis verbis efferendi, vt constat ex S. Augustino epist. 178. quę propriè dici potest Altercatio cum Pascentio homine Ariano, vbi testatur ab omnibus Christianis, Græcis, Latinis, Barbaris supplicari Deo, vt misereatur, linguâ Græcâ.

Eius antiquitas.

Concilium etiam Vasense sub Leone Magno Canone tertio, eiusdem ritus meminit, cùm præcipit ad matutinum, ad Missam, ad Vesperam Kyrie eleison dici, *quia in sede Apostolicâ & per totas Orientales atque Italiæ prouincias, dulcis & nimiùm salubris consuetudo intromissa est, vt Kyrie eleison frequentiùs cum grandi affectu & compunctione dicatur*.

Clariùs verò veterem vsum illius indicat S. Gregor. lib. 7. epist. 63. vbi dicit se non instituisse, vt diceretur, sed restituisse, vt ante erat.

Ceterùm huius supplicationis frequentationem colligere est ex Liturgijs S. Iacobi, Marci, Basilij Chrysostomi; pro quâ etiam legendus S. Basilius epist. 63. ad Neocæsarienses.

Quod quidam, vt Alcuinus, Remigius, & manifestè Stephan. Durantus lib. 2. cap. 13. n. 3. affirmant hanc Supplicationem, vt à Latinis Græcè, ita à Græcis Latinè decantari, non satis credibile est: vnde maneat istius rei fides apud auctores, nisi testes adferant.

Aiunt verò quidam olim etiam Gentiles, illâ formulâ vsos falsa sua Numina inuocando, fortè vel ex scriptura, vel ex Christianis hoc accepe- rant.

Porrò cur potiùs linguâ Græcanicâ quàm Romanâ illa fiat supplicatio, 3.
multæ rationes in medium adduci possunt.

Cur potius Græcâ quàm Latinâ linguâ pronuntietur.

Prima, vt venerandæ antiquitati honor deferatur, cùm Sancti Patres ab initio sic eam vsurpauerint; Græci enim primitiæ fuerunt gentium ad fidem conuersarum. Altera, quia Ecclesia, vt vsurpat in sacris mysterijs voces aliquot Hebræas, ita voluit frequentare & Græcas, sicut in sacrificio cruento tres linguæ in Cruce consecratæ sunt.

Tertia, vt monstretur vnum non solùm Deum esse Græcorum & Latinorum, sed vnam etiam esse, vel debere esse vtrorumque fidem. 4.

Aiunt quidam, vt refert Scottia San-

Miracula Litaniæ.

Sanctum Geminianum Mutinæ Episcopum hac supplicatione in fugam vertisse Attilæ exercitum Mutinâ saluâ. Citat pro hac re Guilielm. Durandum lib.4. c 12. Rationalis; sed, prout legi, nihil ille habet, nisi ipsum quatuor reges in fugam conuertisse.

Scribit autem Cardin. Baronius tomo 7. anno Christi 553. ex Miscella de terræ motu Constantinopoli & Litania tunc decantata his verbis : *Anno vigesimo septimo Imperij Iustiniani factus est terribilis terræ motus Constantinopoli, & per alias vrbes, qui tenuit dies quadraginta. Et paulatim homines compuncti sunt Litaniam agentes & frequentantes, atque in Ecclesias commeantes: cumq; multa misericordia Dei facta esset, homines ad peiora delapsi sunt.*

Scribunt auctores multi, vt Cedrenus, Nicephorus, Paulus Diaconus, Theophanes & alij, eiusdem Iustinani tempore simili terræ motu penè euersam Antiochiam, & ciues in vrbe relictos institutâ Litaniâ Dei misericordiam implorasse, diuinitusque monitos vt domorum relictarum superliminaribus inscribererent; *Christus nobiscum state*, eoque peracto vindictam Dei quieuisse. Verùm in hac narratione non æquè auctores consentiunt.

5. *Significatio eiusdem.* Sed ad mysticas & morales significationes huius Litaniæ transeamus.

Vsus illius rationes adfert S. Thom. 3. par. qu. 83. art. 4. in Corpore, vbi ait: *Supplicatione hac contineri commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur, dicendo Kyrie eleison pro persona Patris, Christe eleison pro persona filij, & rursus Kyrie eleison pro persona Spiritus sancti, idq; contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ & pœnæ, vel ad significandum quod omnes personæ sint in se inuicem.* Ita & Innocent. Dominicus Sotus, & alij.

S. Bonauent. de Expositione Missæ cap. 2. *Kyrie eleison nouies decantatur, quia drachma, decima scilicet humana natura, quæ perdita erat inter nouem choros Angelorum per Incarnationem Christi instauratur.*

Durandus in Rationali diuin. Offic. lib.4. cap. 12. ait congruè post aduentum Christi in mundum, qui repræsentatur per Introitum, misericordiam Dei implorari. Venit enim plenitudo temporis, annus benignitatis & salutis, sicut prædictum fuerat Psalm. 101. *Tu exurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi eius, quia venit tempus.*

Præterea nouies repeti, Domine miserere, vt ordo humanus ex hominibus reparatus associetur nouem ordinibus Angelorum.

Item nouies ibidem iterari contra nouem genera peccatorum, quæ sunt, Originale, mortale, veniale, cogitationis, locutionis, operationis, fragilitatis per impotentiam, simplicitatis per ignorantiam, malignitatis per inuidiam. Vide plura ibidem. Gabriel Lect. 16. *Exprimit*, inquit, *hæc supplicatio vota populi antiquis Patribus consentientis, & optantis Christi in altare aduentum, & per eum diuinam misericordiam.*

Est hæc oratio verbis, re, & fructu vberrima, quâ & Dei beneuolentiam captamus nostrâ humilitate, dum nos seruos illum Dominum confitemur, & Christi appellatione, qui oleo misericordiæ & vnctus est & affluit, bona omnia à Deo poscimus, dum precamur vt misereatur. Ita Bapt. Scortia lib. 3. cap. 15.

Rectè etiam monet Stephan. Durant. lib. 2. de Ritibus cap. 13. eos qui hac prece vtuntur misericordiæ & humanitatis erga proximos maximè pauperes debere meminisse, ex S. Chrysostom. Homil. 21. in caput 12. ad Romanos.

CA-

CAPVT IV.

Hymnodia Angelica, Gloria in excelsis Deo, &c.

HYmnus hic Angelicus Dominicis diebus (exceptis ijs qui continentur Septuagesima vsque ad Pascha, & Aduentus tempore, & Missis quæ dicuntur pro Defunctis) & festis ordinariè, excepto festo Innocentium, pronuntiari solet, additis quibusdam ab Ecclesia verbis, quæ ad maiorem deuotionem excitandam sunt aptissima, & laudem militiæ cælestis pluribus amplificant, explicant, approbant, suamque congratulando coniungunt.

1. *Sensus hymni Angelici.* Canunt itaque Angeli: *Gloria* est (vel sit) Deo in Altissimis, adorent & laudent eum omnes virtutes cælestes in noua Natiuitate filij & verbi, per quam est pax & omne bonum hominibus proueniens, non ex ipsorum meritis, sed liberali beneuolētiā, gratiā, & beneplacito Dei voluntatis. Hic sensus est. Ecclesia verò suos hymnos, laudes, vota illis annectit, spirituum cælestium hymnodiæ chorum terrestrium consocians: *Laudamus te*, &c.

2. *Illius prædictio.* De hac laudatione prædixit Isaias cap. 49. 13. *Laudate cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.* Vide ibi. Sanctum Hieronym. lib. 13. Commentar. Ante hoc tempus non dabatur in terra congrua laus, non à gentibus, quæ idola colebant, nec perfecta etiam à Iudæis.

Porrò in hoc hymno multa synonyma geminantur, tum quia Deus sufficienter à nobis glorificari non potest, tum vt augeatur in hominibus deuotionis affectus. Rectè S. Augustin. in in Psalm. 148. *Cùm laudatis toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta.* Sic ille. *Quantum potes tantum aude, quia maior omni laude nec laudare sufficis.* Vide Ecclesiasticum Siracidæ cap. 43 v. 32. 33. 34.

Constat summatim hæc glorificatio diuinis laudibus, gratiarum actione, & humili deprecatione.

De hac sic scribit S. Thom. 3. parte qu. 83, art. 4. *Tertia pars* (Missæ) *commemorat cælestem gloriam ad quam tendimus post præsentem vitam & miseriam, dicendo Gloria in excelsis &c. quæ cantatur in festis, in quibus commemoratur cælestis gloria; omittitur autem in officijs luctuosis quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.* Hæc ille. 3. *Quare aliquando cantetur, aliquando omittatur.*

Et quidem Hymnum Angelorum in Lucæ 2. siue initium nostræ glorificationis habet Liturgia S. Iacobi his verbis: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas.* Sic enim hunc hymnum legunt Biblia Græca, vt sit trimembris sententia, & sic omnes ferè Græci Patres legerunt, paucis exceptis, vt videre est apud Interpretes Lucæ 2.

Quis autem reliqua, quæ apud nos in Missa leguntur, adiunxerit, planè incertum est. Aliqui tribuunt Symmacho Papæ, quidam S. Hilario, alij Telesphoro. Verisimile videtur totam illam appendicem ab Apostolis compositam. Nam integer ferè extat apud Clementem Romanum lib. 7. Constitut. Apostolic. cap. 48. 4. *Eius origo & antiquitas.*

Probabile etiam est S. Telesphorum ita in Missa decantari instituisse. Ita ferè omnes qui de Ritibus scripserunt.

Inchoat hunc hymnum sacerdos solus, tum sequitur cantando chorus: & rectè, quia cum Angelo concinuerunt multitudo militiæ cælestis. Ita Eduensis, Turrecremata, & alij.

Præterea sacerdos inchoans hymnum eleuat manus in altum, vt significet nos homines terræ filios non posse Deo dignas laudes promere, aut gratias agere pro verbi diuini Incarnatione & nostra redemptione, & ideo nos desiderare,

derare, vt ipsorum cælestibus hymnodijs nostræ terrenæ adiungantur, vt anseres strepunt inter olores.

Sapidè & piè hoc carmen exponit Illustriss. Cameracens. Franciscus vander Burch in Missæ Elucidatione.

5. *Explicantur illa, propter magnam gloriam tuam.* Solùm digna animaduersione illa: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Quidam per gloriã illam accipiũt gratiam, qua, propter nostram salutem filius descedit in terras de cælis, pro qua merito illi gratiam agere tenemur, gratiã pro gratiã, vel certè pro gratia gratos nos faciente, & ad cœlestem gloriã nos perducente, vt accipitur ad Romanos 3. 23. *Omnes peccauerunt & egent gloriâ Dei*, id est gratiâ gloriosâ, quæ est gloria inchoata.

Sed præstat cum Leonardo Lessio lib. 14. de perfectionibus diuinis cap. 3. accipere pro ipsa Dei gloria extrinseca, quæ maximè relucet in nostra beatitudine, quâ ipsum videndo clarè, amando, fruendo, glorificabimur; quæ simul est maxima eius gloria, & summum beneficium nobis conferendum, cum liberaliter ab ipso conferatur. Vide eum.

6. *Cur hymnus à sacerdote dicitur ad Orientem.* Nota postremò sacerdotem hunc hymnum canere ad Orientem, se obuertentem, de quo ita ratiocinatur Amalarius Fortunatus, lib. 3. de Eccles. Offic. cap. 6. *Non est ordo, vt qui Dominum laudare voluerit, tergum ad eum vertat, & pectus ad seruos. Ipsum statum ad qualitatem loci vbi Angeli cecinerunt memoratum hymnum possumus conijcere. Dominus iuxta formam serui in Bethlehem erat, quæ nostram Ecclesiam significat: Angeli ad Orientem cecinerunt, de quo statu dicit Michæas cap. 4. Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, ad te venient. Turris autem gregis mille circiter passibus à Bethlehem ad Orientem distat.* Sic ille. Vide etiam Stephan. Eduensem de Sacramento Altaris cap. 12.

CAPVT V.

Salutatio Sacerdotis ad populum per formulam, Dominus vobiscum

SEquitur salutatio sacerdotis, quâ populum salutat & inuitat, tum ad orandum, & per vota pia Sacrificio cooperandum, quia mox subijcit *Oremus*, tum ad audiendum &c. quia illam salutationem præmittit Euangelio, & alijs.

Sacerdos ante hæc verba osculatur altare, quasi à Christo, quem altare signat, pacem accipiens, vt eam populo vicissim impertiat, Gauant. p. 2. tit. 5. & alij.

Huius rationem dat Stephan. Eduensis de Sacramento Altaris cap. 12. *Sacerdos*, ait, *conuertens se ad Occidentem Chorum salutat & populum, dicens, Dominus vobiscum, quasi qui dignatus est habitare inter vos visibili præsentia, maneat in vobis habitante gratiâ, & ab occasu infidelitatis conuertat ad Orientem veri luminis.* Ista salutatio fit ab Episcopo dicendo *Pax vobis*, in quo ostenduntur specialiter esse vicarij Christi qui Apostolos in hunc modum salutauit. Sic Eduensis.

Rationem verò, cur toties repetatur Salutatio ista suggerit D. Illustriss. vander Burch suprà: Hac, inquit, frequenti salutatione Sacerdotis ad populum, hoc agitur, ne populus negligenter patiatur se distrahi, & per singulas salutationes petitur specialis gratia populo: in prima scilicet ad piè cum celebrante ore aut corde dicendam Collectam: in secundâ ad bene attendendum Euangelio, & semen illud cælestis Patrisfamilias bene corde, velut in terra bonâ suscipiendum: in tertia ad piè cooperandum oblationi præparatoriæ, & sequen- 1. *Cur toties salutatio Dominus vobiscum repetatur.*

sequentibus Orationibus secretis ; in quarta, ad dignè offerendum per manus sacerdotis sacram Eucharistiam,& totum Canonem deuotè transeundũ: in quintâ, quæ est, *Pax Domini sit semper vobiscum*, petit sacerdos populum per veram cum Deo & inter se pacem, idoneum fieri ad Communionem : in sexta excitatur populus ad dignas Deo gratias agendas per postcommunionem ; in septima vt capax fiat ad percipiendam dignè & efficaciter sacerdotalem benedictionem.

2. *Salutationis vetustas.* Hæc salutatio antiquissima est vt constat ex Concilio Braccarensi primo Can. 21. vbi dicitur deriuata ex Apostolicâ traditione,& ex S. Dionys. Cap. 3. Eccles. Hierarchiæ, vbi hanc salutationem vocat *diuinissimam* (quia non ab hominibus, sed cœlitus à Deo missa, & ex scriptura desumpta) *sanctam, mysticam, supermundanam* : ad quam allusit S. August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 12. *non omnes*, inquit, *cum illo sunt eo modo quo ei dictum est ; Ego semper tecum* (Psal. 72.) *neque ipse cum omnibus eo modo, quo diximus, Dominus vobiscum.*

3. *Fluxit ab Hebrais.* Fluxit hæc salutandi & bene precandi formula ex fontibus Hebræorum, & in Scripturâ tam in numero singulari, quam multitudinis reperitur. In singulari Iudic. 6. 12. dicit Angelus Gedeoni: *Dominus tecum virorum fortissime*. Rursus Angelus Virgini Deum pariturae Lucæ 1. *Dominus tecum* : In plural. verò Ruth 2. 4. dixit Booz messoribus ; *Dominus vobiscum* Item 2. Paralipom. 15. 2. Azarias facto in se spiritu Dei egressus in occursum Regis Asa dixit ei & populo eius: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Videtur hæc Salutatio vim & efficaciam accepisse à Christo qui dixit Matth. 28. *Ego vobiscum sum &c.*

Licet autem hæc salutatio originem Hebraicam redoleat, potest tamen dici propria Legis gratiæ, in qua carne susceptâ & factus Emmanuel noster Christus humano generi dominatur, quod rectè ex S. Dionys. obseruat Anastasius Sinaita lib. 7. Comment. in Hexameron: *Antea enim*, ait, *dominatum obtinebat diabolus. Viso Iesu ab inferis existente exclamauit S. Thomas ; Dominus meus & Deus meus.*

Ceterùm huius salutationis loco Episcopi prima vice populum salutantes dicunt, *Pax vobis*. Fuit autem hæc prima verborum formula, quâ Christus rediuiuus Apostolos, hoc est Episcopos, salutauit. Ioan. 20.

4. *Etiam Pax vobis est vetus.* Hanc etiam vetustissimam esse, & simul cum Ecclesiâ natam patet ex Liturgijs S. Iacobi, Basilij &c. & constat ex priscis Patribus Græcis & Latinis, quos profert Stephan. Durant. lib. 2. de Ritib. cap. 15.

Memoriæ proditum est, S. Chrysostomum vitâ functum cum corpus eius à Proclo Patriarchâ in throno collocaretur dixisse populo: *Pax vobis*, idque Proclum & omnes adstantes audiuisse. Nicephorus lib. 14. cap. 43.

Porrò respondet Minister vel Chorus salutationi Sacerdotis: *Et cum Spiritu tuo*; idem vouens & optans Sacerdoti, & par pari referens. Sumpta autem sunt illa ex Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. 22. *Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo.* Hæc etiam formula eamdem venerandam antiquitatem redolet, quam salutatio, vt ex ijsdem Liturgijs & Patribus notum est. 5. *Et cum Spiritu tuo antiquum est, & eius sensus.* S. Chrysost. homil. 18. in 2. ad Corinth. *Bene precatur sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti: nam, Cum spiritu tuo nihil aliud est quàm hoc.*

Indicat, inquit Albertus, *hæc responsio sacerdoti ad altare standum penè sine corpore & sollicitudine seculi, quasi in Deum totus esset absorptus, vt Moyses olim loquens cum Deo nebulâ obtegebatur.*

Solet moueri dubium, an sacerdos Missam celebrans priuatam vno solo assi-

assistente ministro dicere debeat *Dominus vobiscum.*

6. *Etiam vno solo assistente ministro dicendum Dominus vobiscum.* Tractat hoc dubium fusè Durantus suprà n. 5. Nauar. Miscellaneo 67. de Oratione, maximè n. 5. S. Petrus Damiani lib. qui inscribitur Dominus Vobiscum cap. 3. Sed dicendum est ritè illa vsurpari etiam vno solo astante ministro; tum quia totam salutat Ecclesiam, & ab ea vicissim resalutatur; tū quia nusquam vel in Missali vel in Breuiario illa salutatio mutanda vel omittenda præcipitur. Idem dic de alijs formulis vel Missalis, vel Breuiarij, vt Orate Fratres, Oremus, Benedicamus Domino, &c.

Audiat Lector verba B. Petri Damiani suprà, vbi ex professo hanc quæstionem tractat. Ex cap. 10. hæc deprompsi. *Sicut*, ait, *homo Græco eloquio dicitur Microcosmus, quoniam per materialem essentiam ijsdem quatuor elementis constat, quibus & vniuersalis hic mundus, ita etiam vnusquisque fidelium quasi minor quædam videtur esse Ecclesia, dum saluo vnitatis mysterio etiam cuncta redemptionis humanæ vnus homo suscipit Sacramenta, quæ ipsi vniuersali Ecclesiæ sūt attributa. Si ergo vnus homo nō ambigitur cōmunia totius Ecclesiæ Sacramenta suscipere, cur prohibeatur cōmunia Ecclesiæ verba solus proferre, cū videlicet multo maioris momenti sint Sacramenta quàm verba?* Hactenus ille.

Denique quidquid in Diuino officio dicitur aut agitur, hoc ab ipsâ Ecclesiâ dici & agi videtur per vnitatem fidei & caritatem.

7. *Explicatio copiosa huius salutationis & responsionis.* Ceterùm iuuerit hîc pleniùs & succulentiùs sacram hanc salutandi formulam explicare, *Dominus vobiscum.* Notum est Deum secundum naturam suam esse vbique, in omnibus, & cum omnibus; cum hoc tamen verum est alicubi tantùm esse, & cum quibusdam tantùm personis quoad certos effectus beneuolētiæ, fauoris, gratiæ, auxilij, honoris &c. quos ad certum aliquem finē tribuit. Exempla aliqua suggero. Genes. 21. 22. venit Abimelech ad Abraham & dicit ei: *Deus tecum est, in vniuersis quæ agis.* Significat Dei beneficio vniuersa ei feliciter cedere. Ibidem cap. 31. 5. ait Iacob: *Deus patris mei fuit mecum.* Indicat cuncta sibi prosperè euenisse Deo fauente. Rursus Genes. 39. sæpius repetitur, *Dominum fuisse cum Ioseph*, quia ex animi sententia omnia ei fluebant, & quamuis postea in carcerem fuerit coniectus, hoc tamen Deus permisit ad maius gloriæ ipsius incrementum; Dicit Dominus Iosue cap. 1. 5. *Sicut fui cum Moyse ita ero tecum*; mox verò quasi explicationis gratiâ subijcitur, *Non dimittam nec derelinquam te.* Ergo omnia bona proueniunt illi, & ab eodem omnia mala auertuntur quicum fuerit Dominus, vt clarum fuit in Virgine Matre, cui Paranymphus Gabriel apprecatur & annuntiat: *Dominus tecum*: Hanc itaque formulam vsurpans mystes populo fideli optat omnium spiritualium & temporalium bonorum copiam ad vitam æternam conducentium. &c.

Resalutatio etiam ministri vel chori: *Et cum spiritu tuo*, est conuenientissima, eò quòd in sacrificio res maximè spiritualis, summorumque plena mysteriorum, quæ solo spiritu percipiuntur, tractetur. Precatur sacerdos populo vt cum ipso Dominus sit, & populus vicissim ei precatur, vt idem Dominus cum ipsius spiritu sit, vt in sacrificio propositum finem assequatur, & vt sacerdos non solùm linguâ, sed spiritu oret, sacrificetque.

Postremò Episcopus, quia refert Christum Dominum (qui sæpius suos salutauit illis, *Pax vobis*, Lucæ 24. 36. Ioannis 20. 19. & 21.) etiam ijsdem vtitur. 8. *Item illius Pax vobis* Ita Innocentius III. lib. 2 myster. Missæ cap 23. *Episcopus*, ait, *eius vtitur Eulogio, cuius fungitur Pontificio.* Vnde Christus nobis loqui videtur ore Episcopi. Ita Isidorus Pelusiotes S. Chrysosto-

sostomi discipulus Epist. 122. *Illud*, inquit, *quod à plebe* (sic olim fiebat, iam verò certis de causis fit à ministro vel per chorum) *respondetur*, *& cum Spiritu tuo*, *hanc habet sententiam*: *Pacem quidem nobis tribuisti Domine, hoc est, mutuam inter nos concordiam; pacem autem nobis da, hoc est, eiusdem tecum coniunctionem, quæ nullo modo dinelli possit, vt cum spiritu tuo pacati, quem nobis in creationis indidisti initio, à tua caritate distrahi nequeamus.*

Plura vide de hoc apud Nicolaum Serarium in Cap. 2. libri Ruth quæst. 12, 16. 17.

CAPVT VI.

Oratio siue collecta.

1. *Vetus mos dicendi Oremus, & manus tùc iungendi & quid significet.*

SAcerdos post hæc populi vota suis coniungi postulans dicit, *Oremus*, quod aliquoties præmittit orationibus alta voce pronuntiandis: de quo S. Augustin. Epist. 107. ad Vitalem: *Nunquid vbi audieritis sacerdotem* Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum *non respondebitis Amen?* Est hic etiam vetus Ecclesiæ mos ex Liturgijs S. Iacobi, Marci, &c. Vocatur hæc formula à Scriptore vitæ S. Paulini, *Indictio Orationis*; & rectè: nam inuitatur populus ad Orationem.

Insuper Sacerdos dicens *Oremus*, caput inflectit versus Crucem, & manus iungit ante pectus, humilitatis & reuerentiæ gratiâ ex antiqua Ecclesiæ praxi, vt docet Nicolaus primus ad Consulta Bulgarorum, vbi inter alia: *Quia*, ait, *in Euangelio, reproborum ligari manus & pedes reperiuntur: quid aliud isti agunt qui manus suas coram Domino ligant, nisi Domino quodammodo dicunt; Domine ne manus meas ligari præcipias, vt mittas in tenebras exteriores; quoniam ecce iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus sum.*

2. *Antiqua consuetudo de flectendi, Flectamus genua &c.*

Solet verò in Quatuor anni temporibus & aliquando in Quadragesimâ post dictum *Oremus* subdi, *flectamus genua*, & mox subiungi, *Leuate*, quæ consuetudo vetus est, vt constat ex S. Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 26. *Quoties*, inquit, *genu flectimus, & rursus erigimus reipsa ostendimus, quòd propter peccatum in terram delapsi sumus, & per benignitatem eius, qui cōdidit nos, ad cælum reuocati sumus.*

Denique flexionem genuum tempore orationis, traditionem esse Apostolicam docet Origenes homiliâ 5. in Numeros. Vide Gauant. pag. 1. tit. 17. n. 1.

Ceterùm cùm vox *Collecta* ambigua sit & Polysema, siue variæ significationis in Scriptura; aliquando enim significat collectionem pecuniarum, aliàs cœtum seu populi congregationem &c; quæritur cur Orationes Missæ, vel horarum Canonicarum, quæ ferè semper eædem sunt cum illis, vocentur Collectæ.

3. *Quatuor ob causas Orationes Ecclesiæ vocantur Collectæ.*

Inuenio quatuor potissimùm hac de re diuersorum Doctorum sententias.

4. *Prima, Quod orationes populi in ea colligantur.*

Prima est Walafridi Strabonis de rebus Ecclesiast. cap. 2. Micrologi de Ecclesiast. Obseruationibus cap. 3. Hugonis de S. Victore lib. 2. de officijs Ecclesiast. cap. 16. Guilielmi Duranti in Rationali lib. 4. cap. 15. n. 13. & aliorum vocari Orationes illas Collectas, quòd Sacerdos, qui fungitur legatione ad Deum pro populo in eis petitiones omnium compendio in vnū colligat, vt eas ad Dominum transmittat. Habetur apertè hæc notio in Cassiano lib. 2. de Institut. Renuntiant. cap. 17. his verbis; *Cùm autem is qui Orationem collecturus est è terrâ surrexerit, omnes pariter eriguntur, ita vt nullus, nec antequam inclinetur ille genuflectere, nec cùm è terrâ surrexerit, remorari præsumat, ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, qui precem colligit, quàm suam celebrasse credatur.*

Vbi notanda sunt verba, *Precem vel Ora-*

Orationem colligere. Idem videndus cap. 10.

Idem indicatur in Concilio Agathensi Can. 30. & habetur C. *Conuenit* de Consecratione dist. 5. *Plebs*, ait, *collecta oratione ad vesperam ab Episcopo dimittatur cum benedictione*; vbi ita exponit Glossa. Vocantur ibidem Orationes illæ Collectiones, non verò Collationes, vt habet Gratian. in Decreto. Sed de hoc plura dixi lib. 1. de Horis Canon. cap. 29.

5. *Secunda quia dicuntur populo collecto.* Altera est Albini Flacci Alcuini lib. de diuinis Offic. cap. de celebratione Missæ, Orationes illas dici Collectas, quia populo in vnum collecto dicuntur. Vnde docent passim scriptores Ecclesiæ Rituum speciatim vocari Collectas, Orationes illas, quæ apud Romanos super Collectam populi fiunt dum colligitur, vt procedat de vnâ Ecclesiâ ad aliam ad stationem faciendam. Lege Durandum & Micrologum suprà, & Stephan. Durantum lib. 2. de Ritibus cap. 16. §. 2.

6. *Tertia, quia per eas animi in Deum colliguntur.* Tertiam habet Franciscus Suarez tomo 3. in 3. p. S. Thomæ disput. 83. sect. 1. quia per eam omnium audientium animi ad Deum colliguntur, vnde Sacerdos præmittit *Oremus*. Adde, vel saltem monetur populus animo collecto orare. Postremam ponit Bellarm. tomo 2. Controuers. lib. 2. de Missa cap. 16. quam putat alijs veriorem, dictam Collectam (per figuram Intellectionis, vel Synecdochen, quâ ex toto pars intelligitur) ab ipsa celebratione Missæ, quæ ab Antiquis dicebatur Collecta, quia ad eam populus colligebatur, vt probat ex antiquis Patribus. *Hinc*, inquit, *Oratio quæ recitatur in Missa Collecta dicta esse videtur, quia est finis, principium, & medium totius illius actionis, quæ Collecta dicebatur*. Hæc ille.

7. *Quarta, quia est pars Missæ, quæ Collecta dicebatur.*

Ego primam sententiam ceteris præferro propter rationes allatas, & quia non solum in Missa, sed etiam in alijs Ecclesiæ officijs Collectæ dicuntur.

Sacerdos Orationem profert ad Orientem, si eò spectet altare, qui orandi modus ab Apostolis fluxit; sed de hoc nihil hîc dicendum. Interim vide Gauantum p. 2. tit. 5.

Porrò antiquitas Orationum seu Collectarum satis constat ex Iustino Apologiâ ad Antoninum 2. vbi ostendit in Christianorum cœtibus preces & gratiarum actiones haberi solitas, quibus populus faustè acclamabat Amen; quod nunc vel minister, vel Chorus Clericorum succinit. Eadem colligitur ex Tertulliano Apologetici cap. 39. imò ex Apostolo, prioris ad Tim. 2. Statutum etiam fuit in Conc. Carthagin. 3. Can. 23. & Mileuit. c. 14. vt Sacerdotes non legerent nisi Orationes ab Ecclesia approbatas. 8. *Antiquitas Collectarum.*

Satis etiam constat Orationes, quæ in Missa recitantur plerasque omnes esse vetustissimas, & verosimiliter à Gregorio Magno in vnum collectas, vel ante ipsum à Gelasio Papâ, vt significat Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 22. Quidquid sit, redolent illæ venerandam canitiem, & spirant mirabilem pietatem, plenæ sunt spiritualis succi, siquis eum exprimere nouerit.

Præterea animos nostros ad Deum subuehunt, aliquem sanctum affectum excitando, & gratiam, donum aut virtutem postulant. Commendant insuper eius maximè omnipotentiam, misericordiam, prouidentiam vel aliud eius Attributum, & ab ipso velut omnium bonorum fonte varia beneficia in Ecclesiam deriuari flagitant, vt constabit illas attentè consideranti. 9. *Sunt planè diuinæ & deuotissimæ.*

De numero Collectarum multa habentur apud Steph. Durantum cap. 16. §. 9. & sequent. Suarez suprà disput. 83. Sect. 1. Gauantum p. 1. tit. 9. n. 12. Quod autem quidam aiunt non debe- 10. *Numerus Collectarum excipitur.*

debere binas dici sed numero impare, scilicet vel tres, vel quinque vel septem, (nisi vna solùm recitanda veniat) non seruatur modò, quidquid olim fuerit. Videmus enim in Missa à Dominica Passionis vsque ad Octauam Paschæ ordinariè binas recitari, sicut & infra Octauam Pentecostes, & aliàs frequenter vt constat ex Rubricis Missalis. Et mysterium non minus in binario Orationum quàm in ternario inueniri potest, vel alijs numeris imparibus. Si enim ternarius indicat Mysterium SS. Trinitatis, cur binarius non indicet in Christo duarum naturarum Sacramentum? In his seruandum quod Rubricæ Missalis præscribunt.

11. *Concluduntur ordinariè per Christum.*

Ceterùm concluduntur ordinariè Collectæ, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, vt detur nobis magna impetrandi fiducia. Ioan. 16. ait Christus. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* S. Bernard. lib. de amore Dei cap. 8 *Orationes nostras vota & sacrificia & omnia nostra offerimus tibi Pater assiduè per Dominum nostrum Iesum filium tuū, credētes & intelligentes ex te, à te, & ad te per ipsum nobis esse quidquid nobis bene est, à quo ipsum esse habemus.* & Apostolus 2. ad Corinth. 1. dicit, *promissiones Dei esse stabiles in Christo*: q. d. Christum datum esse nobis pro fideiussore, & omnes promissiones impleri per Christum.

12. *Cur ferè semper Collecta ad Deum Patrem dirigatur.*

Quocirca ferè semper Collecta dirigitur ad Deum Patrem, vt etiam olim præceptum fuerat in Concil. Carthagin. 3. cap. 23. nec tamen ideo excluditur vel Filius vel Spiritus Sanctus: siquidem propter essentiæ vnitatem semper in Patre intelligitur Filius & Spiritus. Sanctus. *In Patre totus Filius & totus in verbo Pater.* Sic, licèt in Canonis exordio sacrificium ad Deum Patrem dirigatur per verba: *Te igitur clementissime Pater* &c. sacrificium tamen toti Trinitati offertur. Adde ex clausula Collectæ apertè colligi simul cum Patre inuocari Filium & Spiritum Sanctum, cùm subdimus Filium & Spiritum Sanctum cum Patre viuere & regnare in secula seculorum.

Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 16. duas adfert causas cur ordinariè Collectæ referantur ad Deum Patrem.

Prima; quia Christus ita nos docuit orare: Matth. 6. *Pater noster qui es in cælis* (licet probabilius sit ibi intelligi simpliciter Deum, id est, totam Trinitatem, quia omnes personæ æquè omnia ad extra operantur, & ob id pari modo omnes inuocandæ sunt) & Ioan. 16. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*

Altera; quia debet semper oratio concludi per Christum, cùm ille sit aduocatus noster & Mediator, per quem omnia petimus: incommodum autem fuisset dirigere orationes ad Trinitatem, & concludere per filium tuum: videremur enim tunc facere Christum Filium Trinitatis: quod si omissa voce filij diceremus solùm, *per Christum Dominum nostrum*, videremur diuidere Christum in duas personas, nam vnam includeremus in Trinitate, quam inuocamus, alteram excluderemus, per quam inuocamus. Omnia autem hæc incommoda tolluntur, cùm diriguntur ad vnam personam, & quia Persona Patris est prima & principium aliarum, optimum est vt quando ad vnam personam dirigendæ erant, ad Patrem dirigerentur. 13. *Collecta quare claudatur per Christum.*

Dixi ferè semper dirigi Collectas ad Patrem, quia aliquæ ad filium referuntur, quæ concluduntur per illa: *Qui viuis & regnas cum Deo Patre &c.* aliquando etiam ad Sanctissimā Trinitatem; vt in Missa: *Suscipe Sancta Trinitas*, Et *Placeat tibi Sancta Trinitas* &c. interdum etiam ad Spiritum Sanctum, quarum exempla etsi neget extare Gauantus p. 1. tit. 9. n. 17. adfert tamen

N aliqua

aliqua Illustriss. vander Burch in Elucidatione Missæ V. *Collecta* ex Pontificali Romano, sed in Missa extare non puto.

14. *Inclinamus caput ad nomen Iesu.*

Cùm nominatur in Clausula Iesus, & alibi, caput versus Crucem Sacerdos inclinat, vt habet Rubrica, & meritò, cùm non solùm capita in nomine illo, quod est super omne nomen, sed etiam omnium genua flectenda sint.

Est autem hic ritus antiquissimus, vt notum est. Gregor. 10. in Sexto, tit. de Immunitate Ecclesiarum C. *Decet*, sic hortatur. *Conuenientes* (ad Ecclesias) *nomen illud quod est super omne nomen* (*à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Iesu Christi qui saluum faciet populum suum à peccatis eorum*) *exhibitione reuerentiæ specialis attollant, & quod generaliter scribitur, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in seipsis implentes* (*præcipuè dum aguntur Missarum sacra mysteria*) *gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur.* Ita ille. S. Franciscus si chartam inuenisset cum nomine Iesu, cum magnâ reuerentiâ leuabat, & honesto loco ponebat. Ita Humbertus in Regul. S. August. cap. 3. plura habet Baptista Scortia de Missa lib. 3. cap. 19. §. 9. 10. Venerabilius esse illud nomen quàm nomen Dei eruditè probat Abulens. quæst. 7. in 20. caput Exodi.

Porrò post illa: *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum*, additur: *Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum*: quorum

15. *Explicatur: Qui tecum viuit & regnat &c.*

verborum hic sensus est: qui Christus ab æterno vsque in æternum tecum viuit & regnat & cum Spiritu Sancto vtrique consubstantialis, vt rectè Alcuinus de diuin. Offic. cap. de Celebratione Missæ. Vna enim trium personarum est deitas, vita, regnum & potestas: & quidem æterna, quod indicant illa: *In secula seculorum*: quæ formula vsitata etiam fuit antiquis Patribus in gratiarum actionibus. Æternitas porrò præstantiâ, perfectione, duratione continet & excedit omnia secula; estque seculum seculorum κατ' ἐξοχὴν, per Excellentiam & consequentiam seculorum, cùm iuxta Boethium lib. 5. de consolat. Philosophiæ Prosâ 6. *sit interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*

Rursus τὸ *In vnitate Spiritus Sancti*, dupliciter exponi potest, primò; *In vnitate*, id est vnà cum S. Spiritu, tres enim personæ vnus sunt Deus: secundò, *In vnitate*, id est in Spiritu Sancto, qui est vnitas, nexus & amor Patris & Filij: sed prior expositio simplicior est & melior. Plura habet de his Stephan. Durantus lib. 2. cap. 16. n 17. & 18.

Postremò subditur clausula generalis & communis omnibus Orationibus, *Amen*, quæ etiam Apostolicam & primigeniæ Ecclesiæ antiquitatem sapit, vt patet prioris ad Corinth. 14. *Si benedixeris Spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem.* Videndus Iustin. Apolog. 2. ad Antoninum sub finem, Tertull. lib. de spectaculis c. 25. & alij. 16. *Clausula Amen expenditur accepta ab Hebræis.*

Profluxit verò illa formula approbandi orationem sacerdotis ab Hebræis, quæ etsi explicari potuerit, seruata est tamen antiquitas propter sanctiorem auctoritatem, vt ait Augustin. lib. 2. de doctr. Christiana. Hanc etiam Christus precationi suæ diuinissimæ quam nos docuit, includere voluit, & eam tamquam sigillo firmauit Matth. 6.

Nota autem *Amen*, quod ab Hebræo אמן Aman deriuatur, id est, firmauit, simul nomen esse & Aduerbium. Nomen significat veritatem, stabilitatem. Sic accipitur Apocalyp. 3. 14. *Hæc dicit Amen*: q. d. Hæc dicit ille, qui semper est Amen, id est immutabilis & verus. Consule Interpretes. Aduerbium significat verè, firmiter; quod 17. *Significatio eius duplex.*

 Græco-

Græcorum multi Interpretes reddiderunt πιστευμένως id est fideliter; Septuaginta γένοιτο fiat. Cùm initio orationis ponitur tunc est Aduerbium asserentis, vt, *Amen dico vobis*; id est, verè, in veritate: cùm verò postponitur, tunc est vel affirmantis concedentis assentientis, vel optantis, quod postremum locum habet in Oratione Dominica & omnibus Ecclesiæ Orationibus. Significat enim ibi *Amen* votum commune populi & nostrum esse, vt verè & plenè fiat quod petimus: fiat, fiat: Innocent. tamen 3. lib. 2. de myster. Missæ cap. 26. putat significare verum est; quasi populus confirmet verum esse Christum viuere & regnare cum Patre & Spiritu Sancto. Sed prius melius est.

CAPVT VII.

Lectio vel Epistola.

SEquitur Collectam Epistola, Lectio videlicet sacra Prophetica, vel Apostolica, quæ tunc dicitur, Epistola quando sumitur ex Epistolis Apostolorum; quando sumitur ex Actis Apostolorum, Apocalypsi vel veteris testamenti libris, dicitur Lectio, estque plerumque semper vna dumtaxat, rariùs binæ vel plures, vt in quatuor anni Temporibus.

1. *Epistolæ antiquus vsus.* A diebus autem Apostolorum iugis consuetudo fuit in Ecclesia, vt scriptura legeretur, vt satis liquet ex prioris ad Corinth. cap. 14. 26. *Cum conuenitis vnusquisque vestrûm Psalmum habet, doctrinam habet, &c.* Fluxit porrò ritus ille ad posteros, vt constat, tum ex alijs antiquis Patribus, Dionysio Ecclesi. Hierarchiæ cap. 3. Clemente lib. 2. Constit. cap. 57. tum ex Iustino Apologia 2. ad Antonin. sub finem: *Die,* inquit *qui solis dicitur* (Dominico) *omnes qui in oppidis vel agris morantur, vnum in locum conueniunt, Commentariaque Apostolorum vel Prophetarum leguntur quamdiu hora patitur.*

Ceterùm manasse hic mos videtur ab Hebræis, vt rectè obseruauit Isidor. lib. 1. de Ecclesi. Officijs cap. 10. & post ipsum Raban. lib. 2. de Institut. Clericorum cap. 52. Constat hoc ex 2. libro Esdræ cap. 8. & 9. de quo vide Bedam in Commentarijs & Hugone de S. Victore lib. 2. de rebus Ecclesiast. cap. 1. Idem colligitur ex Lucæ 4. 16. vbi Christus cùm intrasset Synagogam die sabbati, surrexit legere &c. Kursus Actor. 13. 27. dicit Paulus: *Voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur.* Vide ibid. v. 15. & cap. 15. 17. 18. hodieque hæc Lectio apud Iudæos perdurat. 2. *Fluxit ab Hebræis.*

Variæ autem rationes traduntur à Scriptoribus Ritualibus, cur Epistolæ lectio Euangelicam præcedat, quas adfert Stephan. Durant. cap. 18. Hæ ex omnibus mihi placent. 3. *Cur Epistola præmittatur Euangelio.*

Prima; quia Epistola designat officium, quod ante Christum S. Ioannes Baptista præstitit, qui præiuit ante faciem Domini parare vias eius, vt ad pœnitentiam homines perduceret, qui fuit instar Subdiaconi: Christus autem fuit Diaconus, qui venit ministrare Matth. 20. Ita Rupert. Innocent. 3. Alensis, Guilielmus Durand. Alij, Christus quoque binos discipulos misit ante faciem suam Lucæ 10. Ita Alcuin. c. de celebrat. Missæ. *Prima ratio.*

Altera est Strabonis de rebus Ecclesi. cap. 22. *Ante ponitur, ait, in ordine Epistola Euangelio, etsi inferior dignitate, vt ex minoribus animus audientium ad maiora proficiat, & gradatim ab imis ad summa conscendat.* Per prophetias sumus quasi dolati Oseæ 6. & parati ad Euangelium Christi recipiendum. Non enim debet mitti vinum nouum in vtres veteres. Matth. 9. *Altera ratio.*

4. *Epistola sunt litteræ Christi sponsi ad Ecclesiam sponsam.* Epistolæ lectio primò nos memores reddit Redemptionis nostræ per Prophetas promissæ, & nunc impletæ: fuerunt enim ipsorum prædictiones instar Epistolarum, quibus Sponsus futuram sponsam consolabatur, vt patienter ferret eius moram & absentiam, cùm ipse, qui olim *loquebatur Patribus in Prophetis; quasi diceret, Ecce adsum.*

5. *Instruitur per eam intellectus.* Secundò, lectio Epistolæ seruit instructioni mentis & intellectus: Siquidem *declaratio sermonum eius illuminat; & intellectum dat paruulis.* Et, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Expertus hoc fatetur S. Augustinus libro 8. Confession. cap. 12. post lect. verba Apostoli: *Non in comessationibus & ebrietatibus, &c. Statim*, inquit, *cum fine huius sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.*

6. *Inflammatur affectus.* 3. Affectus exinde cœlesti rore perfunditur; sanctis desiderijs inflammatur, oleo deuotionis imbutus pinguescit, ad Deum laudandum & feruentiùs orandum cuibratur. Canit Psalmodus Psalmo 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum*: Lucæ 24. 32. dicebant discipuli duo ad inuicem: *Nónne cor nostrum erat ardens in nobis dum loqueretur in via & aperiret nobis Scripturas?*

7. *Deus per eam nobis loquitur.* 4. Quicumque audit Epistolam cani vel legi, & quicumque eam canit vel legit, sibi persuadeat Deum per eam sibi loqui: Sic enim docent Sancti Patres, interque eos Sanctus Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 20. *Christum alloquimur cùm oramus, illum audimus cùm diuina legimus oracula.* Et Augustin. Enarratione in Psalm. 85. *Quando legis Deus tibi loquitur, quando oras tu Deo loqueris.*

8. *Est Epistola Dei ad suam creaturam.* 5. Intelligat Lector vel auditor Epistolæ illam ad se è cœlesti Augustali & Dei palatio missam; quam ad rem verba pertinent Magni Gregorij lib. 4. Epist. 84. ad Theodorum: *Imperator*, inquit, *cœli, Dominus Angelorum & hominum pro vita tua tibi Epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis. Quid est enim sacra Scriptura, nisi Epistola quædam omnipotentis Dei ad suam creaturam?* Hæc ille.

Quis non imperiales apices attentè perlegat, & auream Bullam audiens conseruet & conferat in corde suo?

6. Imitemur Thessalonicenses, quos commendans ita ad illos scribit Apostolus Epist. primâ cap. 2. *Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* De ijsdem loquitur & S. Lucas Actor. 17. *Nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, susceperunt verbum cum omni auiditate, &c.* 9. *Thessalonicenses imitandi dum Epistola legitur.*

Subiungitur lectioni Epistolæ (sicut & lectionibus Horarum Canonicarum) tamquam clausula, *Deo gratias*, quæ etiam additur post *Ite, Missa est, &c.* Hac autem formulâ, iuxta Rupertum lib. 1. de diuin. offic. cap. 14. *Gratias agimus Deo quòd doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus.* 10. *Formula Deo Gratias commendatur.*

Multa certè hoc carmē cōmendant, & inter alia humilitas, caritas & gratitudo, quâ Deo, *Cuius est totum quod est optimum*, quidquid in oratione, officio, Missa præstat, adscribimus, & de illo gratias agimus.

Audire placet de hoc verba S. Augustini, *dulciora super mel & fauum.* Hic ipse cum Alipio scribit epist. 77. Aurelio. *Quid*, inquit, *melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest: Deo gratias qui te tam fideli pectore ditauit ergo filios tuos, &c.* Hoc est quod *à S. Augustino.*

nobis

nobis toties inculcat Apostolus in suis Epistolis vt 1.ad Thessal. 5. *In omnibus gratias agite.* Hoc agebat sacer Choragus: *Benedicam*, ait, *Dominũ in omni tempore.* Hoc & nos agamus dum viuimus, mouemur & sumus; nam in ipso *viuimus & mouemur & sumus.*

II. *Omne à formulâ Christiani se salutabant.* Porrò obseruare est antiquum fuisse Christianorum morem, maximè monachorum verbis hisce inuicem salutandi, vocandi, compellandi in congressibus & occursibus, cuius testis est idem Augustin. in Psalmum 132. agens pro monachis & Fratribus in domo habitantibus contra Circumcelliones cùm ait: *Hi* (Circumcelliones) *insultare nobis audent, quia fratres cùm vident homines, Deo gratias, dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itáne surdus es vt nescias quid sit, Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vident qui habitant in Christo? Et tamen vos nostrum Deo gratias ridetis.* Hæc S. August.

Perennat hæc salutandi laudabilis formula in plerisque viris religiosis, præsertim in Societate Iesu, vbi inuiolata seruatur, & frequentatur.

12. *Inuentrix huius Virgo Maria.* Celebris huius carminis inuentrix dicitur fuisse ipsa Dei Mater. Scribit enim S. Bonauentura in Meditation. de vita Christi cap. 3. *quòd si quis eam salutaret, illa pro suâ resalutatione subjiciebat, Deo gratias, primumq; ab ipsa exijt, vt dum salutantur homines sancti, Deo gratias dicant.*

CAPVT VIII.

Graduale & Alleluia.

Lectionem Epistolæ excipit Graduale & interseritur hanc inter & Euangelium, & constat quibusdam versibus qui ordinariè sumpti sunt ex sacris litteris, vel ab Ecclesiâ compositi. Illius auctor putatur Cælestinus Papa.

Huius nominis variæ à diuersis dantur congruentiæ. 1. *Tres Etymologiæ Gradualis.*

Primam dat Raban. lib. 2. de Instit. Cleric. c. 33. quia iuxta pulpiti gradus cantatur. *Prima.*

Altera est Strabonis c. 22. & Beati Rhenani Annotation. ad librum de Corona Militis Tertulliani, quia canebatur cùm Diaconus Ambonis gradus ascenderet ad Euangelium cantandum. *Altera.*

Tertia est mystica & communis, dictum à gradibus humilitatis, illi vtique conueniens, qui necdum pertigit ad culmen perfectionis, sed paulatim procedit de virtute in virtutem, & in valle lacrymarum positus, iam tamen ascensiones in corde suo disponit, Psal. 83. Ita Steph. Eduens. Rupertus, Innocent. 3. Durandus. *Tertia.*

Verisimile mihi fit Psalmos, qui dicuntur Graduum, huic proposito seruire: Licet enim Patres Græci & Latini istius tituli adferant explicationes diuersas, sensum tamen mysticum & præcipuè à Spiritu sancto intentum existimo hunc esse, ita vt voluerit Psaltes purpureus, exprimere ardens desiderium eorum, qui anhelant & aspirant ad perfectionem, nituntur de virtute in virtutem, ingemiscunt amore patrio in hoc exilio, in hac lacrymarum valle, & gradus, siue ascensiones disponunt ad cælestia tabernacula. Consideret Lector aliquot ex illis, & vtroque pollice quod dixi iam probabit. 2. *Psalmi Graduales.*

Graduale aliàs vocatur Responsorium, eò quòd illud præcinentem Chorus excipiat, & consonâ voce respondeat, vt docent Isidorus & Rabanus: communiter tamen nominatur Graduale ad distinctionem Responsoriorum, quæ in Horis Canonicis post Lectiones cani consueuerunt; de quibus à me dictum lib. 1. de Institut. Hor. Canoni- 3. *Vocatur & Responsorium.*

nonicarum cap. 29.

4. *Gradualis origo & vtilitas.*

Antiquitas Gradualis apud Græcos colligitur ex Liturgia S. Ioan. Chrysost. apud Latinos non ita vetus esse videtur eius ritus: Nam Hispani olim Graduale vel quid simile non interponebant, vt videre est in Concilio Toletano 4. Verùm postea mos Romanus interserendi Graduale & cetera omnibus paulatim placuit, & receptus est, teste Strabone suprà cap. 22.

Rectè verò obseruauit Bellarm. lib. 2. de Missa suprà, meritò decantari huiusmodi Gradualis versiculos, ne otiosè præterlaberetur tempus illud quod necessariò interijciendum erat Epistolam inter & Euangelium, cùm Diaconus ad illud cantandum se parat. Congruum etiam est sacram Lectionem Dei laudibus, oratione, hymnodiâ &c. interrumpi, vt postquam Deum nos alloquentem in Epistola audiuimus, vicissim etiam alloquamur, deprecemur, collaudemus, cum illo dulces sermones misceamus.

5. *Cur Alleluia apponatur Graduali.*

Notat etiam Stephan. Eduens. de Sacramento Altaris cap. 12. Alleluiatici cantus modulationem subsequi Graduale, quæ laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones, quibus suspirant ad æterna gaudia. *Verbum*, ait: *est breue, sed longè protrahitur pneumate.* (Spiritu) *Nec mirum, si vox humana deficit ad loquendum, vbi mens non sufficit ad cogitandum: quia quæ vox, quæ lingua poterit repetere quæ præparauit Dominus diligentibus se?* Sic ille.

Alleluia apponitur Graduali, quod molestiam & laborem huius vitæ indicat, ne impatientia gradientibus per viam virtutis subrepat & tędium ferendo Crucem: excitatur autem anima, ne succũbat, per Alleluia quod iubilationem & lætitiam vitæ æternæ continet: *Gaudete quia merces vestra copiosa est in cælis.*

Rupertus lib. 1. de Offic. diuinis cap. 34. *Alleluia canitur post Graduale quod quia constat versiculis ad pænitentiam pertinentibus* (sæpe) *ideo tempore Paschali omittitur, & eius loco Alleluia duplicatur, quia totum illud tempus remissionis & gaudij est, sicut è contrario à Septuagesima vsque ad Pascha hoc omittitur, ingeminantur verò quæ ad lamenta, luctum & pænitentiam spectant, videlicet Tractus.*

6. *Maximè frequentatur tempore Paschali.*

Adde Alleluia maximè frequentari tempore Paschali, quia æternæ vitæ gaudia acquisiuit nobis Christus sua Resurrectione, quod etiam repetitur, quo significatur duplex gloria animæ & corporis. Vide S. August. in Ps. 106. & 148. & in Soliloquijs c. 22.

Vltima Syllabâ *Ia* in illo secundum Hebræos signat Deum benignum, sicut *El* potentem; laudatur autem Deus in cælo maximè propter suam misericordiam: protrahitur etiam illud longo spiritu vt indicetur immensitas æternorum gaudiorum.

7. *Antiquitas eius, & significatio.*

Iubilatio Alleluia antiquissima est in officio diuino, vt omnes norunt, & origine Hebræa est significans *Laudate Deum*, vt sciunt periti illius linguæ; minus verò rectè aliqui id interpretantur, quos videre est apud Durandum lib. 4. cap. 20. Scortia lib. 3. cap. 22. §. 3. Gauantum par. 1. tit. 10.

Connotat verò hæc laudatio simul exultationem spiritus & animum gaudio dilatatum; vnde & à beatis spiritibus in cælo iugiter ingeminatur, vt liquet Apocalyps. 14. Frequentatur autem in Ecclesiâ maximè tempore Paschali & extra Septuagesimam vsque ad Pascha, diebus festiuis & Dominicis ob gaudium Christi Resurrectionis; vt dictum est.

Quamuis autem in linguam vel Græcam vel Latinam transfundi potuerit, nihilominus propter sanctiorem auctoritatem teste S. August. lib. 2. de Doctrina Christiana. Laus illa integra mansit. Dulcius enim in suo fonte, id est, Hebræo sapit, & ideo hoc factum dicit

dicit S. Hieronym. epist. ad Marcellam, quia prima Ecclesia coaluit ex Iudæis.

8. *Vsus eius in Ecclesia, etiam apud infantes.*

Antiquum illius in Ecclesia vsum multa ostendunt, quæ S. Hieron. & alij suggerunt.

Olim infantes lallantes vocem illam blæso ore submurmurabant, eodem attestante epist. 7. ad Lætam, Albini Pontificis Gentilis filiam, vbi loquens de Lætæ ipsius filiâ Paulâ iuniore, sic scribit: *Quis crederet, vt Albini Pontificis neptis de repromissione Martyris nasceretur, vt præsente & gaudente auo paruulæ adhuc linguæ balbutiens Christi Alleluia resonaret?* Et inferiùs: *Cùm auum viderit, in pectus illius transiliat, nolenti Alleluia decantet.*

9. *Item inter Moniales & rusticanos.*

Rursus in Monasterio S. Paulæ Moniales voce illa audita velut signo dato ad Collectam siue Synaxim vocabantur, vt idem significat epist. 27. & iterum Epist. 17. ad Marcellam loquens de Bethlehem & S. Paulæ Parthenone: *In Christi, ait, villulâ tota rusticitas, & extra Psalmos silentium est: quocumque te verteris, arator stiuam tenens, Alleluia decantat.*

10. *Frequens Romæ eius ritus.*

Quod autem ad vsum spectat Ecclesiæ, præsertim Romanæ, errant Sozomen. lib. 7. Histor. cap. 19. Nicephor. & alij dum scribunt in illa nonnisi semel in anno cani solitum istud melos, die nempe Resurrectionis, cùm constet adeò frequentem olim Romæ fuisse ritum eius canendi, vt teste S. Hieron. etiam in exequijs defunctorum personaret. Vide epist. eius 30.

Denique certum est ex varijs locis B. August. vbique à Paschate vsque ad Pentecosten cantari illud solitum, diebus verò Quadragesimæ ab eo fuisse cessatum.

Docet etiam S. Gregor. lib. 7. epist. 63. Ecclesiam Romanam sumpsisse morem illius dicendi extra tempus Paschale ab Ecclesia Hierosolymitana; qua de re Baronius an. 384.

De consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quâ Canticum illud tempore Septuagesimæ intermittitur, scribit Leo Nonus, & refertur Cap. *Hi duo* de Consecrat. distinct. 1. *Hi*, inquit, *duo solummodo hymni ab Angelis in nouo Testamento decantati inueniuntur: Alleluia, & Gloria in excelsis: quos pariter in Septuagesima intermittimus, quia peccato hominis veteris à comentu Angelicæ iubilationis expulsi, in huius miseræ vitæ Babylone super flumina eius sedemus, & flemus dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet Hymnus.* 11. *Intermittitur tempore Septuagesimæ.*

Licet ergo semper laus Dei debeat esse in ore nostro, quia tamen Hymnus ille supra communem Dei laudem insinuat iubilationem dictu non effabilem, exuberantiam lætitiæ & gaudium cœleste, vt patet Tobiæ 13. 22. & pluries Apocalyps. 19; hinc fit, vt ore nostro non semper personet. Vnde ait S. August. in Psal. 106. Canticum illud cani solemniter certo tempore secundum Ecclesiæ traditionem non sine Sacramento. Item certo tempore nos cantare Alleluia, sed omni die cogitare.

Mira referuntur de hoc hymno passim ab Historicis, sed pauca solùm recensebo. Scribit Sozomenus lib. 7. cap. 15. de Olympio quodam Philosopho Ethnico, quod exscribo. *His cùm concubio noctis subaudiuisset Alexandriæ in templo Serapidis quemdam Alleluia cantantem, & foribus clausis, & constante quiete neminem conspexisset, sed tantummodo vocem audisset eundem Psalmum modulantem, præsagium intellexit Serapidis templum in Ecclesiam Catholicorum conuertendum.* 12. *Miracula per Alleluia acciderunt.* 1.

S. Germanus Antisiodorensis cùm in Britannia esset anno 436. Christianos contra Paganorum exercitum adhortans & intonans Alleluia hostes vicit. Ita Sigibertus in Chronico. 2.

Franciscus Aluarez in Æthiopica legatione cap. 41. refert ad Torretanam ditionem, Cœnobium esse religiosorum vocatū Alleluia, hac de causa: Vi- 3.

xerat in vicinia Asceta quidam assiduè vacans ieiunijs, vigilijs & orationibus, qui sæpe audierat in cœlo a sanctis Angelis iterari & cani Alleluia admodum suaui melodiā; quod cùm ad Cœnobij Præfectum vel Abbatem retulisset, illi auctor fuit, vt Monasterium, quod tunc ædificabatur nomine Alleluia appellaretur.

Multa huiusmodi inueniet Lector, tum apud veteres Patres, Epiphanium, Hieronymum, Augustin. Gregorium, Bernardum, tum apud Recentiores Stephanum Durantum, & eos qui de Ritibus scripserunt, & in nostro opere de Horis Canon. lib. 1. cap. 30. §. 40. & sequentibus.

CAPVT IX.

Tractus, Sequentia siue Prosa.

1. *Quid Tractus.* TRactus dicitur quorundā versuum Threnodia ex Psalmis, quæ lugubri sono à Septuagesima vsque ad Pascha Dominicis, festisque diebus & quibusdam alijs decantatur, cuius auctorem quidam faciunt Gelasium, alij, vt & Gradualis, Cælestinum Pontificem.

2. *Significat gemitum Ecclesiæ militantis.* Dicitur autem à trahendo, vt notum est, eò quòd tractim & prolixiùs personet, significatque suspiria & gemitus hîc militantis Ecclesiæ: Ita Alcuinus, Hugo Victorinus & alij: *Tractus,* inquit Innocentius lib. 2. Mysteriorum Missæ cap. 32. *cum asperitate verborum, tum eorum prolixitate miseriam præsentis incolatus insinuat.* Stephan. Eduensis Episcopus de Sacramento Altaris cap. 12. *Tractus qui in quibusdam temporibus decantatur significat gemitus & suspiria pœnitentium in conualle lacrymarum: gemunt & suspirant, & gaudio supernorum ciuium congratulantur, vt ita irriguum Inferius sursum fluens irriguo superiori misceatur. Hoc gemitu suspirabat qui dicebat: Liquefacta est anima mea.* Ergo tractus etiam dicitur à gemitu, qui ex imo pectore trahitur.

Porrò non ita Tractus ingerit nobis huius vitæ ærumnas, vt non etiam repræsentet vitæ futuræ felicitatem, vt notum est percurrenti Tractus, qui in Missali leguntur.

Pulchrè S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 34. exponens verba libri Iosue cap. 15. *Dedit ei* (Axæ) *pater suus* (Caleb) *irriguum superius & irriguum inferius. Quia,* inquit, *duo sunt compunctionis genera: dedit ei pater suus irriguum superius & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima cùm sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit; irriguum verò inferius accipit cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur, sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit, vt prius irriguum superius, & post irriguum inferius commemorari debuisset.* Sic ille. 3. *Quid sit irriguum superius & inferius.*

Quibusdā festis solemnioribus vt Paschæ, Pentecostes, & V. Corporis Christi ante Euangelium præmittitur Oratio quædam Rhythmica, Sequentiam vocant, quia vt ait S. Bonauent. in Expositione Missæ, antiquum cantum sequitur, quibus verbis insinuat olim huiusmodi carmina non fuisse in vsu: quidam Prosam vocant, quia, vt aiunt lege metri caret: aliqui Iubilationem appellant. Ita ordo Romanus, vnde cantari solemniter debet. Hugo Victorin. lib. 2. de Eccles. Officijs cap. 19. Sequentiam dictam putat, quia per cantus amœnitatem ad Sequentia præparat, vel, vt quidam, quia in Missis festiuis sequitur Alleluia. 4. *Quid Sequentia.*

Auctore Amalario, *Sequentia illud tempus ad nostram mentem reuocat, quando non erit necessaria verborum locutio, sed ipsa cogitatione mens menti monstrabit quod retinet in se.*

CA-

CAPVT X.

Lectio sancti Euangelij.

1. *Quid significent orationes quæ Euangelium præcedunt.* SEquitur lectio sancti Euangelij, quam precatiunculæ quædam præcedunt, quibus animus Anagnostæ Sacerdotis & Diaconi præparetur ad dignè illud annuntiandum, suntque quasi Isagoge, ad fatus, fructusque eius excipiendos, quod tunc congruè fit, cùm cor mundum & labia munda sunt ab omni inquinamento carnis & spiritus.

Aptè etiam petit mundari calculo ignito, siue prunâ ardente, sicut Isaias cap. 6. v. 6. & 7. à Seraphim carbunculo vel pyropo mundatus fuit: nempe donari Spiritus Sancti gratiâ, accenso erga Deum amore & Seraphicâ caritate, quâ inflammatus fidem Euangelij ore libero profiteatur.

Similes sunt præambulæ illæ preces procemio Horarum Canonicarum, vbi ex Psalmo 50. precatur: *Domine labia mea aperies* (aperi) *& os meum annuntiabit laudem tuam*; hoc tamen est discrimen, quod in illis petit sibi aperiri labia, quæ per noctem signaculo silentij fuerant occlusa, vt ex ore ante omnia, diuinæ laudis præconia procedant: In Liturgia autem Sacerdos non postulat os sibi aperiri ad Deum laudandum; prius enim illum hymnis & Psalmis celebrauerat, sed potiùs cor mundari à puluere terrenarum cogitationum, quibus mens subinde etiam tempore orationis, & diuinæ laudationis sordescit.

Similem orationem habet in Liturgia sua S. Iacobus: *Domine Iesu Christe illo duplicis naturæ carbunculo, quo forcipe labia Isaiæ Prophetæ attigisti, & eius peccatum abstulisti, tange & nostros sensus, & nos purga ab omni macula*, &c. Vide etiam Liturgias S. Marci, Basilij, Chrysostomi.

Diaconus etiam in Missa solemni petit benedictionem Sacerdotis antequam canat Euangelium sequens Apostoli consilium. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Dicit autem, *Iube Domne*, non, *Domine*, quia hoc Dei est, illud hominis præclari, vt probat Baronius an. 416. ex Euodio lib. de Miraculis S. Stephan. Seruabatur hoc etiam tempore S. Hieronymi.

Ceterùm Sanctum Euangelium publicè sub sacrificium decantari Apostolorum successores instituerunt, vt notissimum est. 2. *Antiqua consuetudo Euangelium in Missa decantandi.*

Concilium Valentinum in Hispania Can. 1. sic præcipit: *Antiquos Canones relegentes inter cetera hoc esse censuimus obseruandum vt sacrosancta Euangelia ante munerum oblationem in Missa Catechumenorum in ordine Lectionum post Apostolum legantur, vt verba Christi & Sacerdotis sermones omnes audire possint.* Vide Liturgiam S. Marci, & Clement. lib. 2. Constitut. & alios.

Ex illo Canone quædam ad rem nostram pertinentia licet colligere, scilicet de tempore & ordine, quo in Missa Euangelium legi vel cantari consueuerit: deinde olim morem fuisse lecto Euangelio prædicandi, &c. Idem constat ex antiquis Patribus Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & alijs.

Sacerdos vel Diaconus Euangelium canens sciat se similem esse debere gallo gallinaceo, de quo S. Ambros. in Psal. 118. Is enim non priùs alios excitat, quàm seipsum vigilem reddiderit, & puluerem discusserit: ita qui alios docere parat, seipsum priùs ita efformet, vt opera verbis consentiant. 3. *Canens Euangelium imitari debet gallum gallinaceum.*

Aiunt Ægyptios Sapientem indicare volentes, manum ori admotam effinxisse, quo symbolo ostendebant eum opere executum quæ dixisset. Sed hoc aliàs.

Euangelium semper legere vel cantare

4. *Euangeliū legitur accenso cereo ob multas rationes.*

tare accensis cereis consuetudo antiquissima est, vt scribens contra Vigilantium ostendit S. Hieronym. *Per totas*, ait, *orientis Ecclesias quando legendum est Euangelium accenduntur luminaria iam Sole rutilante, nō vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vnde & virgines illæ Euangelicæ semper habent accensas lampades suas*: Et paulò pòst. *Vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de quâ in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.*

Multæ rationes se offerunt, quibus monemur lumen ad eius denuntiationem præferre, & accensis facibus honorare.

1. Prima; quia lux mundi Christus per Euangelium maximè terris illuxit, & totum orbem illuminauit. Ideo Pharus meritò illud nuncupari potest, vel potiùs quidam Sol spiritualis. Duplices autem Euangelij splendore dispelluntur tenebræ; ignorantiæ, siue infidelitatis, & peccatorum.

2. Altera est, in lætitiæ signum, cuius symbolum est lux: Psalmo 96. 11. *Lux orta est iusto, rectis corde lætitia.* Cum autem Euangelium bonum nuntium mundo attulerit, vt nomen ipsum indicat, occasio noui gaudij suggeritur. Vide plura apud Durand. lib. 4. cap. 24. & Baptist. Scortia lib. 3. cap. 23.

5. *Diaconus Euangeliū cantaturus Ambonem ascendebat.*

Diaconus Euangeliū cantaturus solebat in locum altiorem ascendere siue suggestum. Vocabatur hic olim Ambo, quam vocem deriuant aliqui ab ambiendo, quod intrantem ambiat & cingat, vel quod locus ille gradibus ambiatur. Ita Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 6. & Guiliel. Durandus in Rationali. Verùm dicendum est vocem illam Græcis deberi.

6. *Quid Ambo.*

Siquidem ἄμβων illis locum editum significat, ascensum, suggestum. Bellārm. suprà deducit ab ἀμβαίνω vel ἀναβαίνω, id est, ascendo, & pulpitum vocat ἀναλόγιον, alij vt Stephan. Eduens. de Sacramento Altaris cap. 12. *Aliquando*, inquit, *sicuti festis diebus pronuntiatur in Analogio, quia iubetur ascendere, qui euangelizat Sion, & sancti in valle lacrymarum ascensiones in corde suo disposuerunt, quibus gloriam in cælis, sui memoriam in terris meruerunt, ideoq; in alto & in publico exclamanda est eorum victoria, vt magis alacres efficiantur in pugna.* Ritus illud legendi loco editiore admodum vetus est, vt constant ex S. Cypriano, lib. 2. epist. 5. & lib. 4. epist. item 5. vbi locum illum vnde legitur, pulpitum & Ecclesiæ tribunal vocat.

7. *Rationes cur Euangelium è loco edito enuntietur.*

Nec desunt causæ cur ibidem annuntietur, quarum septem adfert Stephan. Durant. supra cap 23. num. 11. Duæ probabiliores mihi placent.

Prima. Prima, quia Euangelium palam & clarè, vt ab omnibus audiatur, enuntiandum, vt ait Dominus Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta.* Ita Innocent. 3. & Alex. Alensis.

Altera. Altera; Altissimus locus ex quo Euangelium legitur eminentissimam eius doctrinam nobis indicat. Ita Amalarius lib. 3. cap. 18. Eius enim auctor est æterna Sapientia, cuius doctrina recta & irreprehensibilis in præceptis, sublimis in promissis.

8. *Cur dicitur versus Aquilonem.*

Rursus Euangelium dicturus faciem ad Aquilonem obuertit. Eius ritus etiam duplex ratio profertur à scriptoribus Ritualibus.

1. Prima, vt ostendat Verbum Dei & annuntiationem Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper ei contrarius exstitit. Sicut enim per Austrum qui ventus est calidus, & leniter flat, Spiritus sanctus designatur, qui corda quæ tangit, diuino amore inflammat; ita per Aquilonem, qui durus & frigidus est, diabolus intelligitur, qui eos quos possider, vacuos amore caritatis, torpentes, & frigidos reddit. Quod autem per Aquilonem diabolus demonstretur,

ostendi-

ostendit Isaias cap. 14. Ita Alcuin. de diuin. officijs cap. de celebratione Missæ, cui consentiunt Innocent. 3. lib. 2. Myster. Missæ c. 43. & Albert. Magnus lib. de Missa.

2. Alteram addunt Stephan. Eduensis suprà cap. 12. & alij. Versus Aquilonem legitur Euangelium vt sequaces illius, qui voluit sedem suam ponere in Aquilone, Euangelica prædicatione ab infidelitate conuertantur.

9. *A quibusdam dum recitatur Euangelium enses stringuntur.* Olim, vt aiunt, equites Melitenses ad Euangelij lectionem enses stringebant, vt ostenderent se paratos ad defensionem verbi Dei, & fidem protestarentur dictis & factis.

Simile quippiam refert Martinus Cromerus lib. 3. de rebus Poloniæ ad annum 999. quod hîc scribo. Sub Miesciſſa Polonorum Principe, qui regnauit 35. ferè annis & honorificè Posnaniæ sepultus est anno à Christo nato 999. inoleuit mos apud Polonos, vt homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare stat, vnde recitaturus sit Euangelium, gladios medio tenus stringerent, quasi profitentes Euangelij, & religionis defensionem; choro autem respondente, *Gloria tibi Domine*, rursus reconderent; diuque hic mos mansit in Polonia. Hactenus ille.

Multis etiam locis Diacono Ambonem ascensuro Crux cum vexillis præferri solet, vt ostendatur Christus victoriam obtinuisse contra hostes suos verbo Euangelij, & à ligno regnare.

10. *Olim ad lectionem Euangelij baculos deponebant, & quare.* Contrà verò olim ad Euangelij lectionem baculos vel arma deponebant, vt plures testantur auctores. Hildebertus Cenomensis postea Turonensis Archiepiscopus qui ritus Missæ versibus descripsit, & habetur in Bibliotheca Patrum tomo 12. parte 1. vbi sic canit:

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur,
Plebs baculos ponit, stat, retegitq; caput.

Sed de baculis vel armis deponendis audiendus Amalarius Fortunatus lib. 3. cap. 18. *Vsque, ait, ad istud officium* (Euangelium) *bacculis sustentabamur; modò vt oportet seruos ante Dominum stare, humiliter stamus, deponentes baculos è manibus; quod potest nos separare ab opere Iudæorum, qui dabant arundinem in manum Christi: sed nostra humilitas per baculorum positionem demonstretur in conspectu Domini.* Hactenus ille; ita & alij.

Ratio huius moris in promptu est. Profitemur enim nos perfectionis Euangelicæ esse sectatores, quæ docet vindictam non sumere, sed Deo illam seruare.

Præterea, sacerdos vel Diaconus lectionis Euangelicæ initio Cruce se signat, primum in fronte, vt eliminatâ omni verecundiâ, cuius sedes in fronte est, non erubescat de Euangelio Christi. Ita Amalar. suprà & Micrologus. 11. *Signat se Cruce Euangelium dicens, & quare.* Signat se etiam in ore, vt liberè Iesum Christum & hunc crucifixum cum Apostolo profiteatur. Innocent. Alensis. Signat se quoque in pectore, ne suggestio diaboli eum impediat quin puro corde Euangelium annuntiare valeat. Micrologus & Radulphus Tungrensis. Vide S. Bonauent. in Expositione Missæ.

Minister etiam audito Euangelij nomine signum sibi Crucis imprimit, & & dicit: *Gloria tibi Domine*: & lecto Euangelio, *Laus tibi Christe*, glorificans Deum nomine totius Ecclesiæ, quod ei Verbum salutis & redemptio data sit per Christum, simulque petens, vt cor mundum omnes habeant ad sementem Euangelij excipiendam, vt non petrosum, spinis oblitum, insidijs diaboli secus viam expositum. Ita & Amalarius suprà. Ita & cecinit Hildebertus suprà.

Neue superueniens zizania semine: hostis
Frontibus imprimitur mystica forma Crucis.

12. *Antiquo ritu omnes stant dum Euangelium legitur.* Obseruatione verò dignũ est antiqui & recepti moris semper fuisse, vt Euangelium legentes & audientes starent, attentè & reuerenter illud audirent. Sic decreuit Anastasius Papa Epistolà 1. circa annum 404. *Dum sancta Euangelia recitantur in Ecclesia sacerdotes & ceteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curui in conspectu sancti Euangelij stantes Dominica verba attentè audiant, & fideliter adorent*: & habetur Can. *Apostolica* de Consecrat. d. 1. Ita & S. Clem. lib. 2. Constit. c. 61.

13. *Libro Euangelij imprimitur osculum.* Rursus ex more prisco lecto Euangelio Sacerdos librum osculatur ex S. Dionysio, Epiphanio & alijs, in signum reuerentiæ & cultus interni erga Christum, & affectum erga eum, cùm ipse sit pax nostra, & per ipsum Deo reconciliati simus.

14. *Adhibetur thurificatio ad Euangelium.* Postremò, in Missa solemni sæpius adhibetur Thymiasis siue thurificatio, & meritò; multi enim periti Grammatici deducunt thus à Græco θύω id est, sacrifico, licet alij deriuent à tundo, quasi tus, eò quod tundatur & comminuatur vt fiat odoratius igni impositum.

15. *Ex more Hebræorum profluxit.* Vtitur eâ Sacerdos & Diaconus & thuriferarius ex præcepto & consuetudine Ecclesiæ. Sumpsit autem hunc ritum Ecclesia nostra ab Hebræis, de quo Exodi 25. 30. 40. Leuit. 10. Num. 16 & alibi, vt quæ fuerunt consuetudinis Iudaicæ fierent obseruantiæ Christianæ, vt S. Leo serm. 7. de ieiunio 7. mensis.

Fuit etiam vsitatus gentilibus in suis profanis sacris, vt Patet ex Virgilio Ecloga 8. Tibullo lib. 2. eleg. 2. Plinio, Macrobio, vt omnibus notum est.

16. *Est ritus vetus.* Est hæc cæremonia venerandæ antiquitatis, vt videre est apud S. Dionysium Ecclesiast. Hierarch. c. 3. Meminit illius S. Iacobus, & Marcus in Liturgijs. Vnde errat Platina, qui auctorem huius facit Leonem tertium.

Specialiter ad Euangelij cantum illius vsus est ad significandam gloriosam Dei maiestatem, Euangelij verbis descriptam (Deus enim apparere solebat in nebula in lege antiqua) & ostendendum bonum illius odorem & eorum qui illud nuntiant. Ita Bellar. lib. 2. de Missa c. 15. 17. *Quid significet tam moraliter quàm Allegoricè.*

Generatim autem vtitur Thymiasi Ecclesia ex D. Thoma quæst. 83. art. 5. ad 2. duabus de causis: primò, causâ reuerentiæ erga tantum sacrificium, vt thuris odore depellatur omnis fœtor, siquis in loco fuerit, & offendere nares posset: secundò ad repræsentandum effectum gratiæ, cuius odore Christus plenus fuit, & ab eo in fideles deriuatur.

Auctore S. Germano in Theoria repræsentat Magorum thus & Myrrham: itemque aromata, quibus Christus in sepulchro conditus.

Rursus per suauem thuris vaporationem monetur & sacerdos (& astantes) ad cœlestia cordis votis ascendere, & igne caritatis animum accendere, vt suaue fragrans thuribulum fiat, vnde feruentes orationes ad Deum emittat, quasi fumum aromatum coram sponso exhalet, & proximos quosque ad eius amorem per bona exempla permoueat. Ita Philo Carpathius in illud Cantici 3. *Ex aromatibus myrrhæ & thuris.*

Præterea suffitus notat orationem sacerdotis & plebis in Deum directam, iuxta illud Psalmi 140. *Dirigatur oratio mea*, &c. Item Apocalyps. 8. v. 3. & 4. *Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei*; & quę sequuntur.

Thuribilum aureum, vt ait S. August. Serm. 95. de Tempore, est Corpus Christi, vel eius humanitas caritate flagrans. 18. *Thuribulum significat Christum.*

Addit

Addit Haymo in Apocalyps.8. significare Corpus Christi, quod in passione multis plagis quasi fenestris & cancellis instar thuribuli,foratum & apertum fuit:& quia per Christi passionem nobis caritas & spiritus orationis datur; hinc congruè in thuribulo ignis & incensa ponuntur. Sic ille. Quilibet ergo studeat per Christum & passionem eius Deo suas offerre Orationes, quo sint gratiores. Vide plura apud Stephan. Durantum lib. 1. de Ritibus cap. 9.

19. *An peccet Diaconus Euangelium canens in peccato mortali.* Dubium est inter Doctores, an Diaconus in peccato mortali existens, si ex officio canat Epistolam vel Euangelium peccet mortaliter. Vtraque pars probabilis est, sed negans videtur mihi probabilior, cum Suaresio 3 parte quæst. 65. art. 4. Addit Gauantus in Thesauro rituum parte secunda tit. 6. non esse improbabile Subdiaconum sine manipulo ministrantem (vt fieri interdum solet in superpellicio) cum non ministret ex officio, non peccare, si in peccato vel censura ministrat, neque fieri irregularem.

Postulat hic locus vt diffusiùs sancti Euangelij præconia explicemus.

20. *Honor multiplex exhibitus Euangelio à viris sanctis.* Primum igitur, scitum est sanctos omnes virosque magnos omnis ætatis pluribus honoris argumentis, apices, paginas, codices Euangelij coluisse, siue legerent, siue audirent, siue tangerent, vt testantur omnium seculorum Annales.

Origenes certè homil. 17. in Exodum videtur sentire non minore diligentiâ audienda verba diuina, quàm adhibeatur in cauendo nequid de sacrâ Eucharistiâ per negligentiam in terram decidat.

Olim audiebant vel legebant stantes, vel in genua prouoluti, capite detecto, religiosa oscula figebant, non nisi manibus lotis illa tangebant, è collo suspensa ea ferebant, vt sacra amuleta & malorum apotropæa, tanta veneratione librum Euangelij prosequebantur, vt scriniolis auro & Margaritis Fulgentibus includerent, lapillis & vnionibus collucentibus exornarent, vt modò etiam cernere est in quibusdam Ecclesijs.

S. Chrysost. homil. 7. ad Populum testatur morem hunc fuisse suâ ætate Christanorum, vt nullus Euangelio manus admoueret nisi ante lotas.

Scribit Nicephorus lib. 14. cap. 3. Theodosium Iuniorem Imperatorem Euangelia litteris aureis exquisitè elaboratis descripsisse & quotidie noctè lectitasse. Tanta ea honore amplectebatur. *à Theodosio.*

Magnus Constantinus Euangeliorum codicem, auro gemmisque splendidum dono misit S. Nicolao Myrensi Antistiti, vt habent eius Sancti Acta. *Constantino.*

S. Ioannes à taguriolo suo dictus Calybites, vt continent eius gesta apud Surium Ianuar. 15. à parentibus accepit Euangelij volumen, auro gemmisque inclusum, ex quo vitam Christi didicit. *Calybita.*

Pro vetere more, Euangelium tamquam pretiosum monile ante pectus circumferendi, consulendus Cæsar Baronius anno Christi 232. & 604.

S. Barnabas gentium Apostolus, memoranti Nicephoro lib. 16. cap. 37. non modò vt auream bullam S. Matthæi Euangelium è collo suspensum gestabat infidelibus prædicaturus, idque sua manu descriptum; sed etiam cum eodem tumulari voluit tamquam religionis Christianæ honorifico Epigrammate & sacrâ tesserâ, idque in Cypro, vbi martyrium subijt in eius pectore repertum Zenone imperante. *S. Barnaba.*

S. Bartholomæus teste Eusebio lib. 5. Histor. cap. 10. eiusdem S. Matthæi Euangelium Hebraicè scriptum *S. Bartholomæo.*

secum ad Indos detulit, ibique reliquit ac post centum & amplius annos Pantenus illud ibidem repertum Alexandriam transtulit.

S. Epiphanio. S. Epiphanius, vt refertur in eius vitâ, etiam medijs in fluctibus inter nauigandum & ferebat, & sine intermissione Euangelium legebat: dein cùm in naui efflaturus esset spiritum, idem pectori suo tamquam gemmeum aliquod cemelium imposuit, vsus eo tamquam viatico, quo munitus iter ad cœlum ingrederetur.

S. Cæcilia. De Romanarum Virginum choragâ & tympanistriâ Cæcilia cantat Ecclesia. *Virgo gloriosa semper Euangelium Christi gerebat in pectore suo.*

21. *A Concilijs Oecumenicis.* Notum est Concilia Oecumenica, Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum Euangeliorum librum medio consessu in cathedrâ collocasse, vt ad illum, quasi ad Christum, recursum haberent summum Legislatorem & Iudicem, ad illum se conuerterent, ac si ipse eis diceret: *Iustum iudicium iudicate*, ait S. Cyril. in Apolog. Vide Baron. Anno 325. & 451.

22. *Mira in Euangelio vis ad conuertendas animas, Vt Chrysanthum.* Alterum: miranda semper vis fuit in Euangelij auditione vel lectione tamquam in gemmâ magneticâ ad mentes hominum in fidem, virtutem, honestatem rapiendas. Exempla pauca suggero.

S. Chrysanthus, vt auctor est Metaphrastes apud Surium 25. Octobris in eius actis, cùm per diuersa eruditorum virorum scripta magno studio ferretur, in Euangeliorum oracula fortè incidit, quibus diligenter peruolutis, & à S. Carpophoro explicatis, à Gentilismo ad Christianismum transijt, & ad eumdem Dariam coniugem suam conuertit ac innumeros ille viros, hæc mulieres ad Orthodoxiam & castitatem pertraxerunt, ac deinde vrbem suo ac suorum sanguine purpurarunt, Numeriano Imperatore anno 284.

S. Paulinum. Scribit S. Gregor. Turonicus lib. de gloria Confessor. cap. 107. S. Paulinum Episcopum Nolanum cùm illa Euangelij percepisset; *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Et: *facilius est camelum, per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum Dei*, statim omnia vendidisse & pauperibus erogasse.

S. Antonium. Ante ipsum idem præstiterat S. Antonius, de quo in vita eius B. Athanas. cap. 2. *Ingressus Ecclesiam & audiens eadem verba dicta à Domino ad diuitem* Matt. 19. *veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium, statimque regressus, possessiones quas habebat, vendidit.*

Idem cap. 6. sic habet de eodem: *Rursus Ecclesiam ingressus cùm audisset Dominum in Euangelio dicentem:* Matth. 6. *Nolite cogitare de crastino, reliquam quoque portionem pauperibus distribuit.*

Babylam. Babylas Mimus audiens in Ecclesia legi versum hunc ex Euangelio Mat. 4. *Pœnitentiam agite appropinquat enim regnum cælorum*; à luxuriosa vita ad continentem transijt. Ita Pratum spirituale cap. 32.

Bisarionem. Palladius in Lausiaca cap. 116. narrat Bisarionem Abbatem semper Euangelium sub axillis gestasse, vt ex eo quid foret agendum, & qua ratione Euangelicè viuendum disceret: Quare cùm in nudum incidisset, se vestibus spoliasse, vt illum vestiret, cumque rogaretur: quis te nudauit protendisse Euangelium: *Hoc*, inquit, *me exuit*. Vide & sequentia.

S. Franciscum. S. Franciscus, *cùm ex Euangelio hæc verba in templo recitari audisset* Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, eam sibi regulam velut Dei monitu seruandam proposuit, & reipsa præstitit.* Ita S. Bonauentura in vita eius cap. 3.

23. *Euangelium Deus* Tertium: Euangelij excellentia & dignitas, vel in eo maximè elucet, quòd Deus

miraculis illustrat. Deus illud plurimis illustrarit prodigijs & miraculis. Accipe pauca.

24. *Vt incendij extinctione.* Auctor est Gregorius Turonens. de vitis Patrum cap. 6. quòd, cùm ciuitas Aruerna graui incendio conflagraret, S. Gallus Ecclesiam ingressus diutissimè ante sanctum altare Deum sit precatus, surgensque apprehenso Euangeliorum codice, eoque aperto obuium se tulerit incendio, subitoque ita extinctum sit, vt ne fauillæ quidem remanerent.

S. Bonifacius Germanorum Apostolus anno 750. Religionem Christi cum socijs promulgans iugiter Euangeliorum librum secum deferebat, adeo vt eum nec in martyrio quidem dimiserit, quin etiam cùm in eius caput Frisones ensem vibrarent, librum hunc velut

25. *Euangelium ense non diuiditur.* cœleste scutum obiecit, & insigni prodigio licet ense per medium sectus fuerit, nulla tamen littera ea diuisione oblitterata sit. Ita Surius Iunij 5. sub finem vitæ eiusdem.

26. *Incendium sedatur eo opposito.* Leone primo Imperatore, sæuissimum Constantinopoli contigit incendium. Quo tempore cum ignis velut Tartaro emissus omnia consumeret, nec vlla humana ope coërceri posset, vir sanctitate præstans Marcianus, qui Anastasiæ templum seruatum cupiebat sacrosanctum Euangelium manu capit, tectum ascendit, codicem igni opponit vt sanctum aliquod Palladium & Tropæum. Res mira! flamma longè lateque diffusa cùm ad eum venisset locum, in sublime se extulit, & ad alia transuolauit, templum intactum relinquens, vbi vir sanctus Euangelij clypeo armatus consederat. Bar. tomo 6. anno Christi 465. Surius Ianuarij 10. in vita Marciani. Referunt Ioan. Curopalates in Basilio Macedone, & Zonaras tomo 3. Annal. apud Baron. tomo 10. anno 886. sub initium, Russos siue Ruthenos barbaros & infideles hoc potissimùm miraculo ad veram fidem perductos. Postularunt illi ab Archiepiscopo, quem Basilius Imperator ad eos miserat, vt volumen diuini Euangelij quod manu preferebat, in ignem accensum inijceret; quod si inuiolatum seruaretur, ad fidem, quam annuntiabat, suscipiendam se paratos spondebant. Archiepiscopus conditione acceptâ, inuocatoque suppliciter Numine, permisit Venerabile Euangelij pignus in fornacem accensam conijci. Extin- 27.
Igne non læditur. cto verò igne sacrum volumen inuentum est penitus illæsum & inuiolatum: quo prodigio permoti barbari ad fidem & salutaris Baptismi lauacrum confugerunt. Hæc pauca ex multis. Finem facio, sancti Euangelij dignitatem S. Augustini attexens verbis lib. 1. de Consensu Euangelist. cap. 1. *Inter omnes*, ait, *diuinas auctoritates, quæ sacris litteris continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim Lex & Propheta futurum prænuntiarunt, hoc redditum & completum in Euangelio demonstratur.* 28. *Euangelij dignitas.*

CAPVT XI.

Symbolum fidei.

EVangelij lectionem aliquando excipit Symbolum, singulis nempe Dominicis & festis maioribus Christi, B. Virginis, Apostolorum, & aliorum quorumdam, prout Rubricæ Missalis præscribunt.

Et meritò quidem; quia fides ex auditu habetur Euangelij, & quia per hoc *corde creditur ad iustitiam*, per Symbolum autem *ore confessio fit ad salutem*. Ita Berno Augiensis, Walafridus Strabo, Eduensis, alij: Ceterùm notum est in Ecclesia varia seruari Symbola: Primum & vulgatissimum est Apostolorum ab ipsis compositum & Ecclesiæ traditum, verisimiliter singulis singulos 1. *Symbolum quare Euangelium sequatur.* 2. *Symbola quatuor.*

singulos articulos proferentibus, ex S. August. sermone 115. Alterum Nicænum, quod distinctiùs explicat Christi diuinitatem & cum Deo Patre Consubstantialitatem, de quo videndus Isidorus lib. 1. de officijs cap. 16. Tertium est Constantinopolitanum editum in prima Synodo Constantinop. vbi diffusiùs exponitur diuinitas Spiritus Sancti, quod iam in Liturgia pronuntiatur addita particula, *filioque*, contra errorem Græcorum. Quartum est Symbolum S. Athanasij commendatum à Patribus Nazianzeno, August. alijs. Initio Ecclesiæ pronuntiabatur in Missa Symbolum Apostolorum, vt ex S. Dionysio colligitur cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. S. verò Marcus Siluestri successor statuit post Euangelium dici Symbolum Nicenum: postea S. Damasus in solemnibus diebus ad Missam cantari instituit Constantinopolitanum, vt Radulph. Tungrensis de Canonum obseruantia Propositione 23. vbi simul tradit quibus diebus illud dici vel cantari debeat, quibus non; quam rem etiam bene elucidat Illustriss. Vander Burch in sua Missæ elucidatione, & alij, inter quos fusè Gauant. par. 1. tit. 11.

3. *Quod Symbolum in Missa dicatur.*

His tamen prædictis repugnare videtur, quod scribit Berno Abbas Augiensis, qui vixit circa annum Domini 1014. tempore Benedicti 8. Papæ & Henrici primi Imperatoris. Hic in libro de rebus ad Missam spectantibus cap. 2. dicit Romanam Ecclesiam vsque ad sua tempora in Missa Symbolum non cecinisse, quod obseruauit Bellarmin. libro de Scriptor. Ecclesiast. in Bernon. & docet, hoc primum tempore in Ecclesia Romana cœpisse cani Symbolum fidei.

4. *Ante tempora Benedicti 8.*

Verba Bernonis notanda hæc sunt. *Romani vsque ad hæc tempora diuinæ memoria Henrici Imperatoris Symbolum post Euangelium non cecinerunt, Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram aßistente, audiui eos huiusmodi responsum reddere, videlicet, quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fæce infecta, sed secundum Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa, & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non ante destitit, quàm omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit vt ad publicam Missam illud decantarent.* Ita ille.

non canebatur Romæ Symbolum & quare.

Porrò consuetudo Symbolum Constantinopolitanum canendi in Missa apud Orientales & Græcos antiquior est quàm apud Occidentales: habetur enim in Liturgia S. Chrysostomi, & colligitur ex Concil. 3. Toletano Can. 2. vbi sancitur, vt iuxta Morem Orientalis Ecclesiæ Symbolum dicatur ad Missam Dominicis diebus in omnibus Ecclesijs Hispaniæ.

5. *Dicebatur tamen in Græcia & alibi.*

Walafridus Strabo, qui claruit tempore Ludouici Pij Imperatoris, & dicitur obijsse anno Domini 849. scripsit librum de rebus Ecclesiast. Sic autem loquitur de recitatione Symboli capite 22. *Notandum Græcos Symbolum quod nos ad imitationem eorum intra Missas assumimus, in cantilenæ dulcedinem transtulisse* (loquitur de Constantinopolitano) *Ab ipsis ergo ad Romanos ille vsus creditur peruenisse. Sed apud Gallos & Germanos post deiectionem Felicis hæretici sub Carolo Francorum Rege damnati idem Symbolum latiùs & crebriùs in Missarum cœpit officijs iterari.* Hactenus ille.

Videndus Baronius tum Annali 9. anno Christi 809. Leonis 3. anno 14. Caroli Magni 9. tum Annali 11. anno Christi 1014. Benedicti 8. an. 3. Henrici Imperatoris an. 1. vbi primo loco fusè agit de Symbolo, posteriore verò ostendit Symbolum non fuisse cantatum Romæ in Missa per annos mille vsque ad annum 1014. quo tempore

Henri-

Henricus coronatus est Imperator, cum coniuge Chunegunde à Benedicto. Dicit ibidem apud eumdem anno 809. Leo III. illo tempore quo Romanæ Ecclesiæ præsidebat Symbolum ibi non cantari.

Vnde dicendum est auctores illos, qui scribunt vel à S. Marco Papa, vel S. Damaso cani institutum Symbolum, commodè explicandos, vel aliquando intermissum fuisse illius cantum ob rationem quam suprà attulit Berno.

6. *Encomia Symboli.* Multa Encomia Symboli passim à Patribus recensentur. Sufficiet vnum & alterum insinuasse.

S. Ambrosius Sermone 38. sic loquitur: *Clauem quamdam ipsum Symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat: aperiuntur conscientiæ clausæ peccato, vt iustitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clauis ostendenda est Fratribus nostris, vt & ipsi tamquam discipuli Petri inferna sibi reserare, cælos aperire consuescant.*

S. Augustin. lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos c. 3. *Sacramentum Symboli quod accepistis, memoriaque mandatum pro vestra salute retinetis, noueritis hoc esse fidei Catholicæ fundamentum, super quod ædificium Ecclesiæ constructum manibus Apostolorum & Prophetarum.*

Breuiter Symbolum est tessera hominis Christiani, breuis regula fidei, eiusque professio, vexillum Christi, scutum militis Catholici, per quod diabolo resistimus, & ignea eius tela extinguimus.

Expositionem Symboli habet Ruffinus apud Cyprianum, & Symboli, quod in Missa recitatur, D. Franciscus vander Burch in Missæ elucidatione succinctè & eruditè.

7. *Prædicatio post Euangelium.* Post Euangelium vel Symbolū pronuntiatum olim Dominicis diebus, festisque solennioribus sequebatur diuini verbi prædicatio, cui etiam aderant Catechumeni; quā finitā mittebantur, à qua Missione Missa nomen inuenit; dicente Diacono: *Siquis Catechumenus est procedat foras*, vel, *Ite, Missa est*, teste S. Dionys. cap. 3. de Ecclesiast. Hierarchiā, & alijs.

CAPVT XII.

Offertorium.

POst Symbolum vel Euangelium decantatum dicitur Offertorium, quod & Offerenda ab alijs vocatur. Constat autem ordinariè quibusdam sententijs ex scriptura desumptis pertinentibus ad Dei, vel Sanctorum, quorum memoria illo die agitur, honorem.

Dictum est Offertorium ab offerendo: vel quòd sacerdos tunc offerat & dedicet in altari panem & vinum, tamquam materiam mox mutandam in Corpus & Sanguinem Christi: vel potiùs, quòd sub illius cantum populus voluntariè Ministris Ecclesiæ sua dona offerret, hoc facto ostendens se cooperari sacrificio: nisi malis dicere cum Stephano Eduensi. de Sacram. Altar. cap. 12. sic appellari ratione vtriusque oblationis. 1. *Offertorij notio.*

Est autem ritus ille antiquissimus ab initio Ecclesiæ, vt populus donum aliquod sacerdoti offerat. Obseruat porrò Baron. tomo Annal. 1. anno Christi 57. populum panem & vinum in Ecclesiā obtulisse, sed non ad altare; id enim muneris erat Diaconorum. De his S. Augustin. Sermone 215. de Tempore. *Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus si de alienā oblatione communicauerit.* Quæ autem à populo offerebantur oblationes non continuò ab offerente in Ecclesiam inferebantur, sed foris in loco huic ministerio adscripto ponebantur, 2. *Populus olim offerebat Sacerdoti aliquod donum.*

vt disquiri antea posset, an illæ dignæ essent, quæ Domino offerrentur: non enim omnium recipiebantur oblationes, sed eius tantùm qui primum esset Catholicæ communionis, & vitæ integritate polleret.

3. *Ponebantur Oblationes primò in Gazophylacio.* Locum ipsum in quem oblationes inferrentur, vt inde postea ad altare exportarentur, Gazophylacium, ac etiam Secretarium Possidius nominat in vita S. Augustini cap. 24. His igitur per Diaconum Sacerdoti Deo offerendis ad altare portatis, præmissis precibus, alijsque ritibus, qui in antiquis Liturgijs descripti habentur, Sacerdos sacrificium conficit. Hæc Baron.

4. *Quo fine dicitur Offertorium, & vnde profluxit.* Vulgo Carmen Offertorium quidam tribuunt Gregorio, alij Cælestino, alij denique Adriano Pontificibus. Quidquid sit, vsus ille versus aliquos cantandi dum oblationes fiunt, vetustissimus est: pertinet verò ad illum finem vt fideles excitentur ad hilariter Deo sua munera offerendum. S. Isidorus lib. 1. de Ecclesiast. officijs cap. 14. hunc canendi ritum deducit à lege veteri. *Ecclesiasticus*, ait, *liber, indicium est veteres cantare solitos, quando victima immolabantur. Sic enim hab. s cap. 50. Porrexit, inquit, sacerdos manum suam in libationem & libauit de sanguine vua, & fudit in fundamẽtum altaris odorem diuinum Excelso Principi. Tunc exclamarunt Filij Aaron in tubis ductilibus & sonuerunt, auditã fecerunt vocem magnã in memoriã coram Domino. Non aliter nunc in sono tuba, id est vocis, prædicatione cantus accendimur, simulque corde & opere laudes Domino declamantes iubilamus, in illo scilicet vero sacrificio, cuius sanguine saluatus est mundus.* Hæc Isidorus.

Habes huiusmodi 2. Paralip. 29. v. 26. *Omni autem turba adorante, cantores, & ij qui tenebant tubas erant in officio suo donec compleretur holocaustum.* S. verò Augustin. lib. 20. de Ciuit. Dei dicit illa tulisse similitudinem eorum quæ facit Ecclesia. Gabriel in Canonem Lect. 16. hæc addit: *Canitur Offertorium solenniter dum sacerdos populi munera suscipit, ad significandum quòd quæ Deo offeruntur, cum mentis iubilo offerri debent, quia hilarem datorem diligit Deus, & oblatio nostra spontanea esse debet non coacta, secundum illud* Exodi 25. 2. *Primitias ab omni homine qui offert vltroneus, accipietis eas*, & Ecclesiastici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas: vnde & Dauid* 1. Paralip. 29. 17. *Scio Domine Deus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc; & populum tuum qui hîc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: Domine Deus Abraham & Isaac, & Israel Patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Hactenus Gabriel. Ecclesia autem ipso Templi Dedicationis die ad Offertorium hæc ferè omnia Dauidis verba canit.

Porrò pluribus in locis adhuc obtinet consuetudo vt Dominicis, festisque maximè celebrioribus tempore sacrificij populus ad altare stipem aliquam offerat, & in exequijs defunctorum Sacerdoti libum candidum & vinum certã mensurã donet, secutus consilium Tobiæ Senioris cap. 4. 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue:* Ex quibus nempe epulum & refectio pauperibus paretur, vt pro spiritibus vitã functorum preces offerant. 5. *Adhuc perennat consuetudo offerendi in quibusdam locis.*

De oblationibus ad altare præsentandis sic statuit Greg. 7. de Consecr. dist. 1. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Domino offerre, & ad memoriam reducere quod Dominus per Moysem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. In Collectis Sanctorum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid ex vsu Sanctorum Patrum debent.* Hæc ibi.

Ostendit autem suprà Gabriel & fusè probat offerre aliquid de exteriore substantia in Missæ officio esse opus

opus meritorium, Deo gratum, & fructuosum. Sacerdos priusquam Offertorij carmen recitet, populum consueta formulâ salutat, *Dominus vobiscum*, quo ritu partim significat ad aliud se transitum facere, partim precatur vt populus per Dei gratiam erga oblationem rectè afficiatur. Minister verò vel Chorus vice populi subijcit solitum, *Et cum spiritu tuo*, optans vt sacrificium hoc in spiritu offeratur, & à Domino acceptetur iuxta illud Daniel 4. *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur*: & Psal. 50. *sacrificium Deo spiritus contribulatus*: Præmittit etiam exhortationem vsitatam: *Oremus*, qua populum inuitat vt sacrificio & oblationi attendat, vt illa Deo sint grata, in quem toto feratur affectu.

6. *Oblatio panis & vini explicatur.* Post Offertorium Versum recitatum, Mystes panem & vinum aquâ mixtum offerens breues quasdam precatiunculas pronuntiat, quibus suam & populi oblationem Deo repræsentat, & petit vt digna mente offeratur, & ei placeat ex parte sua & populi. Hunc autem ritum esse perantiquum constat ex Liturgijs S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi, & alijs. Sunt verò hæ orationes & benedictiones veluti præparationes ad oblationem Corporis & Sanguinis Domini: vnde oblatio illa quæ tunc fit, non solùm non est sacrificium, vt alibi dicere memini, sed ne quidem ad eius integritatem pertinet, vt rectè Suarez disput. 75. sect. 2. & 3. & alij plures, cùm non constet adhibitam à Christo, nec semper ab Ecclesia fuerit vsurpata vt infra dicetur, & sine illa perfectum fiat sacrificium. Ergo oblatio illa est solùm præparatio quædam, & dedicatio materiæ consecrandæ & transmutandæ per futuram consecrationem, ad quam omnia referuntur quæ tunc petuntur. Sic vocatur hostia immaculata propter Christum Agnum immaculatum ex ea postea conuertendum. Similiter & calix salutaris mox futurus Sanguine Saluatoris refertus per futuram Consecrationem & à Saluatore institutus. Ita dicitur, Sacrificium præparatum ad futuram mox veri sacrificij oblationem, & petit sacerdos vt sacrificium futurum quod per se, & Christi instituto est Deo gratissimum, etiam ex parte sua & populi illi placeat.

Quamuis etiam possit dici hostia immaculata ratione panis, qui debet esse ex granis tritici lectissimis & mundissimis confectus, & integer: optima enim quæque Deo dicanda; vt fecit Abel & pij sacerdotes in Lege Mosaica, in qua Deus ostendit maculata & manca sibi displicere: & etiam miraculo aliquando declarauit in Lege nouâ panem infectum nequaquam sibi acceptum esse vt consecraretur.

Refert enim Cæsarius lib. 9. miraculorum cap. 65. fuisse prope Coloniam hostiam in patena positam, in quâ fortè fuerat incoxtus cimex, qui oculis non apparebat; illa autem mox resilijt, & imposita rursus longiùs auolauit, & tertio quasi turbine rapta de altari est; verisimiliter ab Angelo, ne fœdatus panis consecraretur. 7. *Deus miraculo ostendit sibi hostiam fœdatam displicere.*

8. *Cur secretò fiat Oblatio, & oculis in cælum sublatis cum patena & calice.* Ceterum ratio probabilis cur oblatio illa silentio fiat, & preces secretò pronuntientur, esse potest, vt cum maiore reuerentia & attentione omnes Deo suam offerant oblationem, & ad memoriam reuocent Christi passionem, quæ paulò post est repræsentanda: vel, vt Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 4. ob secretam oblationem, quâ Christus seipsum Patri obtulit.

Præterea sacerdos tunc eleuat panem patenæ impositum, & vinum in Calice oculis ac manibus ad Deum sublatis; quæ cęremonia olim erat valde vsitata in Aaronicis sacrificijs, vt videre est Leuit. 8. 9. 10. & alibi, vbi sa-

 cerdos

cerdos eleuat quod offertur, eademque habetur in antiquis Liturgijs.

Est autem hic ritus conuenientissimus ad significandam oblationem quæ Deo supremo fit, & quâ homo seipsum offert in sacrificium Domino.

Aduertit autem Innocent lib. 2. de Missa cap. 59. panem eleuari in patena dictam à patendo, & significari sacrificium offerendum in latitudine caritatis.

In Missâ solenni adhibetur Thymiama siue thurificatio, de qua plura à nobis dicta cap. 10.

Rectè autem obseruat Bellarm. suprà cap. 17. quinque illas precatiunculas, quibus panis & vinum offertur in altari, licet sanctæ & piæ sint, & iam receptæ; non esse tamen adeo antiquas, neque ante quingentos annos in Ecclesia Romana lectas, sed ab offertorio transibatur ad collectas secretas. Vide Micrologum de Ecclesiast. Obseruat. cap. 11 qui quamuis harum quasdam commemoret, dicit tamen illas recitari secundum Ordinem Gallicanum non Romanum: vixit verò Micrologus ante annos 500. Ecclesia tamen Romana postea illas recepit. Vide Bellarm. suprà, qui has preces propugnat contra Georgium Maiorem hæreticum.

9. *Orationes, quæ dicuntur in Oblatione non sunt valde antiquæ.*

CAPVT XIII.

Permixtio vini & aquæ in Calice.

NIhil hîc agendum de erroribus circa rem propositam tam præteritorum, quàm præsentium hæreticorum. Quidam enim olim solam aquam offerendam dictitabant, vt inter alios aquarij, sobrietatem indiscretam prætexentes, de quibus S. Augustin. lib. de Hæresib. cap. 64. Alij verò purum vinum consecrandum volebant vt quondam Armeni, fortè quia non credebant duarum naturarum in Christo vnitionem.

Ceterùm dogma semper receptum est pauxillum aquæ vino admiscendum in calice, nec posse id sine graui peccato omitti, cùm illa cęremonia sit notabilis. Quamuis autem hic ritus sit de necessitate præcepti, non est tamen de necessitate Sacramenti, vt communiter docent Doctores. 1. *Aquæ admixtio præcepta grauiter.*

Accipe sententiam Concilij Tridentini Sess. 22. Canone 9. *Siquis dixerit aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Sic definit contra hæreticos nostros.

Nota aquam quæ miscetur debere esse naturalem, non rosaceam aut distillaticiam, quia alioquin esset peccatum mortale, &c. licet Sacramentum subsisteret. 2. *Debet aqua esse naturalis & modica, &c.*

Sufficit autem in hac mixtione vna aquæ guttula, vt docent Theologi. Mixtio autem hæc fieri debet in calice, & tempore sacrificij, vel saltem præparationis ad illud; alioqui non esset cæremonia sacra sed graue peccatum. In Missis autem solemnibus sequendæ Rubricæ. Quòd siante consecrationem aqua apposita non fuerit, non erit hic defectus postea supplendus.

Debet autem hæc admixtio fieri ante oblationem calicis, aliàs graue esset peccatum, nisi inaduertentia excuset. Qui autem ante consecrationem aduertit errorem, debet supplere ex totius Ecclesiæ praxi. Ex Missali Romano hæc admixtio fit facta hostiæ oblatione, quod seruandum illis, qui eo vtuntur, alij sequi possunt suæ Ecclesiæ consuetudinem. In Missis priuatis idem sacerdos miscere solet qui consecrat, in so-

solemni Missa miscet Diaconus, licet non sit sacerdos, quod est contra Guilielmum Durandum, qui putat necessarium esse, vt admiscens sit sacerdos.

3. *Rationes huius ritus.* Solùm hîc proferam rationes tam litterales quam mysticas huius cæremoniæ.

4. *Prima Christi institutio.* Prima, eaque litteralis est actio Christi, quæ nostra instructio esse debet, qui calicem vini cum aqua mixti consecrauit, vt certum est ex Traditione Apostolicâ; sic enim supposito exemplo Christi faciendum præceperunt Apostoli.

S. Iacobus in sua Liturgia ita habet: *Similiter postquam cenauit accipiens calicem & per miscens ex aqua & vino & benedicēs*, &c. Idē habet S. Basil. in sua Liturgia, & sic docent antiquissimi Patres, S. Clemens, Irenæus, Cyprian. Verba S. Alexandri primi hæc sunt, Epist. 1. ad omnes Orthodoxos: *Non debet in Calice Domini aut vinum solum aut sola aqua offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in Passione profluxisse legitur*, Can. *In Sacramentorum*. de Consecrat. dist. 2. Vbi Alexander hoc faciendum non primùm instituit, sed Apostolicam Traditionem seruari suo scripto iussit & confirmauit. Præter primariam hanc rationem, quam Patres passim adferunt, & Concilia Florentinum & Trident. plures ab ijsdem alijsque Doctoribus suggeruntur rationes mysticæ siue congruentiæ. Vnde

2. *Secunda, quia de Christi latere exiuit Sanguis & aqua.* Secunda ratio est; quia de latere Christi mortui exiuit Sanguis & aqua, Ioan, 19. quam rationem etiam suprà protulit Alexander Papa & alij. Cùm Missæ sacrificium clarè nobis repræsentet Christi Passionem & mortem, & panis consecratus eius Corpus exsangue & mortuum; debuit etiam calix consecratus repræsentare effusum eius sanguinem, vt ex latere fluxit post mortem; fluxit autem non tantùm sanguis, sed & aqua.

Tertia ratio seruit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est coniunctio Christi cum Ecclesia, capitis mystici cum membris, sponsi cum sponsa: vnde & æterna Sapientia inuitat ad calicem mixtum: *Bibite*, inquit, *vinum quod miscui vobis*; Prouerborum 9. 5. Vinum Christum repræsentat expressum in Crucis torculari; aqua verò populum instar aquæ defluentem, iuxta illud Apocalyps. 17. *Aquæ multæ populi multi*. Idem mysterium aiunt quidam significari in commixtione aquæ cum farina in subigendo & conficiendo pane: sicut enim ex multis granis vnus panis; ita & vnum corpus mysticum ex membris suis coalescit. 6. *Tertia vt significetur coniunctio Christi cum Ecclesia.*

Hanc rationem plures producunt, & clarè Iulius Papa Epistolâ ad Episcopos Ægypti, & habetur de Consecrat. dist. 2. *Calix*, inquit, *Dominicus iuxta Canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi: ergo cùm in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur, & iungitur. Quæ copulatio aquæ & vini sic miscetur in Calice Domini, vt mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.*

Debet autem hæc aqua esse modicissima, quia, vt inquiunt Concilia; *Maior est Sanguinis Christi maiestas quàm populi fragilitas.*

Adde etiam, iuxta Alcuinum, si nihil aquæ apponeretur, videretur significari Passionem Christi humano generi nihil profuisse.

Quarta est, quam adfert S. Thom. quæst. 74. art. 8. ex S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 1. *ad Dei gratiam nobis indicandam quæ est aqua saliens in vitam æternam* Ioan. 4. 14. *quæ spiritualis & cælestis aqua hîc hauritur de fontibus Saluatoris.* 7. *Quarta vt indicet Dei gratiam.*

Quinta, quia hęc mixtio nobis adumbrat

8. *Quinta, significat duas in Christo naturas.* brat duarum naturarum in Christo coniunctionem. Hæc exprimitur Oratione, quam Sacerdos profert, cum aquam vino permiscet, *Da nobis per huius aquæ & vini mysterium eius Diuinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps*, &c. Vbi petimus communione inseparabili Christo adhærere, & eius donorum fieri participes, sicut aqua pertinaciter coalescit cum vino, & eius dulcedinem participat.

9. *Sexta, quia aquæ vinum misce tur in potu.* Sexta (non tamen omnino probanda, nisi commodè accipiatur) quoniam cùm V. Eucharistia sit cibus & potus spiritualis, congruè datur sub specie cibi & potus corporalis; vinum autem aqua permixtum est ordinarius & vulgaris potus, maximè congruens naturæ humanæ.

10. *Septima, vt lex noua respondeat veteri.* Septima; quia calix noster salutaris non solùm adumbratus fuit in lege veteri, in vino cuius vsus fuit in typicis illius sacrificijs, & in vino quod cum pane obtulit Melchisedec Genesis 14. sed etiam in aqua quæ ex rupe profluxit, vt docet Apostolus 1. ad Corinth. 10. Ita S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. & lib. 5. cap. 1.

11. *Adduntur aliæ rationes ex Gabriele.* Gabriel Lect. 35. in Can. alias etiam super addit rationes, & congruentias.

1. Prima, *significat*, inquit, *hæc aquæ admixtio aliam vnionem, quæ est nostræ mortalitatis absorptio, Aqua enim nostram mortalitatem designat.* 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & tamquam aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur, vinum verò, quo signatur Sanguis Christi, eiusdem mortalitatis absorptionem siue mortificationem.* 1. ad Corinth. 5. *Absorpta est mors in victoria. &* Osee 13. *Ero mors tua, ò mors, Licet autem in nobis moriamur, in Christo tamen viuimus*; ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

12. *Altera.* Altera; *Significat etiam hæc aquæ mixtio vnionem gentium, quæ inserendæ erant Ecclesiæ de Iudæis, sicut oleaster oliuæ*, ad Roman. 11. *Aqua autem conuertitur in naturam vini in signum quòd gentes erant conuertendæ & fideiium Ecclesiæ ex Iudæis incorporandæ: Propter quod dictum est Petro* Actor. 10. *Occide, & manduca: Sicut enim quod manducatur in naturam conuertitur manducantis; sic aqua quæ gentes incorporandas significat in naturam vini conuertitur; per quod Ecclesia de Iudæis quæ Gentes incorporat, repræsentatur.* Hæc Gabriel.

Quærit Guilielm. Durand. lib. 4. Rationalis cap. 30. num. 21. cur aqua vino miscenda benedicatur, non vinum; & respondet, quod vinum hîc Christum significet, qui nullâ eget benedictione, aqua vero populum, qui in hac vita sine peccato nequit agere, ideoque eget benedictione Dei, vt reddatur dignus ad præmissam vnionem cum Christo. Vide plura apud eum. 13. *Cur aqua benedicatur non vinum.*

In Missa pro defunctis aqua non benedicitur, quia iam in perpetuum Christo vniti sunt, & confirmati in gratia ab ipso non separantur in æternum. 14. *Cur in Missa pro defunctis aqua non benedicitur.*

Porrò sacerdos calicem oblatum in altari collocat formando signum Crucis, vt ante panem in patena obtulerat, cuius figuram habemus Leuit. 7. in eleuatione hostiæ, quâ in cęremonia etiam formabatur Crux mouendo hostiam ab Oriente in Occidentem, ad Aquilonem & Meridiem, prout nos facimus; quo ritu olim indicabatur Deum, Dominum esse cæli, & omnium mundi partium, eumque Christi Cruce redimendum. Vide Interpretes in Leuitici Septimum, & Baptistam Scortia lib. 4. de Missa cap. 1. 15. *Cur signum Crucis formetur in oblatione calicis.*

Volens hic prætereo multa quæ fusè disputantur à Scholasticis apud S. Thom. 3. p. quæst. 74. art. 6. 7. 8. de aqua modicissima miscenda vino, quod illa mixtio solùm sit de necessitate præcepti, non verò Sacramenti, vtrum si aqua ante consecrationem non fuerit conuersa in vinum, conuertatur tamen 16. *An aqua mixta si non conuertatur in vinum ante*

per

consecratio-nem transeat in Sanguinem ipsa consecratione. per consecrationem in sanguinem. Ego verò circa hoc sentio, quod & aliquando in Scholis fusè probaui, aquam modicam mixtam vino consecratione conuerti in sanguinem, si fortè prius in vinum non fuerit conuersa, quod aliquando contingere potest; vel quia paulo ante consecrationem imposita fuerat, vel quia elementum est naturæ tenacissimæ & refractariæ, quæ difficulter in aliud corpus transmutetur, vt docent Medici; vnde dubitari potest, an etiam modica permixta vino aliquamdiu saltem suam naturam non retineat. Plura de his suggerit Baron. anno Christi 1188. & 1192. Vide præter alios Doctores Ioannem Præpositum de V. Euharistia in 3 p. D. Thomæ quæst. 74 art. 8 Dubio vnico.

CAPVT XIV.

Lotio manuum tempore Sacrificij.

1. *Lotio manuum vtraque mystica.* SAcerdos bis manus lauare solet, semel vestimenta sacra assumens, iterum ante augustiorem Liturgiæ partem, idque ex antiquo Ecclesiæ ritu; vtraq; autem lotio sacra est & mystica, vt patet ex loco & tempore, quo vtraque fit, & coniunctis precibus: prior, de qua prius dictum, fit ante sacrificium in Sanctuario: posterior tempore sacrificij. Licet autem prior etiam adhibeatur ad decenter mundis manibus tractandum Sacramentum, de qua loqui videtur S. Chrysostom. homil. 61. ad Populum: *Dic*, inquit, *mihi, illotis manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non puto*: spiritualis tamen significatus potior est.

2. *Expositio Psalmi 25.* In hac posteriore solùm summitates pollicis & indicis abluuntur, & dum se lauat Sacerdos recitat posteriores versus Psalmi 25. incipiens à versu sexto, cuius verba aptè conueniunt sacerdoti purâ mente & præparato animo altare circumdanti & hostiam salutarem oblaturo, cuius conuersatio proinde procul absit, vel abesse debeat à vitâ, moribus, cogitationibus iniquorum, quin potiùs associata sit virorum integritate & innocentiâ eminentium actionibus & commercio.

Illustriss. Dominus vander Burch clarè & piè hos versus exponit in sua Missæ Elucidatione.

3. *Quid significet ablutio summorum digitorum.* Rectè notat Albert. Magnus lib. de Missa, & ante ipsum S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 3. summos tantùm extremosque digitos ablui, quia iam à criminibus grauioribus expiatus non inter peccatores, sed inter innocentes lauari debet à venialibus peccatorum reliquijs, ab extremis (vt loquitur S Dionysius) animi visionibus, à summis partibus, ab occultissimis cogitationibus, à tactu communium manuum, vt ait Alex. Alensis, atque à terreno puluere: vnde oret cum Propheta Psalm. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Porrò bene per sordes manuum & digitorum capiuntur peccata venialia, sicut enim illæ facilè contrahuntur quælibet attrectando, ita & hæc nullo negotio committuntur, vnde quotidianis quoque contritionis lacrymis eluendæ.

S Cyrillus Ierosolymit. Catechesi 5. Mystagogicâ ait Dauidem, mysteria sacra hæc nostra tractantem sic locutum, & agit de sacerdote in altari manus lauante. *Vidisti*, inquit, *Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem sacerdoti?*

4. *Significatur ablutio venialium.* Ibidem reddit causam huius cæremoniæ, ac dicit non adhiberi eam ad sordes corporis abstergendas cum nemo illotis manibus audeat Ecclesiam ingredi, sed ob symbolum puritatis animi, quâ præstare debent tam augustum oblaturi sacrificium, Hanc mundatio-

dationem etiam à leuioribus indicauit Christus in lotione pedum discipulorum suorum, Ioannis 13. v. 10. cùm ait Petro: *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet*, &c. q. d. qui à grauioribus peccatis mundatus est, à leuioribus maculis solicitè se abluat.

5. *Olim lauabant laici manus excepturi V. Eucharistiam, &c.* S. Augustin. Sermone 244. de Tempore & alibi docet laicos quoque sumpturos V. Eucharistiam priùs abluisse manus, eò quòd illis eam attrectabant. Similiter & mulieres nitida exhibuisse lintea, quibus Christi corpus exciperent: de qua re inferiùs dicetur. Quinimò S. Chrysostom. homil. 7. ad Populum dicit, vt alibi ostendi, olim Christianos Euangelium si tangerent, lotis manibus cum magnâ reuerentia id fecisse, quod quidam intelligunt de religioso attactu inter iurandum. Quantò maior puritas requiritur in Sacerdote sacris operaturo!

7. *Lotio sacerdotum Leuiticorum.* Hebræi quondam, referente Genebrardo sententiam Rabbi Leui in 16. Leuitici, soliti erant accedere ad Sacra lotis aquâ viuâ & incorruptâ manibus pedibusque, quam nominabant sanctificationem manuum & pedum. Mentio etiam fit Exodi 30. labri ænei, de quo supra egi, positi inter Tabernaculum Testimonij & altare, vt in eo sacerdotes lauarent manus & pedes. Dicit autem Aristeas libello de 70. Interpretibus, interrogatos Iudæos quare post lotas manus vota facerent, respondisse, in testimonium nullius sceleris perpetrati, quia per manus solent omnes conatus expediri.

7. *Nostra ablutio non redolet Iudaismum.* Ceterùm ablutio Liturgorum nostrorum ante sacrificium & eius præcipuam actionem nullo modo redolet cacozeliam & prauam æmulationem rituum Mosaicorum, cùm non adhibeatur ad aliquid significandum futurum in Lege noua, nec eo modo, vt tunc fiebat, sed partim ad decentiam & honestatem, vt rectè S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. partim vt moneantur adferre puram conscientiam & mentem, quæ animæ manus sunt.

Olim etiam in vsu erat Christianis lauare manus ædem sacram petituris, vt constat ex Tertulliano libro de oratione cap. 11. & Chrysostom. Homil. 52. in Matth. Vnde & præ Ecclesiæ foribus vas aquæ positum erat ad purificationem, vt testatur Eusebius lib. 10. Histor. cap. 4. in cuius locum iam successit concha aquæ piacularis & benedictæ. 8. *Olim ponebatur vas aquæ præ foribus templi.*

Hoc ipsum gentes à vera religione alienæ lumine rationis duce in profanis suis sacris obseruarunt vt ritum quemdam conuenientem. Vnde conceptis & solemnibus verbis sacris arcebantur, quibus puræ manus non erant. Tradit hoc Liuius lib. 41. *Cùm*, ait, *omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat*. Puras autem manus vocabant immunes ab illuuie & sordibus, maximè à cæde & sanguine. 9. *Ethnici etiam ante sacra sua manus lauabant.*

Fortè respexerit huc Apostolus 1. ad Tim 2. *Leuantes puras manus.*

Cicero tantùm non Christianè lib. 2. de Legibus. *Castè*, inquit, *lex iubet adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia, nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, cùm multum animus corpori præstet, obseruetur; vt casto corpore adeatur, multo esse in animis id præstandum magis: Nam illud vel aspersione aquæ vel dierum numero tollitur; animi labes nec diuturnitate euanescere, nec amnibus vllis elui potest.* Hæc Tullius.

Persuadebant sibi misselli puros se sceleris, si manus vel etiam totum corpus frigida perfudissent, errore nimiùm crasso. Sed de hoc lustrationis more plura Lector inueniet apud Stephan. Durant. suprà cap. 28. Barnabam Brissonium de Formulis Romanorum, Ioannem Lorinum in Psal. 25. & alios: de Lotione verò digitorum tempore nostri sacrificij apud S. Dionys. Eccle-

siast.

siast. Hierarchiæ cap. 3. Clement. Roman. 8. Constitut. Apostolic. cap. 11. S. Cyrillum Hierosolymit. Catechesi 5. Mystagogica, & plures alios.

10. *Non lauantur manus ne Corpus Christi inquinetur.* Notat Gabriel Lectione 17. in Canonem, Sacerdotem lauare manus, non timore ne Corpus Christi contaminet, quod nulla corporali immunditiâ maculari potest, tum quia gloriosum, tum quia eo modo, quo est in Sacramento, corporaliter attingi non potest, cùm non sit ibi quantitatiuè, siue per modum quantitatis situalis in ordine ad locum, qui modus ad corporalem contactum requiritur; sed, cùm iam manibus tractare debeat Sacramenta, propter eorum reuerentiam, fulgere etiam debet corporali manuum munditia. Fit denique hæc lotio vt se excitet ad internam deuotionem & puritatem, quam principaliter intendere debet.

Vnde solicitè satagendum est, vt non tam exteriora manuum, quàm interiora mentium inquinamenta purgentur; quia non tantùm inquinat hominem tractare Sacramenta illotis manibus, quãtum illotis animabus: Vnde secundum Innocentium; *Lauat manus corporaliter, vt mundet actus spiritualiter*; & ait Alexander Alensis, *Hic moraliter insinuatur, quòd sacerdos, oblaturus hostiam, lacrymis compunctionis lauare debet conscientiam, ne scilicet indignus accedens ad tantum sacrificium reus fiat Corporis & Sanguinis Domini.* Hæc & plura Gabriel, vbi etiam meritò reprehendit illos sacerdotes, qui hanc lotionem differunt vsque ad finem Præfationis, cum verba Canonis à Præfatione dependeant, &c.

CAPVT XIV.

Reliqui ritus & preces ante Præfationem.

POst manualem ablutionem sacerdos ad medium Altaris rediens profundè se inclinat, & submissâ precatione postulat à Deo, vt sua oblatio acceptetur in memoriam Passionis Christi &c. ad honorem B. Mariæ, aliorum Sanctorum & Ecclesiæ vtilitatem, &c. 1. *Quid significet capitis inclinatio ante altaris medium.* Accessus ad medium altaris & inclinatio ante illud seruatur ex ritu antiquo vt constat ex S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. Pertinent eodem verba S. Chrysostom. in Liturgia: *Sacerdos egreditur ex paruo ostio, & conuersus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit, &c.*

Inclinatio hæc oculis mentis nobis obijcit summi Sacerdotis Iesu Christi humilitatem demittentis se vsque ad mortem Crucis.

2. *Humilitas orationi robur tribuit, quod superbia elidit.* Vlteriùs docet nos infirmam nostram orationem humiliatione, quæ in medio nostri est, roborare, & subsidio nobis assumere eam, quia sic placitum est coram Deo: Isaiæ 66. 2. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos?* Eccli. 35. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.*

Aptè Innocent. 3. lib. 2. Myster. Missæ cap. 60. *Sacerdos memor quantæ molis sit tam grande sacrificium diuinæ maiestati offerre, quanta etiam innocentia esse oporteat pro populo ad Deum accedere, de viribus suis diffisus ac conuersationis sua integritate, ad humilitatis suffragia confugit. Quò enim non pertingit infirma oblatio sacrificantis, eò penetrat verecunda oratio se humiliantis.*

In vita Christiana primum & medium & postremum locum obstinet humi-

humilitas: *Nisi*, inquit S. August. Epist. 56. *humilitas omnia quæcumque bene facimus, & præcesserit, & comitetur & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui inhæreamus, & imposita quà reprimamur; iam nobis de aliquo bono gaudentibus totum de manu extorquet superbia.*

3. *Cur sacerdos sæpe orationes populi expetat, vt per* Oremus, Orate fratres *&c.*

Postea sacerdos se ad populum conuertens, idem ab eo petit, vt nimirum eius precibus adiuuetur, & commune sacrificium Deo gratum sit, & dicit: *Orate fratres*, &c. Ante etiam osculatur altare ad indicandum per solam passionem Christi nos Deo Patri reconciliatos; *ipse* enim *est Pax nostra*, ad Ephes. 2. Ita Durandus.

Porrò sæpius Liturgus populum ad Orationem, attentionem, sublimiores cogitationes suscipiendas excitat: vt cùm aliquoties dicit, Oremus, & mox in principio Præfationis, *Sursum corda*, &c.

Certè perspicuum est genticæ superstitionis sacrificulos & ministros, hunc vel similem morem in suis fanis seruasse, vt suis sacrilegis sacris præsentes venerationis & attentionis admonerent.

4. *Gentiles in suis profanis sacris attentionem poscebant.*

Testatur imprimis Plutarch. in Numa Pompilio, & Marcio Coriolano, magistratibus, dum sacris operarentur, à præcone inclamatum: *Hoc age*, quo, vt ipse ait, iubebantur sacris attendere, & nullum aliud opus interponere, siue, vt erectis animis in eam tantùm curam, cogitationemque incumberent, nec perfunctoriè, oscitanter, aliásue res agentes, sacrificijs operam darent.

Huic consonat illud Pythagoræ: *Adoraturus sede*: id est, sis animo quieto & pacato cùm orationi vacas.

5. *Quid significet apud illos formula*, Fauete linguis.

Rursus cùm apud illos publicè sacrificium fieret, imperabatur, *vt fauerent linguis*, cuius formulæ meminerũt Cicero lib. 1. de Diuinatione, Seneca lib. de vita beata, & Poëtæ passim, Virgil. Horat. Ouid. Tibullus, &c.

Multiplicem verò huius sacrificalis carminis significatum adferunt scriptores; quidam putant imperari silentium, vt sacrificio nulla vox obstreperet; alij docent admoneri populum, vt bona verba diceret, iuxta illud Ouidij lib. 1. Fastorum;

Prospera lux oritur, linguis, animisq; fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Sed sensus hic potior videtur, quem adfert Barnabas Brisson. l. 1. de solennibus populi Romani verbis: præceptum nempe his verbis, vt populus sacris præstaret fauorem, id est, ea probaret, votis beneuolis prosequeretur, verbis præeuntem sacrificulum sequerétur. Indicat hunc Ouid. lib. 15. Transformationum

——— ——— & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata, piùmque
Æneadæ præstant & mente & voce fauorem.

Numa Pompilius, vt est auctor Plutarchus in vita cum sacrificio daret operam, & nuntiatum illi esset hostes adesse, & Romanum agrum inuadere, risit, & placidè respondit: *ἐγὼ δὲ θύω. Ego verò sacrifico.*

Quòd si profani popæ & victimarij suis mysterijs infandis poscebant silentium, attentionem, fauentiam, bonam ominationem, approbationem & votorum coniunctionem; quanto potiore iure eadem postulet Dei vice fungens mystes, & Liturgus, augustissimum sacrificium oblaturus, voce clariore præfatus; *Orate fratres*, qui mihi & toti Ecclesiæ vinculo caritatis colligati estis, qui etiam orationum vestrarum indigeo suffragio, quia & ipse circumdatus sum infirmitate. 6.

Idem fecere Græci sacerdotes.

In Liturgijs Græcorum sæpe à Presbytero vel Diacono dicebatur *πρόσχωμεν, attendamus*; addebant & alia, vt *στῶμεν*

μετ εὐλαβ. stemus honestè; item *ὀρθὴ σοφία, recta sapientia*; & apud S. Clementem lib.8.Constit, cap. 12. *Stemus erecti cum timore & tremore.*

7. *Explicatio,* Te decet hymnus Deus,&c. Psaltes regius aptè canit Psalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*: sed iuxta Hebræum redditur: *Tibi silentium est laus, ô Deus in Sion*; & bene. Siquidem Silentium & attentio est laus interna Deum mente venerantis & deprecantis: etiam & externa, quia alios astantes suâ modestiâ excitat ad Dei laudes. Sed plura de hoc alibi.

8. Orate fratres *est perantiquum.* Quis verò formulæ, *Orate fratres*, auctor fuerit, incertum est. Radulph. Tungrens. de Canon. obseruantia Proposit. vltimâ tribuit Leoni Magno. Sed illius vsus diu videtur fuisse ante S. Leonem, vt patet ex Patrib. antiquioribus. Meminit illius S. Soter de Consecrat. d. 1. Can. *Hoc quoque* S. Chrysostom. Homil. 10. in 2. ad Corinth. S. Augustin. Epist. 106. ad Vitalem his verbis: *Numquid vbi audieritis Sacerdotem Dei, ad eius altare populum adhortantem ad orandum, non respondebitis, Amen?* approbando scilicet & ei consentiendo!

9. *Formula:* Suscipiat Dominus &c. *no fuit semper vniuersalis.* Populus autem vel minister eius loco annuit sacerdoti & coniungens eius orationi suas preces, subdit, *Suscipiat Dominus hoc sacrificium de manibus tuis*, &c. Stephan. Eduensis de Sacram. Altar. cap. 12. dicit Chorum hæc verba subiungere ex Psalm. 19. *Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te.*

Quidam, auctore Gabriele Lect. 17. in Can. ex eodem Psalm. dicunt: *Memor sit Dominus sacrificij tui & holocaustum tuum placabile fiat.* Sed textus habet, *pingue*, quod idem est atque Deo acceptum: Sicut enim pinguia hominibus placent, ita Deum placant, & ei placent, quæ pio & humili spiritu offeruntur.

Rursus alij: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: quod intelligi debet per modum optantis. Subijcit postea Romanos dicere: *Suscipiat Dominus sacrificium*, &c. Satis autem ex his colligitur hoc populi votum non fuisse semper vniuersale. Postremò Sacerdos verba populi approbans dicit *Amen.*

Ceterùm diuersitas hæc præsentis precatiunculæ, sicut & aliorum minorum rituum & orationum toleratur in Ecclesia, quia etsi sint diuersa, non tamen in summa Sacramenti vel virtute eius aut fide discordant. Vide Gabrielem.

Sequuntur mox orationes quæ vocantur Secretæ, & ordine & numero respondent Collectis ante Epistolam: dicuntur autem Secretæ, quia voce submissâ, & sub silentio proferuntur.

De his ita scribit Steph. Eduensis suprà: *In hoc silentio est memoria Dominicæ Passionis, quæ in Hebdomada ante-paschali cessantibus hymnis & laudibus solet celebrari: Dominus etiam imminente Passione secretò orauit dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Orante Sacerdote super Oblatam in silentio fit quædam ad sanctum sacrificium præparatio, repræsentans quod Dominus se absconderet, nec palam apud Iudæos ambularet, abscondita dispensatione præparabat nobis salutiferum suæ Passionis mysterium.* Idem ferè Rupert. l. 2. de diuin. officijs c. 4. per silentium & secretum illud docet significari quod Dominus ante Passionem suam iam non palam ambulabat apud Iudæos, sed abierit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem Ioannis 11. 10. *Quid significent orationes secretæ à silentio.*

Iuxta S. Thom. 3. p. quæst. 83. art. 4. ad 6. hoc silentium repræsentat discipulos circa tempus Christi Passionis nonnisi occultè illum fuisse confessos.

Ceterùm sacerdotem ante consecrationem secretò precari solitum docet S. Clemens 8. Constitut. Apostol. cap. 12. & Concil. Laodicen. Can. 19. vnde ritus ille videtur prouenisse ex Traditione Apostolica, & rectè

dicit Tridentin. Seff. 22. cap. 5. *Cùm natura hominum ea sit, vt non facilè queat, ac sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quadam submissa voce, alia verò elatiore in Missa pronuntientur, instituit;* &c.

II. *Cur sacerdos sub silentio oret aliquando.* Multæ à varijs adferuntur rationes cur in Liturgia quædam secretò pronuntientur, quarum aliquas suggero. In primis, quia altissimum in ea agitur Mysterium: Scitum autem est sacra apud omnes gentes dici mysteria, id est, arcana, quæ quidam sic vocari volunt παρὰ τὸ μύειν τὸ στόμα, *ab ore seu linguâ compescenda*, vt fiebat apud Ethnicos in sacris Isidis vel Cereris, in quibus silendum erat; hinc est illud Maronis

——— *fida silentia sacris.*

Deinde silentium illud maiorem attentionem conciliat, & venerationem profundiorem erga diuinissimam oblationem.

Præterea accedit ex diuersitate ritus quædam delectatio, & tollitur nausea: *Amant enim alterna Camœnæ.* Plures rationes producit Gauantus parte 1. tit. 16. littera g. & quidem breuiter octo numerat.

Maximè probo vltimam; ne ipsa verba in Sacrificio potissima assiduitate aurium vilescant, quod maximè locum habet in Canone. Quia verò alibi hac de re plura dixi, hîc supersedeo.

Audiamus interim Gabrielem suprà, hac de re differentem. *Numerorum* 4. ait, *mandatur Aaron & filijs eius, vt ipsi soli ingredientes tabernaculum, omnia eius vasa inuoluant, & portanda, dum mouenda sunt castra, singulis filijs Caath distribuant: ipsi autem filij Caath ac cæteri nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario priusquam inuoluantur, alioqui morientur. Nam multi vsu sanctissima contemnentes, dum publicè eis ostenduntur, accipiunt occasionem mortis in eis, quæ si forent operta & inuoluta venerarentur.* *Hinc Matth. 7. dicitur: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos: quia audita ista vilescunt popularibus, & sacerdotes verbis eorum lacerantur: Vnde & B. Dionys. scribens ad Tim. de Ecclesiast. Hierarch. eadē præcipit. Obserua,* inquit, *diligenter, ne sancta sanctorum offeras, ne profanis luminibus violanda permittas; reuereberis magis occulta, quæque arcana Dei mysteria, spiritualibus inuisibilibusq; notionibus honorabis atque intemerata seruabis, nequaquam ea passim vilibus tradens sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentias secretius pandens.*

Nota in orationibus Secretis ferè semper peti, vt munera oblata vel offerenda sanctificentur à Domino, vt illi sint grata, & Ecclesiæ salutaria per merita Christi & Sanctorum quorum memoria tunc colitur. Non præmittitur autem primæ Secretæ immediatè solitum *Oremus*, quia id præmissum fuit ante Offertorium, vt Gabriel, Nauar. alij.

12. *Cur Sacerdos alta voce post Secretas dicit, Per omnia secula seculorum.* Sacerdos imponens finem Orationi Secretæ vni vel pluribus, vocem extollens clarè pronuntiat; *Per omnia secula seculorum*, cuius rationem reddit Stephan. Eduensis suprà; *Christus post miraculum dilecti sui à morte suscitati palam ambulabat & sacerdos silentium suum rumpit*, quia, vt addit Durand. lib. 4. Ration. c. 32. *tunc apertè prædicauit Dominus*: Verùm hoc ideo etiam fit à sacerdote, vt S. Thom. suprà & alij, vt populus possit assentiri ei, & confirmare quæ secretò orauit, dicendo *Amen*. Est enim hæc clausula priorum orationum, quibus populus more solito assensum præbet & approbat.

Albertus tamen Magnus τὸ *Amen* explicat non per *fiat*, sed per *Verum est*. q. d. Tu dicis, *Per Dominum nostrum, qui viuit & regnat*: Nos corde & ore profitemur hoc verum esse, ac si dicat: *Iusti sunt omnes sermones tui, & non est in eis prauum*

num quid, neque peruersum, Prou. 8. Vide S. Bonauent. de Expositione Missæ c. 3. de Secreta.

13. *Respondet Dei mater sacerdoti absente ministro.* Refert Cæsarius lib. 7. cap. 21. Mirac. olim abeunte ministro & longiorem moram trahente, sacerdotem dixisse, *per omnia secula seculorum*, prosequendo Missam; B. verò Virginis imaginem, quæ in altari posita erat, ad singula respondisse loco ministri.

CAPVT XVI.

Præfatio Canonis.

1. *Præfatio ab Apostolis instituta.* PRæfationis auctores plerique tenent fuisse Gelasium. Ita Alcuinus de diuin. officijs cap. de celebratione Missæ, Radulphus Tungrens. de Canon. obseruantia propositione vltimâ.

Sed credibilius est & nomen & vsum Præfationis ab ipsis primis Ecclesiæ proceribus proficisci, & ad nos peruenisse, cùm illius Patres antiquissimi meminerint vt S. Clemens Constit. Apostol. lib. 8. cap. 16 Cyprian. de oratione Dominica, Ambros. August. Chrysost. alij. Vnde aliqui attribuunt S. Dionys. Areopagitæ. Notanda sunt verba S. Cypriani, *Sacerdos*, ait, *ante orationem præfatione præmissa præparat fratrum mentes dicendo sursum corda, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum; admonetur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.*

Deinde communis & vsitata & quasi quotidiana Præfatio Ecclesiæ Romanæ, integrâ manente sententiâ, licet verbis paulùm immutatis reperitur in Liturgia SS. Iacobi, Basilij, Chrysostomi.

Extant tamen præter communem Præfationem in Missali quædam particulares tempori & festiuitatibus conuenientes, in quibus mysteriũ, quod id temporis celebrat Ecclesia, recolitur. Ante mille annos approbatæ ab Ecclesia Præfationes tempore Pelagij 2. habebantur nouem (aliæ enim addendæ non sunt nisi auctoritas Pontificis summi illas confirmet) quæ numerantur ab ipso C. *Inuenimus* de Consecratione dist. 1. ex Epist. ipsius 4. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, nimirum hæ, pro Christi Natiuitate, Epiphaniâ, Tempore Quadragesimæ, Passionis Domini, Paschali, Ascensionis, Pentecostes, in honorem SS. Trinitatis (quæ etiam olim canebatur omnibus Dominicis diebus per annum, teste Micrologo cap. 60. & Francisco Suarez tomo 1. de Religione lib. 2, cap. 4.) & postrema in festis Apostolorum, quibus addidit Vrbanus 2. anno 1095. in Concilio Placentiæ celebrato decimam de B. Virgine, & habetur Can. *Sanctorum* Cap. finali dist. 70. 2. *Nouem sunt Præfationes antiquæ approbatæ & recentior decima de B. Virgine.*

3. *Quis sit sensus nominis vocis Præfatio.* Dicta verò est Præfatio, quia est Præloquium quoddam præparans & excitans præsentes ad Actionem præcipuam, in quâ consistit propria ratio sacrificij, estque ad hoc aptissima, cùm eorum corda sursum euehat, & cælestium spirituum choris associet ad Dominum vno ore & spiritu celebrandum, prædicandum eique gratias agendas. Ita Durand. Gabriel alijque. Incipit autem ab illis verbis, *Dominus vobiscum*: Nam illa verba *per omnia secula seculorum* ad præcedentes Secretas orationes referenda sunt vt populus subijciens *Amen*, illas approbet, vt dictum est.

CAPVT XVII.

Diffusior Præfationis explicatio.

AGgreditur mystes sacram Præfationem solenni formulâ populum compellans, *Dominus vobiscum*, quâ illi

illi precatur Dei fauorem & gratiam, vt cœlesti luce illustratus perspicere clarius valeat tāti sacrificij mysterium, & eidem mentem & vota adhibere. Mox idem deuotus populus Dei beneuolentiam Sacerdoti vouet vt iniunctum sibi ministerij munus dignè exequatur, & nō solùm externis cæremonijs altari deseruiat, sed Deum, qui spiritus est, in spiritu & veritate adoret. Vide Florum Magistrum initio expositionis Missæ. Mox subijcit Liturgus altiore voce intonans; *Sursum corda*: circa quæ aliqua occurrunt consideranda.

1. *Antiquissima est formula:* Sursum corda.

Et primò quidem Antiquitatem huius formulæ ostendunt Sancti Patres. S. Cyprian. Sermone (vel libro potius) de Oratione Dominica his verbis: *Quando stamus ad Orationem, vigilare & incūbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur: ideò & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissâ parat fratrum mentes dicendo*: Sursum corda, *vt dum plebs respōdet*, habemus ad Dominū, *admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. &c.* Vide in illum locū D. Iacobi Pamelij Annotationes.

Eamdem formulam in vsu fuisse seculo Apostolorum liquet tum ex S. Clemente lib. 8. Constitut. cap. 16. tum ex Liturgijs S. Iacobi & Græcorum: Meminerunt S. Cyrillus Catechesi 5. Chrysost. tum alibi, tum Homilia in Encænijs; S. Augustin. sæpissimè: vnum locum notasse sat erit. Sic ergo Sermone 44. de Tempore: *Corda fidelium cœlum sunt, quia in cœlum quotidie diriguntur; dicente Sacerdote* sursum corda; *securi respondent*; Habemus ad Dominum.

Porrò nihil aliud hoc carmine populus monetur, quàm vt horâ diuinorum mysteriorum ipsis etiam cœlestibus spiritibus venerandorum, mentem à terrenis curis auertat, & ad vnum Deum conuertat, vt cor suum inueniat ad orandum, quæ sursum sunt quærat, quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram, vbi est thesaurus noster, ibi sit & cor nostrum, ne putrescat defossum in terra. Argutè S. August. in Psalm. 85. *Non putrescit cor si leuatur ad Dominum: frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret leuares ad superiora; frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terrâ putrescere?* Thren. 3. 41. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Ne cadat super nos illud opprobrium Domini Isaiæ 29. 13. *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me; cor autem eius longè est à me.*

2. *Quis illius sensus?*

Gabriel suprà hanc Sacerdotis exhortationem sapidè & piè premit & exprimit, vbi inter alia: *Ait Sacerdos sursum intellectu veritatis, affectu caritatis, virtute conuersationis, rectitude intentionis.* Lege Chrysostom. Homil. in Psalm. 4. ad illud: *filij hominum vsquequo graui corde* &c. vbi sic loquitur: *Sursum corda, ne lutea fiant sed cœlestia, & à corde caro debet fieri alata.*

3. *Qui sursum cor habent similes Olympo, Auibus, Paradisi, Alaudæ, &c. conchæ Margaritiferæ.*

Huc pertinentia multa suggessi Comment. in Ecclesiastici cap. 51. 13. *Exaltasti super terram habitationem meam.* vbi inter cetera, eos quorum conuersatio in cœlis, & alta cœlorum petunt, contuli cum monte Thessaliæ Olympo qui nubes excedit, & mediam aëris regionem, nullis vapulat tempestatibus, &c. Item cum auicula, quæ inuenitur in Molluccis Insulis & dicitur Manucodiata, aliàs auis Paradisi, quæ numquam humi videtur, sed semper viuit in aëre, & alis sublata capite perpetuo cœlum suspicit, & rore pascitur &c. Alibi etiam lib. 1. de Horis Canonicis cap. 18. n. 40. attuli de Alauda aue, quam Romani Cassitam vel Galeritam

leritam dixêre, quæ quotidie septies in altum subuolat, & exiguum solum & quasi raptim pabulum è terra sumit.

Aiunt quidam conchas Margaritiferas, vulgò matres Perlarum, vt vniones & gemmas concipiant & pariant in mari sese cœlum versus aperire, & quasi hiare: addunt aliqui illas ex rore Margaritas concipere: alij ex fulgure. Sed vide de his Vlyssem Aldrouandum lib. 3. de Testaceis cap. 42.

Quidquid demum sit de vnionum generatione, docemur his sursum semper cor dirigere, vt spiritum salutis & vitę æternę concipere & parturire possimus.

4\. *Cor nostrum est instar citharæ.*

Obseruaui citharœdos fides suarum chelium hybernâ & humidâ aurâ linteis calefactis defricare, quia solent, illæ aëre frigido & madido laxari & mollescere, quo fit vt hebescant & vel exiguum vel nullum reddant sonum: Idem cordi nostro accidit, si semper terræ & eius luto adhærescat, & ad cœlestia non transferatur, vbi diuino amore incalescat. Sed hac de re aliàs plura.

5\. *Responsio;* Habemus ad Dominum, *æquè vetus est.*

Postremò populi responsio *Habemus ad Dominum*, etiam habetur in Liturgiâ S. Iacobi, Marci & aliorum.

S. Augustin. lib. de verâ religione cap. 3. *Si tundunt pectora, qui hac implere conantur, ita vt quotidie per vniuersum orbem humanum genus vna pene voce respondeat sursum se habere cor ad Dominum,* quid adhuc *oscitamus crapulam hesternam?*

6\. *Vt & illud,* Gratias agamus Domino Deo, *&c.*

Pergit Sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* S. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 5. Mystagog. *Postea clamat Sacerdos:* Sursum corda; *vos respondetis:* Habemus ad Dominum; *deinde dicit Sacerdos:* Gratias agamus Domino; *ad hoc vos subijcitis:* dignum & iustum est.

Eadem habentur in Liturgia S. Iacobi, Marci & Græcorum: meminit S. Clement. Cyprian. Chrysost. Aug.

7\. *Iure inchoatur Præfatio à gratiarum actione.*

Meritò autem exordio sanctæ Præfationis & Orationis à Dei glorificatione & gratiarum actione inchoamus. Nouimus Summum Sacerdotem Christum hoc Sacrificium gratias agendo instituisse, vnde & Eucharistiæ nomen accepit, id est Gratiarum actionis, vel benedictionis, vel bonæ gratiæ (illa enim omnia significat Eucharistia) Pertinet huc illud Sapientiæ 16. 28. vbi Scriptura loquens de manna huius sacrificij nobilissimo typo, sic ait: *Vt notum omnibus esset quoniam oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

8\. *Quid Eucharistia.*

Græcè pro *Benedictionem* est *ἐυχαριστίαν*. Quamuis vero Eucharistia significet bonam gratiam, quæ recipitur; rectiùs tamen videtur hic accipienda pro grata animi significatione erga Deum (eodem etiam modo sumi potest Benedictio, scilicet pro gratia ob ministratum manna, & Dei laudatione) Quamuis, quis supremo Numini bene precatur, benedicit, & gratias agit, qui non statim à perenni bonorum fonte plura & maiora actis gratijs & dictis laudibus hauriat, & referat beneficia? Iure igitur hortatur Sacerdos Domino gratias agendum & benedicendum, vt beneficia potiora sumamus.

9\. *Ethnici ab innocatione Deorum sua opera inchoabant.*

Scitum est scriptores profanos, Oratores, Poëtas, aliosq; à suorum Deorum laude duxisse dicendi, canendi, scribendi primordia. Testis huius moris Valerius Maximus Prologo libri primi ad Tiberium Cæsarem, *Si prisci,* inquit, *Oratores ab Ioue Opt. Max. benè orsi sunt: si excellentissimi vates à numine aliquo principia traxerunt, &c.* & Plinius exordio Panegyrici ad Traianum: *Bene,* ait, *ac sapienter maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere: Quod nihil ritè nihilque prouidenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicentur.* Omitto alios.

Spectat

10. *Docet hoc S. Ambros. Basil. Augustin.* Spectat huc locus S. Ambrosij lib. 6. de Sacramentis cap. 5. *Non debes, inquit, quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante à laudibus Dei. Vnde & Oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, vt Iudicem fautorem sibi præstent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipere rogare Iudicem vt patienter dignetur audire. Audet & tertiò postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quartò quo modo incipit à laudibus Dei, sic debet in laude Dei desinere.* Hactenus S. Ambros. Vide etiàm S. Basil. de Constit. Monasticis cap. 2. S. Chrysostom. Homil. 18. in 2. ad Corinth. 5. August. pluribus locis. Sic habet lib. 2. de bono perseuerantiæ. cap. 13. *In Sacramentis fidelium dicitur, vt sursum habeamus corda, quòd munus est Domini, de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratiàs agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonemur, & dignum & iustum est, respondent.* Eadem habet lib. de bono viduitatis cap. 16.

Subijcit verbis populi mox Sacerdos illa cõfirmans. *Verè dignũ est & iustum est, equum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere &c.* Habentur hæc eadem in antiquis Liturgijs S. Iacobi, Marci, Basilij, & antiquis Patribus.

Explicantur hæc fusiùs & admodum piè à Scriptoribus Rituum, Durando in Rationali lib. 4. cap. 33. Innocentio lib. 3. Mysterior. Missæ, Floro Magistro in Exegesi Missæ, Gabriele Lectione 17. & 18.

11. *Explicatio verborum* dignum & iustum est. Ego pauca strictim & fasceatim. Gratias agere Domino Deo nostro *dignum* est (cùm vicem rependere non possimus) quia est Dominus Deus noster: *Iustum, quia nos populus eius, & oues pascua eius*: dignum etiam, quia nos mera voluntate condidit: iustum, quia pura misericordiâ nos redemit: ęquum, quia gratuitò nos iustificat: salutare, quia nos perpetuò glorificat.

Rursum, dignum ratione summæ excellentiæ; iustum ratione prolixæ beneficentiæ; æquum ipso rationis pondere; salutare ratione promissionis salutis & redemptionis copiosissimæ.

Gratiæ autem ritè & debitè Deo aguntur, quando dona ipsius dignè accipiuntur, sapienter cognoscuntur, magna deuotione in ipsum referuntur: dignè verò accipiuntur, quando nos illis indignos iudicamus, & per hoc gratè accipimus, quando ea quæ reddimus à Domino esse minimè dubitamus: tum à nobis discretè cognoscuntur, quia scimus quæ à Deo donata sunt nobis: Magna autem deuotione in ipsum referuntur, dum ijs vtimur in finem propter quem dantur, & solum Deum magnificari ex illis optamus, dicentes cum S. Iuda in fine ipsius Epistolæ Catholicæ: *Soli Deo saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne seculum & nunc, & in omnia secula seculorum, Amen.*

Scribit non nemo conijci potuisse Protoplastos nostros non perseueraturos fuisse in statu Iustitiæ originalis, cum non legamus illos pro tantis beneficijs gratis à Deo acceptis gratias egisse. 12. *Adam non perseuerauit in gratiâ, quia gratias Deo non egit pro gratia.*

Vtitur porrò Ecclesia pluribus verbis & quasi synonymis, quia non potest satis dignè exprimere rationes & titulos, quibus obligamur Deo gratias agere. Dicitur Ecclesiastici 43. 32. *Glorificantes Dominum* (Glorificate) *quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis: maior est enim omni laude: Exultantes eum replemini virtute: ne laboretis: non enim comprehendetis*: q. d. ne cessetis à Dei laudibus quasi lassati, quamuis ne tunc quidem sitis eius magnitudinem comprehensuri. Vide in id loci Commentaria nostra. Solus Deus seipsum perfectè laudare potest, quia solus seipsum per- 13. *Non possumus sufficienter Deum laudare.*

perfectè cognoscit & comprehendit. Rectè obseruat Hugo Victorinus in Speculo cap. 3 in Officio diuino
14. *Laus Dei in ore nostro puerilis est.* Horarum Canon. Carmen *Benedicamus Domino*, in fine cantari puerili voce, & fere à pueris Symphoniacis, quia omnis laus respectu Dei puerilis est, quem laudamus, & quidquid hîc dici potest, minus est laude Dei: & additur, *Deo gratias*, q. d. Placet, vt pium est, in laude Dei superari. Lege S. Augustini Meditationes cap. 33. & 35. vbi inter cetera ita loquitur: *Immensus es Domine, & ideo sine mensura debes amari & laudari &c.* Idem cap. 10 eiusdem Soliloquiorum, quod est, de incomprehensibili laude Dei, vbi inter alia: *Laus tua, Domine, incomprehensibilis est, corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, & laus tua Domine manet in æternum.* Idem in Psalm. 70. v. 9. qui est, *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnificentiam tuam. Quid est tota die? Sine intermißione. In prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti: cùm essem, quia salutem dedisti: cùm peccassem, quia ignouisti: cùm conuersus essem, quia adiuuisti: cùm perseuerassem, quia coronasti.* Hæc S. Augustin.

Per Christum Dominum nostrum. Tota laus & gratiarum actio, quam semper & vbique debemus Deo Patri, offertur per filium tamquã per Mediatorem. *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli.* &c.

15. *Christus dat Angelis Deum laudandi materiam.* Per Mediatorem siquidem Angelis data est laudis materia, quia eius mediatione perficitur eorum custodiæ effectus: & casus eorum reparatur defectus: & in custodia promouetur profectus. Ita Gabriel ex Alberto Magno. Adde, Angelos per caritatem, quã ardent gratias & beneficia hominibus per Christum collata, sua existimare, & propterea Deum laudare, & gratias agere. Deinde, per Christum Dei Patris Sapientiam, & ipsi conditi sunt, ad Coloss. primo.

Immo, iuxta quorumdam Doctorum sententiam, Christus Angelis omnia bona supernaturalia meruit, fidem spem, gratiam, caritatem & gloriam, &, vt caput, eadem in eos influit.

De nouem Angelorum choris multa suggerit Stephan. Durantus lib. 2. de Ritibus cap. 31. plura etiam adfert Ludouicus Cellotius in opere suo de Hierarchia & Hierarchis toto libro secundo, qui est de cœlesti Hierarchiâ, post S. Dionysium & alios ad quos Lectorem meum remitto: solùm paucula verba Præfationis explicatum dare pergo.

Tremunt potestates: dicuntur tremere ἀνθρωπινα παθη, ex propriæ fragilitatis consideratione, & diuinæ Maiestatis & omnipotentiæ contemplatione; quia omnis creatura quatumuis perfecta, comparata cum supereminente illo Numine, quod solum verè est, non modò parua, sed omnino nulla videtur. 16. *Quomodo tremunt Angeli?*

Cæli, cælorùmque virtutes &c. Per cœlos vel accipe cœlorum incolas spiritus, maximè hîc non expressos, nominatim, vt Cherubim, Thronos, Principatus &c. qui etiam more Scripturæ vocantur virtutes, id est, copiæ & exercitus in cœlis Deo militantes: vel ipsos cœlos corporeos, qui dicuntur Dei laudes celebrare obiectiuè, cum sua magnitudine, pulchritudine, motu, influxu, & effectis manifestant maximam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem in se relucentem, & præbent materiam & argumentum diuinæ laudis, & excitant ipsos Angelos, & mortales in terris degentes sui contemplatione defixos, ad communem Dominum deprædicandum, & sic & hominum voce, & Angelica mente ipsi cœli Deum celebrant. 17. *Qui cæli, & eorum virtutes.*

Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur supplici confeßione dicentes: Hoc ardentissimum votum est terre- 18. *Votum Ecclesiæ*

 stris

militantis est voces coniungere Angelicis hymnus

ſtris & militantis Eccleſiæ, vt (cum nouerit dignum & ſalutare eſſe ſemper & vbique Deum laudare, & gratias agere) voces, affectuſque totius populi Chriſtiani cœleſtium & triumphantium ciuium & Angelorum modulis ſocientur.

Quia verò præconia hominum vilium & miſerorum, quibus Dominum vniuerſi efferunt, ſimilia ſunt garritibus anſerum, dulciſonis olorum carminibus & concentibus interſtrepentium; ideo humili deprecatione ſupplicat Eccleſia Deo ſuo, vt ipſorum collaudantium voces cum Angelicis hymnis & admittere, & admiſcere dignetur.

Et meritò quidem hoc demiſsè poſtulat, quia nulla in re magis conſpirat & fœderatur mundana noſtra & terreſtris Reſpublica cum ſuprema illa & cœleſti, quàm ſi cum hac vno ſpiritu & voce vniuerſalis Domini & Dei continuè Encomia decantet: ſic enim noſtra conuerſatio, Græcè politia, in cœlis erit.

S. Bernardus Sermone 11. in Cantica ſub initium: *Nihil*, ait, *ita propriè quemdam terris repræſentat cœleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum.*

S. Ambroſ. Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem: *Hæc Angelorum militia eſt ſemper eſſe in Dei laudibus.*

S. Baſil. Epiſt. 1. ad S. Gregor. Nazianz. *Quid beatius atque felicius quàm Angelorum choros in terris imitari? Mox quidem erumpente luce ad orationis ſtudium occurrere, hymniſque & canticis honorare Creatorem?*

Ita Reliqui ferè Patres, quos produxi lib. 1. de Horis Canonicis cap. 1. vbi hoc argumentum fusè deduxi, ad quod Lectorem meum remitto.

19. *Laus Dei eſt aurea fibula, quâ conuertitur*

Breuiter, diuina laus & gratiarum actio eſt aurea quædam, vt ſic dixerim, fibula, quâ vtraque Reſpublica inferior & ſuperior conuertitur & cohæret, hoc dumtaxat excepto, quòd huius hymnodia & laudatio aſſidua ſit & non interrupta; illius verò intercurrentibus vitæ fluxæ neceſſitatibus crebrò relaxetur & infringatur. *vtraque Eccleſia. &c.*

Nihilominus quàm proximo poteſt interuallo Eccleſiaſtica Hierarchia in perpetuanda vtcumque Dei laude ſequitur cœleſtem, vt ſuprà perſpicuè demonſtraui.

Sic ſuperiores & inferiores fides in cœleſti cithara coniunctæ conſpirant, qua de re ſcriptum eſt Apocalypſ. 14. 2. Et audiui vocem ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Gratiſſima eſt hæc ſymphonia Deo noſtro, in qua chori caſtrorum Eccleſiæ noſtræ militantis cœleſtibus legionibus admiſcentur. *Et cantare pares, & reſpondere parati.*

Sed huius concentus hic finis modò ſit; & aſpiremus ad illum, cuius non erit vmquam finis.

Iuuerit interim quoſdam proferre S. Ioan. Chryſoſt. locos, qui præfationem noſtram illuſtrant. 20. *Sententiæ S. Chryſoſtomi, quibus Præfatio illuſtratur.*

Sic ſcribit Homil. 4. de Dei naturâ: *Cogita apud quem proximè ſtes, quibuſcum inuoces Deum, ſcilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cœli Virtutibus: animaduerte quos habeas ſocios: ſatis hoc tibi ſit ad ſobrietatem* (modeſtiam) *cùm recordaris te corpore conſtantem, in carne compagmentatum admitti cum Virtutibus incorporeis commendare omnium Dominum. Nemo igitur animo reſoluto ſacras illas, ac myſticas laudes ineat ſocius, nemo rerum ac humanæ vitæ conſilia illo tempore volutet, ſed omni terrena ſorde animo depulsâ, in cœlum quiſque ſe totum transferat, vtpote qui propinquus ſolio gloriæ ſtet & cum Seraphim volitet, atque ita laudem ſanctiſſimam referat ſummo, optimo,glorioſiſſimo Deo;* &c.

Idem homil. 26. in Geneſim: *Non vt noſtrâ gratiarum actione opus habens, ſibi gratias agi vult, ſed vt quidquid id lucri eſt, iterum ad nos redeat & dignos nos faciamus maioribus ſubſidijs. Quamuis autem non poſſimus facere*

cere vt dignum est (nam quomodo id fieri posset cùm tam fragiles naturâ simus? Et quare dico humanam naturam? Ipsæ etiam incorporeæ & inuisibiles Virtutes, ac Principatus ac Potestates & Cherubim, vt dignus est, glorificare illum non possunt, etiam si iuxta vires gloriam illi offerant.) Nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actiones offerre, & indesinenter glorificare Dominum nostrum & per benedictionem crebram & per vitam optimam.

Rursus homil. 26. in Matthæum: *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, ac propterea gratiarum actio. Propterea reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ omni congregatione Ecclesiæ celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupantur. Sunt enim beneficiorum plurimorum recordatio, caput ipsum diuinæ erga nos caritatis ostendunt, nosque faciunt semper Deo debitas gratias exsoluere. Ideo altari assistens Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, & postea futuri sunt, sacrificio illo proposito Deo nos gratias iubet offerre.* Hactenus ille non aliena à nostro proposito.

21. *Sensus particularium Præfationum.* Præfationes particulares quæ certis anni temporibus, vt Quadragesimæ, &c. & in præcipuis festiuitatibus, vt Paschatis & alijs, pronuntiantur, interserunt mysteria & beneficia, quæ tunc sancta veneratur & recolit Ecclesia: & fructum nobis manifestant, qui ex Dei misericordia, benignitate, humanitate, vt vberrimo fonte, in Christianum populum promanant: & continuari ac perpetuari postulant gratias & bona, quæ Deus aliquando nobis communicauit; vt facilè colligetur, qui attentè singulas mente peruoluerit.

CAPVT XVIII.

Hymnus Trisagios, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Est hæc præfationis clausula sanctissima, & antiquissima, vt constat ex Liturgijs S. Iacobi, Basilij, Chrysost. & à prioribus quidem duobus vocatur hymnus Triumphalis: vel quia Seraphim Isaiæ 6. 5. Deo ipsum accinuerunt tamquam carmen Epinicium, Sancta item quatuor animalia Apocalyps. 4. 8: vel quia partem eius Christo Domino mortis & peccati Triumphatori pueri Hebræorum concinuerunt cum palmarum ramis victoriæ symbolis illi obuiantes & Osanna personantes. 1. *Trisagij antiquitas à tempore Apostolorum.* 2. *Quare Triumphalis dicatur.*

Meminerunt eiusdem S. Clemens lib. 8. Constitut. Apostolica. cap. 16. Concilium etiam Vasense celebratum sub Leone Magno Can. 45. constituit vt in omnibus Missis diceretur, cùm ante in quibusdam omitteretur, vt Quadragesimæ & defunctorum.

Itaque Epinicius hic hymnus iam inde ab Apostolis Ecclesiæ Catholicæ traditus est: vnde audiendi non sunt qui dicunt S. Sixtum primum addidisse illum officio Missæ.

Porrò animaduersione dignum est quod tradit Hieron. Pradus Societ. nostræ scribens in primam visionem Ezechielis sect. 6. & conferens istam visionem cum illa Isaiæ 6. in qua visi sunt Seraphim clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum &c: putat enim Seraphicos illos spiritus Isaiæ eosdem esse cum Cherubicis Ezechielis, & ait eosdem, è cœlis descendisse in templum Salomonis, ibique hymno Trisagio & Epinicio Deum collaudasse. Sic ille & rectè quidem: nam Salomon templum 3. *Triumphalem hymnum ceci-*

uerunt Angeli in templo Salomonis interprete Prado, & quare. suum exstruxerat, & dicauerat Deo νικοποιῷ, id est victori & victoriarum largitori, propter illustres victorias & triumphos, quos pater eius Dauid ex Dei hostibus reportarat, vt docet Alcazar in Apocalyp. Cornel. in Ezechiel. quod manifestè ostendunt cælatæ passim effigies in parietibus templi tum Cherubinorum in forma iuuenum alatorum, tum palmarum, clarissima Hieroglyphica victoriæ.

Quamuis autem verisimilius sit visionem illam Seraphinorum Amoebæo seu alterno carmine Deum celebrantium oblatam fuisse Isaiæ vati in cœlo, & è cœlo, non autem in templo Salomonis, vt est communis Interpretum sententia; fauet tamen proposito nostro illa Pradi explicatio.

4. *Excitant nos Seraphim ad hymnum Trisagion alacriter canendum.* Si enim spiritus illi Hebraicè ab ardore Seraphim dicti se mutuo vicissim ad Deo carmen triumphale pangendum animarunt, & volaturiendo, quasi percussu alarum ad illud alacriter faciendum in templo sancto quasi inflammarunt; profectò nos mortales, Dei tamen Altissimi Sacerdotes, excitant, & insinuant idem in Templo Dei laudes iterandi vsurpandum esse ministerium: vbi Christus non quidem sedens super solium excelsum & eleuatum, & fimbrijs gloriosæ maiestatis suæ ædem replens, sed in sacrificio Eucharistico se nobis præsentem exhibet humilibus panis & vini symbolis coopertus. Ardeamus ergo & nos Liturgi Deo consecrati ad cœlicum & Trisagion melos concinendum cum amore summi numinis flagrantibus incorporeis mentibus, præcinentibus nobis Choragis Angelis, æthereæ curiæ Archiphonascis; secuti monitū S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 13. Mystag. *Studiosi*, inquit, *Ecclesiæ Psalmistæ Angelicos imitantes exercitus semper Deum laudibus celebrant.*

Ceterùm luce clarius est carmine illo quod Græci Trisagion, id est, ter sanctum indigetant, laudari Deum trinum in Personis, vnum in essentiâ: trinum quidem dum canitur ter Sanctus; vnum verò dum additur, Dominus Deus Sabaoth. Ita docent plures veterum Patrum, quos citat Stephan. Durant. lib. 2. cap. 31. Vnus prodeat S. Ioannes Damascenus Epist. de Trisagio. *Seraphim*, inquit, *hanc vocem ter dixerunt, vocabulum autem Dominus semel dumtaxat, vt ostenderent tres quidem sanctas Hypostases, vnam autem trium dominationem, & vnum imperium & gloriam, essentiam & Deitatem, & vnum tres illas esse Sanctum Deum, nimirum Patrem Sanctum; Filium Sanctum, Spiritum Sanctum*; &c. 5. *Laudatur illo hymno SS. Trinitas.*

Pro mysterio SS. Trinitatis hymno ter sancto indicato vide præterea S. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 23. Nazianz. Oratione de Pascha S. Hieron. in 6. Isaiæ & ibi Interpretes.

Solet verò ad illud *Sanctus*, tinnitus dari nolâ vel cymbalo, tum ad laudem Dei, tum vt astantium animi excitentur ad futura mysteria, vt Gauant tomo 1. Thesauri Rituum par. 2. tit 7. Sic Leuitæ quondam sub sacrificium vetus argenteis clangebant tubis, quibus prouacaretur ad orationem populus Hebræus. 6. *Cur ad Sanctus datur signum cymbalo.*

Gabriel Lect. 19. in Canonem docet Dominum Deum dici Sanctum iuxta triplicem notionem istius vocis. Dicitur enim Sanctus firmus siue firmatus, à fanciendo: sic sanciebantur & firmabantur fœdera, idque sanguine hostiæ. 2. dicitur Sanctus quasi separatus ab omnibus curis & negotijs huius seculi, & hominum huius mundi sectatorum, conuersatione. 3. dicitur sanctus Græcè ἅγιος, inquit ipse, ab ἀ priuatiuo & γῆ q.d. sine terra, vel terrâ carens, ab omni terrena contagione eleuatus. Sic ferè Gabriel. Hæc optimè conueniunt diuinæ essentiæ, quæ firma est & immutabilis, ab omni imperfe- 7. *Triplex notio vocis Sanctus.*

perfectione separata, quia simpliciter perfectissima, & super omnem creaturam sine proportione eleuata, quia intensiuè infinita: Sic ergo optimè ter Sanctus dicitur. Sed circa *τὸ Sanctus*, aliqua veniunt notanda. Primum, illam originationem vocis *ἅγιος*, non esse probatam, licet linguæ Græcè non satis periti illam adferant vt conuenientem

8. *Vnde dicatur ἅγιος Deus.*

suo proposito. Porrò *ἅγιος* vel *ἅγιος* deriuatur proximè ab *ἅγος*, id est, res veneranda, quæ vox venit ab *ἅζω* vel *ἅζομαι* id est veneror. Vnde significabit *ἅγιος*, id est, sanctus venerandū, augustum, omni cultu dignissimū: nec hoc modo, sed etiam inuiolabilem, qui nulla iniuriâ vel possit vel debeat violari, pollui, aut profanari: vel religiosum: quæ mirè conueniunt summo numini; vnde ait S. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. *nihil nos pretiosius inuenire posse quo Deum prædicemus, nisi vt sanctum appellemus.*

9. *Docemur Dei sanctitatem & vereri & imitari.*

Ex dictis sequitur, quòd cùm Deum Sanctum inclamamus & ingeminamus, primùm docemur maximâ veneratione & tremore illum colere, & augustissimam eius plusquam Imperatoriam maiestatem honore quàm maximo prosequi; deinde conuenire, vt eius mundissimam naturam & perfectionem imitari studeamus. *Estote*, inquit, *sancti, quia ego sanctus sum*, Leuit. 19. *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est*: Matth. 5. Est ergo summa hominis perfectio in hoc sita, vt ad sui auctoris similitudinem proximè accedat tamquam ad primum suum principium & vltimum finem; sicut imaginis præcipua perfectio in eo consistit, vt suo exemplari sit quàm simillima. Quemadmodum verò monstro par videretur si lapis non descenderet, & ignis sursum non moueretur; ita æquè prodigiosum est, si homo Dei perfectionem, sanctitatem & similitudinem non æmuletur, cùm ad hoc à Deo conditus fuerit. Vide S Leonem Serm. 1. de ieiunio 10. mensis.

10. *Deus abyssus omnis sanctitatis.*

Insuper hæc verba nobis significant quod Deus fons, oceanus, & abyssus sit omnis sanctitatis, ex quo & Angeli & homines & ipse etiam Christus omnem suam puritatem, perfectionem & sanctitatem hauserunt.

11. *Quorsum vsurpet Ecclesia illa; Sanctus Deus Sanctus fortis, &c.*

Rursus Epithera quæ hymno Seraphico Græci & Latini in officio Parasceues addiderunt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*, maximè vsurpat Ecclesia ad euertendam hæresin Eutychetis, qui docebat vnam tantùm esse in Christo naturam, sicuti est vna persona, cumque illa videretur diuina potius esse quàm humana, inde colligebant hæretici Deū in se esse mortalē, & in Christo Deitatem esse passam & crucifixam, quod est hæreticum: vnde & condemnatus est Petrus Gnapheus, alias fullo, Eutychetis assecla, qui hymno Trisagio adiunxit: *Qui crucifixus est pro nobis*; quasi tota SS. Trinitas fuerit crucifixa, aut Trisagium soli competat filio, sitque Sancta Trinitas vna tantùm persona, scilicet Filius.

12. *Miraculum de Trisagio.*

Ad Doxologiam huius hymni illustrandam commemorabo prodigiosam historiam quam ex pluribus scriptoribus Græcis & Latinis refert Baron. Annal 6. Christi anno 446. Leonis Magni 7. Theodosij Iunioris 39. sic ergo habet Menologium Græcorum. *Die 24. Septembris imperante Theodosio terræ motus factus est magnus* (per totum ferè orbem terrarum) *& talis qualis numquam antea factus fuisse commemoretur: Quo factum est, vt totus populus vnà cum Imperatore & Patriarcha* (Proclo) *exierit extra vrbem* (Constantinopolim) *in locum qui dicitur Campus, propterea quod sine cessatione aliqua erat illa commotio. Cum igitur Imperator ipse Theodosius & Proclus Patriarcha & totus populus Litanijs Kyrie eleison &c. & supplicationibus diuinam opem implorarent, repente puerulus quidam de media turba in aë-*

rem rap'us est; omnibus autem præ timore clamantibus Kyrie eleison, descendit puer & voce magnam populum compellans monuit vt Trisagion (quod ab Angelis canentibus se audisse renuntiauit) *in hunc modum decantaret, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & Immortalis miserere nobis: quæ cùm dixisset, animam Deo reddidit & terræ motus quieuit.* Hæc ibi. Imperator verò Theodosius & Pulcheria Augusta tanto miraculo perculsi Constitutione Imperiali confestim vt per omnem orbem hymnus iste diuinus concineretur, decreuerunt, & ex eo tempore Ecclesia Christi eum, acceptum vsurpat. Hæc & plura Baronius, de quo videndus etiam Nicephorus lib. 14. cap. 46.

13. *SS. Trinitatis mysterium prodigio firmatum.* Multa hîc adferri possent, similitudines, symbola & prodigia quibus Deus mysterium SS. Trinitatis ostendit; sed ad alia propero. Attamen Memorabile est quod narrat Gregor. Turonens. lib. 1. de miraculis cap. 13. de tribus ex alto deciduis guttis, quæ super altare in patenam defluentes, in vnum coaluerunt cum omnium admiratione.

Cornelius à Lapide in Isaiæ 6. v. 3. commentans, auctor est fidelibus vt ex tribus Doxologijs, quas Ecclesia militans & triumphans frequentat, Rosarium SS. Trinitatis conficiant.

Prima est Seraphica Isaiæ 6. suprà: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: Plena est omnis terra gloriâ eius.*

Altera est Angelica Apocalypsi. 7. 12. *Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum Amen.*

Tertia est Ecclesiæ Catholicæ: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto; sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum Amen.*

14. *Rosarium SS. Trinitatis quale sit.* Hoc Rosarium edidit in Germania P. Nicolaus Serarius eximius SS. Trinitatis cultor, vt dicere memini lib. 1. de Horis Canon. cap. 30. Hoc verò modo instituetur, si ad maiores globulos Coronæ legat quis vnum Pater noster, & vnum Aue Maria, & ad quinquaginta globulos minores tres iam dictas Doxologias, vel si malit vnam ex tribus, vel prout libuerit. Hoc Rosarium magno pietatis sensu plures viri probi percurrunt: fructus autem illius fusè suprà prosequitur Cornelius.

Dominus Deus Sabaoth: Norunt linguæ sacræ docti *Sabaoth* idē esse quod Exercituū (vt habemus suprà in textu nostro Isaiæ 6.) vel virtutū, vel militiæ. Sic enim meritò Deus vocatur, cùm illi seruiant innumeræ Angelorum phalanges, vt omnia etiam illi seruire coguntur, etiam perditi homines, & dæmones, cùm voluerit. Est autem vnum ex decem nominibus Dei, vt docet Origenes lib. 1. contra Celsum & S. Hieron. Epist. ad Marcellam. Scitum etiam est in scriptura Angelos dici & esse milites Dei, cùm decertent contra Tartareas potestates. 15. *Quare dicatur Deus Sabaoth.*

Multa hîc ocurrunt scribenda de Angelorum numero; sed cùm passim id argumenti tractent Scholastici Doctores, volens hoc prætereo. Ceterùm Baptista Scortia lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 7. §. 5. fusè hoc prosequitur: alij enim, inquit, Angeli præsunt cælis, alij elementis, prouincijs, vrbibus, templis, altaribus, monasterijs, Regibus, exercitibus, singulis hominibus: vnde concludit multis partibus Angelos excedere multitudinem hominum, immo omnium creaturarum, cùm, si nihil obstet, Deus quæ perfectiora sunt in maiori numero producat, & illa pertineant ad perfectionem vniuersi, denique cùm Angeli incolæ sint cælorum, quorum immensitas comparata terræ infinita est, multò plures videntur debere esse Angeli, qui illos impleant & ornent, quàm omnium rerum species & indiuidua, quæ mundum tenent inferiorem. 16. *Numerus Angelorum maximus.*

feriorem. Hæc ille. Videat præterea Lector Franciscum Albertinum libello de Angelo Custode cap 2.

17. *Angeli Christum in altari cingunt tamquam apes.* Hoc propiùs ad rem nostram spectat, fieri hic mentionem ante Canonem exercituum Angelicorum, eò quòd paulò pòst in templo sancto adfuturus sit corporali præsentia, licet inaspectabili hominum oculis ipsorum Rex, quem ipsi adorare iubentur, cui assistere & ministrare desiderant, & instar examinis apum circumuolitant & coronant. Sic enim credendum est non minùs denso agmine stipari Christum cælestium spirituum, quàm à breuibus illis volatilibus, apibus, inquam, ipsarum Rex circumuallatur. Exsurge ergo, & eleuare mente Dei sacerdos, & animo conspice ante te altare circumcinctum plusquam duodecim legionibus Angelorum. Sed hæc suo loco ampliùs declaranda.

18. *Quomodo gloria Dei resplendeat in cælo & terrâ.* *Pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ.* In Isaia suprà prætermissum est *τὸ Cæli*, quod Ecclesia addidit maioris Dei laudationis gratiâ, cùm non minùs gloria Dei resplendeat in cœlis quàm in terra: namque canit Psaltes 18. Psalmo: *Cæli enarrant gloriam Dei* &c. & Psalmo 8. *Eleuata est magnificentia tua super cælos*: Sed Seraphim expresserunt terram multis de causis, tum quia putant aliqui, vt ante dixi, Isaiam vidisse Deum in templo Salomonis hîc in terra constructo, vbi gloriam suam aliquando ostendit per nebulam; tum quia vel maximè apparuit gloria in descensu Sancti Sanctorum filij Dei in terras, vbi & carnem assumpsit, in cuius Natiuitate multitudo militiæ cælestis Genethliacum hymnum personuit, *Gloria in altissimis Deo* &c. tū quia futurum erat, vt eodem Verbo Incarnato sub symbolis panis & vini se in altaribus Christianorum sistente, in templo eius omnes dicerent gloriam, Psalmo 28.9.

Ceterùm Cyrillus Alexandr. in 6. Isaiæ suprà, per *τὸ gloriam*, intelligit Dei misericordiam, vt ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei*; hæc autem maximè reddit Deum gloriosum; quia *est* (diffusa) *super omnia opera eius.* Psalm. 144. &, *Misericordiâ Domini plena est terra*, Psal. 32 5.

Sed latiùs Dei gloriam accipiamus, & extendamus. Dicamus itaque, Gloria nominis tui & eminentissimæ maiestatis cælum & terram implet, & in omnibus rebus, tamquam in speculo relucet. Siquidem potentiâ tuâ cæli, & ipsorum incolæ Angeli, & omnis virtus eorum condita est, & omnia illa admirabili tuâ Sapientiâ gubernantur, prouidentiâ conseruantur, vnde & argumentum præbent tuam bonitatem, potentiam, sapientiam, gloriam enarrandi.

Terra etiam ipsa, quique terrigenæ & filij hominum, dum nouis indies arborum, herbarum, volucrum, animantium ferarum, piscium, hominum productiones conspiciunt, copiosam materiam præ manibus habent, tua præconia celebrandi.

Rursus ipsi cælites dum contemplantur se æternâ gloriâ coronatos ex tua clara visione & fruitione, magnificentiam tuæ liberalitatis extollunt, ipsi quoque hic degẽtes mortales spe futuræ beatitudinis, in tua laude gloriantur.

Deinde, Clementissime Pater, per Incarnationem dilectissimi filij tui, per vitam, conuersationem, miracula, Passionem, mortem, Resurrectionem, Ascensionem, Apostolorũ prædicationem, Euangelium plenum celebritate nominis tui per totum orbem disseminatum, & gloriosam gratiam tuam abundantissimè in omnes effusam, claritas tua vbique refulsit, ex quo sancti omnes corde, ore, opere Encomia tua personant.

Præterea templa nostræ terrenæ huius

ius habitationis illuſtrantur glorioſo Corpore Chriſti tui in admirabile V. Euchariſtiæ Sacramento, quo fideles tui tamquam Panchreſto & ſaluberrimo alimento in vitam nutriuntur æternam.

Denique Diuinitas tua cælum & terram implet Ieremiæ 23. Nam ſuper omnia es non elatus,ſubtus omnia non non proſtratus,intra omnia non incluſus,extra omnia non excluſus. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Pſal. 105. 2.

19. *Quid Oſanna?* *Oſanna in excelſis*. Sumpſit Eccleſia τὸ, Hoſiana ex verbis Pſalmi 117. vbi ita habemus : *O Domine ſaluum me fac*, Hebraicè *Hoſiana*;quas voces mutuati ſunt Iudæi Matth. 21. accinentes Regi Chriſto, *Hoſiana; Benedictus qui venit in nomine Domini*.

Cæterùm ſignificat *Hoſiana* teſte S. Hieronymo Epiſt. ad Damaſum (qui litteris ab eo expoſitionem illius vocis expetierat) Salua,aut,Saluum fac,quæſo,vel obſecro. vnde Pſal. 117. ſupra ſic tranſlatum eſt, *ô Domine ſaluum me fac*. ſed in Hebræo deeſt τὸ *me*, & ſolum legitur,ſalua,quæſo ; Græci verò expoſitionis gratiâ addiderunt *me*.

Sic ergo Dauid præuidit & prædixit Chriſtum reprobandum à Phariſæis vt lapidem inutilem tempore ſuæ Paſſionis, & poſtea à Deo exaltandum in caput anguli tempore Reſurrectionis, ita etiam prænuntiauit hymnum triumphalem quem illi accenturi erant Hieroſolymitæ in die Palmarum, qui erat Prototypus Chriſti Reſurrectionis,quia vterque erat dies Dominicus. Canit itaque regius Pſaltes: *Exultemus, & lætemur in hac die, quam fecit Dominus, & dicamus Hoſiana; ô Domine, ſaluum fac, ô Dominè bene proſperare* in inchoato iſto regno tuo, *Benedictus* (ſic ab omnibus) *qui venit in nomine Domini*, Meſſias, inquam; Rex noſter miſſus à Deo Patre, vice,iuſſu,auctoritate ipſius. q.d. Deus benedicat & proſperet, glorioſum reddat regnum Meſſiæ Regis noſtri, qui ad nos ab eo miſſus.

Aduerte hic plures extare τὸ, *Hoſiana* expoſitiones, de quibus multa Steph. Durant. lib. 2. cap. 31. Baron. tomo 1. anno Chriſti 34. apud me pag. 142. & nouiſſimè Cornel. à Lapide Comment. in Matth. 21. Ioan. Baptiſta Scortia lib. 4. de Miſſa cap. 7. §. 7.

Quidam interpretantur Redemptionem & ſalutem, alij dicunt eſſe Interiectionem lætantis & obſecrantis, vt,Latini habent Euge,ohe,io, &c. Alij ſignificare volunt Laudem. Angelus, Caninius Tract. de nominibus Hebraicis &c.& eum ſecutus Baron. putant Oſanna eſſe ramos palmarum, ſalicum, vel aliarum arborum, quos olim Iudæi in feſto Scenopegiorum manibus ferebant. *Itaque*, inquit Caninius, *Chriſtum turba aduentantem hoc elogio exceperunt, fatentes ſe Hoſana, id eſt, ſalicum, palmarum, vel aliarum arborum ramos portare Filio Dauid, atque ita illum Meſſiam & Deum agnoſcere*, Quidquid autem ſit de his nomenclaturis, debent omnes illi Patres & auctores ſupponere illam notionem vocis Hoſanna, quam ſuprà adfert S. Hieronym. de qua etiam prolixiùs agit in caput. S. Matth. 21. oſtenditque illam compoſitam ex *Hoſchiath*, vel, vt alij volunt, *Hoſcha*, & & *Na*, id eſt, quæſo, & eſt Interiectio deprecantis. 20. *Plures eius expoſitiones.*

Nec malè, ſi conſtructionem Hebraicam ſequamur, acclamarunt turbæ Hoſanna Filio Dauid, caſu dandi *Salua Filio Dauid*, quia Hebraicè etiam cum illo conſtruitur, vt Latinè reddi poſſit, Fer opem filio Dauid, da ſalutem & proſperitatem Filio Dauid, vt & nos ſalui & felices ſub illo viuamus, ſicut nouo Regi acclamari ſolet,viuat Rex, io Triumphe : Quod felix, fauſtumque ſit, non ſolùm ſalua Chriſtum Regem noſtrum,ſed & ipſius meritis 21. *Optima eſt: Saluum fac filium Dauid.*

meritis nos omnes saluos redde. Sic enim data est Christo à Deo salus, vt ipse solus habeat virtutem omnes saluos faciendi.

Mens autem Ecclesiæ est verbis illis postulare nobis à Deo salutem, q. d. Salua nos, quæso, Christe Saluator. Ita S. Irenæus, Origenes, Hieronym. Beda. Vide Iansenium in Concordiâ & S. Bonauenturam in Expositione Missæ.

22. In excelsis *exponitur.* Porrò in Hebræorum carmine *Hosanna in Excelsis*, vel in Altissimis, vt habet Matth. cap. 21. commodè sic intelligitur, non, vt aliqui volunt, vt Deus qui in Altissimis habitat, Messiam saluet, sed potiùs vt Deus de excelso cælorum habitaculo sic saluet & prosperet Messiam, vt ei vim saluandi tribuat, & omnes in cælum & ad æternam salutem per gratiam suam perducat. Ita S. Isidorus, Iansen. alij, & vt Maldonat. in excelsis, id est, de excelsis redemptionem largiatur. Sic Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis* id est, de excelsis.

Rursus, vt quidam exponunt, significatur his verbis, Christo in carne apparente toti mundo salutem & pacem allatam, quæ vsque excelsos cælos se extenderet, vt hominum salus etiam ad Angelos pertingeret, quorum choros & numerum impleuit, vnde & cælestes spiritus etiam hoc hymno ad laudes Christo canendas inuitantur.

Denique in nostræ Præfationis Trisagio *Hosanna in excelsis* indicat nos non Christo, sed nobis per Christum salutem precari, vt & ipse ab omnibus benedicatur & colatur, ac vicissim benedictionem & gratiam suam copiosam de cælis excelsis in Ecclesiam suam effundat.

Sacerdos etiam ad illa, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Cruce se signat, vt Christus ostendatur à ligno Crucis regnare completè cœpisse, & ex illo omnem benedictionem cælestem & salutem in nos prouenisse.

CAPVT XIX.

Canon sacer, & eius antiquitas.

PRæmitto hîc verba Concilij Tridentini de Canone Missæ, quæ habentur Sess. 22. cap. 4. sic ait: *Cùm sancta sanctè administrari conueniat, sitq; hoc sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica vt dignè, reuerenterq; offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante seculis instituit,* 1. Canonis antiquitas & sanctitas. *ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus.*

Idem contra nostri æui Heterodoxos & hæreticos Canone 6. ibidem, hunc Anathematismum intorquet: *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoq; abrogandum esse*, anathema sit.

Ex his obseruo: primum, haberi hîc nomen Canonis, de quo paulò pòst: secundò, quia incertum est, quis sit illius auctor, is scilicet, qui ex toto in eum ordinem, prout nunc habemus, redactum concinnauerit, nobisque tradiderit, ideo hoc omisit; eius tamen antiquitatem satis declarat, cùm multis ante seculis eum ab Ecclesia institutum pronuntiat. Tertiò, eius materiam ex qua ostendit, cùm addit constare verbis Domini, Apostolorum traditionibus, & pijs Pontificum institutionibus: Postremò aduersus nouos Misoliturgos & Missæ mastigas definit Canonem ab omni errore purum, & nihil continere quod non pietatem & sanctitatem redoleat.

illi precatur Dei fauorem & gratiam, vt cœlesti luce illustratus perspicere clariùs valeat tāti sacrificij mysterium, & eidem mentem & vota adhibere. Mox idem deuotus populus Dei beneuolentiam Sacerdoti vouet vt iniunctum sibi ministerij munus dignè exequatur, & nō solùm externis cæremonijs altari deseruiat, sed Deum, qui spiritus est, in spiritu & veritate adoret. Vide Florum Magistrum initio expositionis Missæ. Mox subijcit Liturgus altiore voce intonans; *Sursum corda*; circa quæ aliqua occurrunt consideranda.

1. *Antiquissima est formula:* Sursum corda.

Et primò quidem Antiquitatem huius formulæ ostendunt Sancti Patres. S. Cyprian. Sermone (vel libro potius) de Oratione Dominica his verbis: *Quando stamus ad Orationem, vigilare & incūbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur: ideò & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissâ parat fratrum mentes dicendo;* Sursum corda, *vt dum plebs respōdet,* habemus ad Dominū, *admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. &c.* Vide in illum locū D. Iacobi Pamelij Annotationes.

Eamdem formulam in vsu fuisse seculo Apostolorum liquet tum ex S. Clemente lib. 8. Constitut. cap. 16. tum ex Liturgijs S. Iacobi & Græcorum: Meminerunt S. Cyrillus Catechesi 5. Chrysost. tum alibi, tum Homilia in Encænijs; S. Augustin. sæpissimè: vnum locum notasse sat erit. Sic ergo Sermone 44. de Tempore: *Corda fidelium cœlum sunt, quia in cœlum quotidie diriguntur; dicente Sacerdote* sursum corda; *securi respondent*; Habemus ad Dominum.

Porrò nihil aliud hoc carmine populus monetur, quàm vt horâ diuinorum mysteriorum ipsis etiam cœlestibus spiritibus venerandorum, mentem à terrenis curis auertat, & ad vnum Deum conuertat, vt cor suum inueniat ad orandum, quæ sursum sunt quærat, quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram, vbi est thesaurus noster, ibi sit & cor nostrum, ne putrescat defossum in terra. Argutè S. August. in Psalm. 85. *Non putrescit cor si leuatur ad Dominum: frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret leuares ad superiora; frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terrâ putrescere?* Thren. 3. 41. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Ne cadat super nos illud opprobrium Domini Isaiæ 29. 13. *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me; cor autem eius longè est à me.*

2. *Quis illius sensus?*

Gabriel suprà hanc Sacerdotis exhortationem sapidè & piè premit & exprimit, vbi inter alia: *Ait Sacerdos sursum intellectu veritatis, affectu caritatis, virtute conuersationis, rectitude intentionis.* Lege Chrysostom. Homil. in Psalm. 4. ad illud: *filij hominum vsquequo graui corde* &c. vbi sic loquitur: *Sursum corda, ne lutea fiant sed cœlestia, & à corde caro debet fieri alata.*

3. *Qui sursum cor habent similes Olympo, Aui Paradisi, Alaudæ, &c. conchæ Margaritiparæ.*

Huc pertinentia multa suggessi Comment. in Ecclesiastici cap. 51. 13. *Exaltasti super terram habitationem meam.* vbi inter cetera, eos quorum conuersatio in cœlis, & alta cœlorum petunt, contuli cum monte Thessaliæ Olympo qui nubes excedit, & mediam aëris regionem, nullis vapulat tempestatibus, &c. Item cum auicula, quæ inuenitur in Molluccis Insulis & dicitur Manucodiata, aliàs auis Paradisi, quæ numquam humi videtur, sed semper viuit in aëre, & alis sublata capite perpetuo cœlum suspicit, & rore pascitur &c. Alibi etiam lib. 1. de Horis Canonicis cap. 18. n. 40. attuli de Alauda aue, quam Romani Cassitam vel Galeritam

leritam dixêre, quæ quotidie septies in altum subuolat, & exiguum solum & quasi raptim pabulum è terra sumit.

Aiunt quidam conchas Margaritiferas, vulgò matres Perlarum, vt vniones & gemmas concipiant & pariant in mari sese cœlum versus aperire, & quasi hiare: addunt aliqui illas ex rore Margaritas concipere: alij ex fulgure. Sed vide de his Vlyssem Aldrouandum lib. 3. de Testaceis cap. 42.

Quidquid demum sit de vnionum generatione, docemur his sursum semper cor dirigere, vt spiritum salutis & vitę æternę concipere & parturire possimus.

4. *Cor nostrum est instar citharæ.* Obseruaui citharœdos fides suarum chelium hybernâ & humidâ aurâ linteis calefactis defricare, quia solent, illæ aëre frigido & madido laxari & mollescere, quo fit vt hebescant & vel exiguum vel nullum reddant sonum: Idem cordi nostro accidit, si semper terræ & eius luto adhærescat, & ad cœlestia non transferatur, vbi diuino amore incalescat. Sed hac de re aliàs plura.

5. *Responsio; Habemus ad Dominum, æquè vetus est.* Postremò populi responsio *Habemus ad Dominum*, etiam habetur in Liturgiâ S. Iacobi, Marci & aliorum.

S. Augustin. lib. de verâ religione cap. 3. *Si tundunt pectora, qui hæc implere conantur, ita vt quotidie per vniuersum orbem humanum genus vna pene voce respondeat sursum se habere cor ad Dominum*, quid adhuc *oscitamus crapulam hesternam*?

6. *Vt & illud, Gratias agamus Domino Deo, &c.* Pergit Sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* S. Cyrillus Hierosolym. Catechesi 5. Mystagog. *Postea clamat Sacerdos*: Sursum corda; *vos respondetis*: Habemus ad Dominum; *deinde dicit Sacerdos*: Gratias agamus Domino; *ad hoc vos subijcitis*: dignum & iustum est.

Eadem habentur in Liturgia S. Iacobi, Marci & Græcorum: meminit S. Clement. Cyprian. Chrysost. Aug.

7. *Iure inchoatur Præfatio à gratiarum actione.* Meritò autem exordio sanctæ Præfationis & Orationis à Dei glorificatione & gratiarum actione inchoamus. Nouimus Summum Sacerdotem Christum hoc Sacrificium gratias agendo instituisse, vnde & Eucharistiæ nomen accepit, id est Gratiarum actionis, vel benedictionis, vel bonæ gratiæ (illa enim omnia significat Eucharistia) Pertinet huc illud Sapientiæ 16. 28. vbi Scriptura loquens de manna huius sacrificij nobilissimo typo, sic ait: *Vt notum omnibus esset quoniam oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

8. *Quid Eucharistia.* Græcè pro *Benedictionem* est εὐχαριστίαν. Quamuis vero Eucharistia significet bonam gratiam, quæ recipitur; rectiùs tamen videtur hic accipienda pro grata animi significatione erga Deum (eodem etiam modo sumi potest Benedictio, scilicet pro gratia ob ministratum manna, & Dei laudatione) Quamuis, quis supremo Numini bene precatur, benedicit, & gratias agit, qui non statim à perenni bonorum fonte plura & maiora actis gratijs & dictis laudibus hauriat, & referat beneficia? Iure igitur hortatur Sacerdos Domino gratias agendum & benedicendum, vt beneficia potiora sumamus.

9. *Ethnici ab inuocatione Deorum sua opera inchoabant.* Scitum est scriptores profanos, Oratores, Poëtas, aliosq; à suorum Deorum laude duxisse dicendi, canendi, scribendi primordia. Testis huius moris Valerius Maximus Prologo libri primi ad Tiberium Cæsarem, *Si prisci*, inquit, *Oratores ab Ioue Opt. Max. benè orsi sunt; si excellentissimi vates à numine aliquo principia traxerunt, &c.* & Plinius exordio Panegyrici ad Traianum: *Bene, ait, ac sapienter maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere: Quod nihil ritè nihilque prouidenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicentur.* Omitto alios.

Spectat

10. *Docet hoc S. Ambros. Basil. Augustin.*

Spectat huc locus S. Ambrosij lib. 6. de Sacramentis cap. 5. *Non debes,* inquit, *quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante à laudibus Dei. Vnde & Oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, vt Iudicem fautorem sibi præstent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipere rogare Iudicem vt patienter dignetur audire. Audet & tertiò postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quartò quo modo incipit à laudibus Dei, sic debet in laude Dei desinere.* Hactenus S. Ambros. Vide etiam S. Basil. de Constit. Monasticis cap. 2. S. Chrysostom. Homil. 18. in 2. ad Corinth. 5. August. pluribus locis. Sic habet lib. 2. de bono perseuerantiæ. cap. 13. *In Sacramentis fidelium dicitur, vt sursum habeamus corda, quòd munus est Domini, de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonemur, & dignum & iustum est, respondent.* Eadem habet lib. de bono viduitatis cap. 16.

Subijcit verbis populi mox Sacerdos illa cõfirmans. *Verè dignũ est & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere &c.* Habentur hæc eadem in antiquis Liturgijs S. Iacobi, Marci, Basilij, & antiquis Patribus.

Explicantur hæc fusiùs & admodum piè à Scriptoribus Rituum, Durando in Rationali lib. 4. cap. 33. Innocentio lib. 3. Mysterior. Missæ, Floro Magistro in Exegesi Missæ, Gabriele Lectione 17. & 18.

11. *Explicatio verborum* dignum & iustum est.

Ego pauca strictim & fasceatim. Gratias agere Domino Deo nostro *dignum* est (cùm vicem rependere non possimus) quia est Dominus Deus noster: *Iustum, quia nos populus eius, & oues pascua eius*: dignum etiam, quia nos mera voluntate condidit: iustum, quia pura misericordiâ nos redemit: ęquum, quia gratuitò nos iustificat: salutare, quia nos perpetuò glorificat.

Rursum, dignum ratione summæ excellentiæ; iustum ratione prolixæ beneficentiæ; æquum ipso rationis pondere; salutare ratione promissionis salutis & redemptionis copiosissimæ.

Gratiæ autem ritè & debitè Deo aguntur, quando dona ipsius dignè accipiuntur, sapienter cognoscuntur, magna deuotione in ipsum referuntur: dignè verò accipiuntur, quando nos illis indignos iudicamus, & per hoc gratè accipimus, quando ea quæ reddimus à Domino esse minimè dubitamus: tum à nobis discretè cognoscuntur, quia scimus quæ à Deo donata sunt nobis: Magna autem deuotione in ipsum referuntur, dum ijs vtimur in finem propter quem dantur, & solum Deum magnificari ex illis optamus, dicentes cum S. Iuda in fine ipsius Epistolæ Catholicæ: *Soli Deo saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne seculum & nunc, & in omnia secula seculorum, Amen.*

Scribit non nemo conijci potuisse Protoplastos nostros non perseueraturos fuisse in statu Iustitiæ originalis, cum non legamus illos pro tantis beneficijs gratis à Deo acceptis gratias egisse. 12. *Adam non perseuerauit in gratiâ, quia gratias Deo non egit pro gratia.*

Vtitur porrò Ecclesia pluribus verbis & quasi synonymis, quia non potest satis dignè exprimere rationes & titulos, quibus obligamur Deo gratias agere. Dicitur Ecclesiastici 43. 32. *Glorificantes Dominum* (Glorificate) *quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis: maior est enim omni laude: Exultantes eum replemini virtute: ne laboretis: non enim comprehendetis:* q. d. ne cessetis à Dei laudibus quasi lassati, quamuis ne tunc quidem sitis eius magnitudinem comprehensuri. Vide in id loci Commentaria nostra. Solus Deus seipsum perfectè laudare potest, quia solus seipsum per- 13. *Non possumus sufficienter Deum laudare.*

perfectè cognoscit & comprehendit. Rectè obseruat Hugo Victorinus in Speculo cap. 3. in Officio diuino
14. *Laus Dei in ore nostro puerilis est.* Horarum Canon. Carmen *Benedicamus Domino*, in fine cantari puerili voce, & fere à pueris Symphoniacis, quia omnis laus respectu Dei puerilis est, quem laudamus, & quidquid hîc dici potest, minus est laude Dei: & additur, *Deo gratias.* q. d. Placet, vt pium est, in laude Dei superari. Lege S. Augustini Meditationes cap. 33. & 35. vbi inter cetera ita loquitur: *Immensus es Domine, & ideo sine mensura debes amari & laudari &c.* Itẽ cap. 10 eiusdem Soliloquiorum, quod est, de incomprehensibili laude Dei, vbi inter alia: *Laus tua, Domine, incomprehensibilis est, corde non comprehenditur, ore non mensuratur, aure non percipitur: quia ista transeunt, & laus tua Domine manet in æternum.* Idem in Psalm. 70. v. 9. qui est, *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnificentiam tuam. Quid est tota die? Sine intermissione. In prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti: cùm essem, quia salutem dedisti: cùm peccassem, quia ignouisti: cùm conuersus essem, quia adiuuisti: cùm perseuerassem, quia coronasti.* Hæc S. Augustin.

Per Christum Dominum nostrum. Tota laus & gratiarum actio, quam semper & vbique debemus Deo Patri, offertur per filium tamquã per Mediatorem. *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli.* &c.

15. *Christus dat Angelis Deum laudandi materiam.* Per Mediatorem siquidem Angelis data est laudis materia, quia eius mediatione perficitur eorum custodiæ effectus: & casus eorum reparatur defectus: & in custodia promouetur profectus. Ita Gabriel ex Alberto Magno. Adde Angelos per caritatem, quã ardent gratiás & beneficia hominibus per Christum collata, sua existimare, & propterea Deum laudare, & gratias agere. Deinde, per Christum Dei Patris Sapientiam, & ipsi conditi sunt, ad Coloss. primo.

Immo, iuxta quorumdam Doctorum sententiam, Christus Angelis omnia bona supernaturalia meruit, fidem spem, gratiam, caritatem & gloriam, &, vt caput, eadem in eos influit.

De nouem Angelorum choris multa suggerit Stephan. Durantus lib. 2. de Ritibus cap. 31. plura etiam adfert Ludouicus Cellotius in opere suo de Hierarchia & Hierarchis toto libro secundo, qui est de cœlesti Hierarchiâ, post S. Dionysium & alios ad quos Lectorem meum remitto: solùm paucula verba Præfationis explicatum dare pergo.

Tremunt potestates: dicuntur tremere ἀνθρωπινῶς παθῶς, ex propriæ fragilitatis consideratione, & diuinæ Maiestatis & omnipotentiæ contemplatione; quia omnis creatura quatumuis perfecta, comparata cum supereminente illo Numine, quod solum verè est, non modò parua, sed omnino nulla videtur. 16. *Quomodo tremunt Angeli?*

Cæli, cælorùmque virtutes &c. Per cœlos vel accipe cœlorum incolas spiritus, maximè hîc non expressos, nominatim, vt Cherubim, Thronos, Principatus &c. qui etiam more Scripturæ vocantur virtutes, id est, copiæ & exercitus in cœlis Deo militantes: vel ipsos cœlos corporeos, qui dicuntur Dei laudes celebrare obiectiuè, cum sua magnitudine, pulchritudine, motu, influxu, & effectis manifestant maximam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem in se relucentem, & præbent materiam & argumentum diuinæ laudis, & excitant ipsos Angelos, & mortales in terris degentes sui contemplatione defixos, ad communem Dominum deprædicandum, & sic & hominum voce, & Angelica mente ipsi cœli Deum celebrant. 17. *Qui cæli, & eorum virtutes.*

Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes: Hoc ardentissimum votum est terre- 18. *Votum Ecclesiæ*

R strís

militantis est voces coniungere Angelicis hymnus ſtris & militantis Eccleſiæ, vt (cum nouerit dignum & ſalutare eſſe ſemper & vbique Deum laudare, & gratias agere) voces, affectuſque totius populi Chriſtiani cœleſtium & triumphantium ciuium & Angelorum modulis ſocientur.

Quia verò præconia hominum vilium & miſerorum, quibus Dominum vniuerſi efferunt, ſimilia ſunt garritibus anſerum, dulciſonis olorum carminibus & concentibus interſtrepentium; ideo humili deprecatione ſupplicat Eccleſia Deo ſuo, vt ipſorum collaudantium voces cum Angelicis hymnis & admittere, & admiſcere dignetur.

Et meritò quidem hoc demiſsè poſtulat, quia nulla in re magis conſpirat & fœderatur mundana noſtra & terreſtris Reſpublica cum ſuprema illa & cœleſti, quàm ſi cum hac vno ſpiritu & voce vniuerſalis Domini & Dei continuè Encomia decantet: ſic enim noſtra conuerſatio, Græcè politia, in cœlis erit.

S. Bernardus Sermone 11. in Cantica ſub initium: *Nihil, ait, ita propriè quemdam terris repræſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum.*

S. Ambroſ. Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem: *Hæc Angelorum militia eſt ſemper eſſe in Dei laudibus.*

S. Baſil. Epiſt. 1. ad S. Gregor. Nazianz. *Quid beatius atque felicius quàm Angelorum choros in terris imitari? Mox quidem erumpente luce ad orationis ſtudium occurrere, hymniſque & canticis honorare Creatorem?*

Ita Reliqui ferè Patres, quos produxi lib. 1. de Horis Canonicis cap. 1. vbi hoc argumentum fusè deduxi, ad quod Lectorem meum remitto.

19. *Laus Dei eſt aurea fibula, quâ conuertitur* Breuiter, diuina laus & gratiarum actio eſt aurea quædam, vt ſic dixerim, fibula, quâ vtraque Reſpublica inferior & ſuperior conuertitur & cohæret, hoc dumtaxat excepto, quòd huius hymnodia & laudatio aſſidua ſit & non interrupta; illius verò intercurrentibus vitæ fluxæ neceſſitatibus crebrò relaxetur & infringatur. *vtraque Eccleſia. &c.*

Nihilominus quàm proximo poteſt interuallo Eccleſiaſtica Hierarchia in perpetuanda vtcumque Dei laude ſequitur cœleſtem, vt ſuprà perſpicuè demonſtraui.

Sic ſuperiores & inferiores fides in cœleſti cithara coniunctæ conſpirant, qua de re ſcriptum eſt Apocalypſ. 14. 2. Et audiui vocem ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Gratiſſima eſt hæc ſymphonia Deo noſtro, in qua chori caſtrorum Eccleſiæ noſtræ militantis cœleſtibus legionibus admiſcentur. *Et cantare pares, & reſpondere parati.*

Sed huius concentus hic finis modò ſit; & aſpiremus ad illum, cuius non erit vmquam finis.

Iuuerit interim quoſdam proferre S. Ioan. Chryſoſt. locos, qui præfationem noſtram illuſtrant. 20. *Sententia S. Chryſoſtomi, quibus Præfatio illuſtratur.*

Sic ſcribit Homil. 4. de Dei naturâ: *Cogita apud quem proximè ſtes, quibuſcum inuoces Deum, ſcilicet cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cœli Virtutibus: animaduerte quos habeas ſocios: ſatis hoc tibi ſit ad ſobrietatem* (modeſtiam) *cùm recordaris te corpore conſtantem, in carne compagmentatum admitti cum Virtutibus incorpore s commendare omnium Dominum. Nemo igitur animo reſoluto ſacras illas, ac myſticas laudes ineat ſocius, nemo rerum ac humanæ vitæ conſilia illo tempore volutet, ſed omni terrena ſorde animo depulsâ, in cœlum quiſque ſe totum transferat, vtpote qui propinquus ſolio gloriæ ſtet & cum Seraphim volitet, atque ita laudem ſanctiſſimam referat ſummo, optimo, glorioſiſſimo Deo;* &c.

Idem homil. 26. in Geneſim: *Non vt noſtrâ gratiarum actione opus habens, ſibi gratias agi vult, ſed vt quidquid id lucri eſt, iterum ad nos redeat & dignos nos faciamus maioribus ſubſidijs. Quamuis autem non poſſimus facere*

cere vt dignum est (nam quomodo id fieri posset cùm tam fragiles naturâ simus? Et quare duo humanam naturam? Ipsæ etiam incorporeæ & inuisibiles Virtutes, ac Principatus ac Potestates & Cherubim, vt dignus est, glorificare illum non possunt, etiam si iuxta vires gloriam illi offerant.) Nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actiones offerre, & indesinenter glorificare Dominum nostrum & per benedictionem crebram & per vitam optimam.

Rursus homil. 26. in Matthæum: *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, ac propterea gratiarum actio. Propterea reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ omni congregatione Ecclesiæ celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupantur. Sunt enim beneficiorum plurimorum recordatio, caput ipsum diuinæ erga nos caritatis ostendunt, nosque faciunt semper Deo debitas gratias exsoluere. Ideo altari assistens Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, & postea futuri sunt, sacrificio illo proposito Deo nos gratias iubet offerre.* Hactenus ille non aliena à nostro proposito.

21. *Sensus particularium Præfationum.* Præfationes particulares quæ certis anni temporibus, vt Quadragesimæ, &c. & in præcipuis festiuitatibus, vt Paschatis & alijs, pronuntiantur, interserunt mysteria & beneficia, quæ tunc sancta veneratur & recolit Ecclesia: & fructum nobis manifestant, qui ex Dei misericordia, benignitate, humanitate, vt vberrimo fonte, in Christianum populum promanant: & continuari ac perpetuari postulant gratias & bona, quæ Deus aliquando nobis communicauit; vt facilè colligetur, qui attentè singulas mente peruoluerit.

CAPVT XVIII.

Hymnus Trisagios, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

EST hæc præfationis clausula sanctissima, & antiquissima, vt constat ex Liturgijs S. Iacobi, Basilij, Chrysost. & à prioribus quidem duobus vocatur hymnus Triumphalis: vel quia Seraphim Isaiæ 6. 5. Deo ipsum accinuerunt tamquam carmen Epinicium, Sancta item quatuor animalia Apocalyps. 4. 8: vel quia partem eius Christo Domino mortis & peccati Triumphatori pueri Hebræorum concinuerunt cum palmarum ramis victoriæ symbolis illi obuiantes & Osanna personantes. 1. *Trisagij antiquitas à tempore Apostolorum.* 2. *Quare Triumphalis dicatur.*

Meminerunt eiusdem S. Clemens lib. 8. Constitut. Apostolica. cap. 16. Concilium etiam Vasense celebratum sub Leone Magno Can. 45. constituit vt in omnibus Missis diceretur, cùm ante in quibusdam omitteretur, vt Quadragesimæ & defunctorum.

Itaque Epinicius hic hymnus iam inde ab Apostolis Ecclesiæ Catholicæ traditus est: vnde audiendi non sunt qui dicunt S. Sixtum primum addidisse illum officio Missæ.

Porrò animaduersione dignum est quod tradit Hieron. Pradus Societ. nostræ scribens in primam visionem Ezechielis sect. 6. & conferens istam visionem cum illa Isaiæ 6. in qua visi sunt Seraphim clamare Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum &c: putat enim Seraphicos illos spiritus Isaiæ eosdem esse cum Cherubicis Ezechielis, & ait eosdem, è cœlis descendisse in templum Salomonis, ibique hymno Trisagio & Epinicio Deum collaudasse. Sic ille & rectè quidem: nam Salomon templum 3. *Triumphalem hymnum cecinit*

ucrunt Angeli in templo Salomonis interprete Prado, & quare.

suum exstruxerat, & dicauerat Deo νικοποιῷ, id est victori & victoriarum largitori, propter illustres victorias & triumphos, quos pater eius Dauid ex Dei hostibus reportarat, vt docet Alcazar in Apocalyp. Cornel. in Ezechiel. quod manifestè ostendunt cælatæ passim effigies in parietibus templi tum Cherubinorum in forma iuuenum alatorum, tum palmarum, clarissima Hieroglyphica victoriæ.

Quamuis autem verisimilius sit visionem illam Seraphinorum Amoebæo seu alterno carmine Deum celebrantium oblatam fuisse Isaiæ vati in cœlo, & è cœlo, non autem in templo Salomonis, vt est communis Interpretum sententia; fauet tamen proposito nostro illa Pradi explicatio.

4. *Excitant nos Seraphim ad hymnum Trisagion alacriter canendum.*

Si enim spiritus illi Hebraicè ab ardore Seraphim dicti se mutuo vicissim ad Deo carmen triumphale pangendum animarunt, & volaturiendo, quasi percussu alarum ad illud alacriter faciendum in templo sancto quasi inflammarunt; profectò nos mortales, Dei tamen Altissimi Sacerdotes, excitant, & insinuant idem in Templo Dei laudes iterandi vsurpandum esse ministerium; vbi Christus non quidem sedens super solium excelsum & eleuatum, & fimbrijs gloriosæ maiestatis suæ ædem replens, sed in sacrificio Eucharistico se nobis præsentem exhibet humilibus panis & vini symbolis coopertus. Ardeamus ergo & nos Liturgi Deo consecrati ad cœlicum & Trisagion melos concinendum cum amore summi numinis flagrantibus incorporeis mentibus, præcinentibus nobis Choragis Angelis, æthereæ curiæ Archiphonascis; secuti monitū S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 13. Mystag. *Studiosi*, inquit, *Ecclesiæ Psalmistæ Angelicos imitantes exercitus semper Deum laudibus celebrant.*

Ceterùm luce clarius est carmine illo quod Græci Trisagion, id est, ter sanctum indigetant, laudari Deum trinum in Personis, vnum in essentiâ: trinum quidem dum canitur ter Sanctus; vnum verò dum additur, Dominus Deus Sabaoth. Ita docent plures veterum Patrum, quos citat Stephan. Durant. lib. 2. cap. 31. Vnus prodeat S. Ioannes Damascenus Epist. de Trisagio. *Seraphim*, inquit, *hanc vocem ter dixerunt, vocabulum autem Dominus semel dumtaxat, vt ostenderent tres quidem sanctas Hypostases, vnam autem trium dominationem, & vnum imperium & gloriam, essentiam & Deitatem, & vnum tres illas esse Sanctum Deum, nimirum Patrem Sanctum, Filium Sanctum, Spiritum Sanctum*; &c.

5. *Laudatur illo hymno SS. Trinitas.*

Pro mysterio SS. Trinitatis hymno ter sancto indicato vide præterea S. Ambrof. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 23. Nazianz. Oratione de Pascha S. Hieron. in 6. Isaiæ & ibi Interpretes.

6. *Cur ad Sanctus datur signum cymbalo.*

Solet verò ad illud *Sanctus*, tinnitus dari nolâ vel cymbalo, tum ad laudem Dei, tum vt astantium animi excitentur ad futura mysteria, vt Gauant. tomo 1. Thesauri Rituum par. 2. tit 7. Sic Leuitæ quondam sub sacrificium vetus argenteis clangebant tubis, quibus prouacaretur ad orationem populus Hebræus.

7. *Triplex notio vocis* Sanctus.

Gabriel Lect. 19. in Canonem docet Dominum Deum dici Sanctum iuxta triplicem notionem istius vocis. Dicitur enim Sanctus firmus siue firmatus, à sanciendo: sic sanciebantur & firmabantur fœdera, idque sanguine hostiæ. 2. dicitur Sanctus quasi separatus ab omnibus curis & negotijs huius seculi, & hominum huius mundi sectatorum, conuersatione. 3. dicitur sanctus Græcè ἅγιος, inquit ipse, ab ἀ priuatiuo & γῆ, q.d. sine terra, vel terrâ carens, ab omni terrena contagione eleuatus. Sic ferè Gabriel. Hæc optimè conueniunt diuinæ essentiæ, quæ firma est & immutabilis, ab omni imperfe-

perfectione separata, quia simpliciter perfectissima, & super omnem creaturam sine proportione eleuata, quia intensiuè infinita: Sic ergo optimè ter Sanctus dicitur. Sed circa *τὸ Sanctus* aliqua veniunt notanda. Primum, illam originationem vocis ἅγιος, non esse probatam, licet linguæ Græcè non satis periti illam adferant vt conuenientem

8. *Vnde dicatur ἅγιος Deus.* suo proposito. Porrò ἅγιος vel ἅγιος deriuatur proximè ab ἅγος, id est, res veneranda, quæ vox venit ab ἅζω vel ἅζομαι id est veneror. Vnde significabit ἅγιος, id est, sanctus venerandũ, augustum, omni cultu dignissimũ: nec hoc modo, sed etiam inuiolabilem, qui nulla iniuriâ vel possit vel debeat violari, pollui, aut profanari: vel religiosum: quæ mirè conueniunt summo numini: vnde ait S. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. *nihil nos pretiosius inuenire posse quo Deum prædicemus, nisi vt sanctum appellemus.*

9. *Docemur Dei sanctitatem & vereri & imitari.* Ex dictis sequitur, quòd cùm Deum Sanctum inclamamus & ingeminamus, primum docemur maximâ veneratione & tremore illum colere, & augustissimam eius plusquam Imperatoriam maiestatem honore quàm maximo prosequi; deinde conuenire, vt eius mundissimam naturam & perfectionem imitari studeamus. *Estote, inquit, sancti, quia ego sanctus sum*, Leuit. 19. *Estote perfecti sicut Pater vester perfectus est*: Matth. 5. Est ergo summa hominis perfectio in hoc sita, vt ad sui auctoris similitudinem proximè accedat tamquam ad primum suum principium & vltimum finem; sicut imaginis præcipua perfectio in eo consistit, vt suo exemplari sit quàm simillima. Quemadmodum verò monstro par videretur si lapis non descenderet, & ignis sursum non moueretur; ita æquè prodigiosum est, si homo Dei perfectionem, sanctitatem & similitudinem non æmuletur, cùm ad hoc à Deo conditus fuerit. Vide S Leonem Serm. 1. de ieiunio 10. mensis.

Insuper hæc verba nobis significant quod Deus fons, oceanus, & abyssus sit omnis sanctitatis, ex quo & Angeli & homines & ipse etiam Christus omnem suam puritatem, perfectionem & sanctitatem hauserunt. 10. *Deus abyssus omnis sanctitatis.*

Rursus Epithera quæ hymno Seraphico Græci & Latini in officio Parasceues addiderunt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*, maximè vsurpat Ecclesia ad euertendam hæresin Eutychetis, qui docebat vnam tantùm esse in Christo naturam, sicuti est vna persona, cumque illa videretur diuina potius esse quàm humana, inde colligebant hæretici Deũ in se esse mortalẽ, & in Christo Deitatem esse passam & crucifixam, quod est hæreticum: vnde & condemnatus est Petrus Gnapheus, alias fullo, Eutychetis assecla, qui hymno Trisagio adiunxit: *Qui crucifixus est pro nobis*; quasi tota SS. Trinitas fuerit crucifixa, aut Trisagium soli competat filio; sicque Sancta Trinitas vna tantùm persona, scilicet Filius. 11. *Quorsum vsurpet Ecclesia illa; Sanctus Deus Sanctus fortis, &c.*

Ad Doxologiam huius hymni illustrandam commemorabo prodigiosam historiam quam ex pluribus scriptoribus Græcis & Latinis refert Baron. Annal 6. Christi anno 446. Leonis Magni 7. Theodosij Iunioris 39. sic ergo habet Menologium Græcorum. 12. *Miraculum de Trisagio.* *Die 24. Septembris imperante Theodosio terræ motus factus est magnus* (per totum ferè orbem terrarum) *& talis qualis numquam antea factus fuisse commemoretur: Quo factum est, vt totus populus vnà cum Imperatore & Patriarcha* (Proclo) *exierit extra vrbem* (Constantinopolim) *in locum qui dicitur Campus, propterea quod sine cessatione aliqua erat illa commotio. Cum igitur Imperator ipse Theodosius & Proclus Patriarcha & totus populus Litanijs Kyrie eleison &c. & supplicationibus diuinam opem implorarent, repente puerulus quidam de media turba in aë-*

rem raptus est; omnibus autem præ timore clamantibus Kyrie eleison, descendit puer & voce magnam populum compellans monuit vt Trisagion (quod ab Angelis canentibus se audisse renuntiauit) *in hunc modum decantaret, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis: quæ cùm dixisset, animam Deo reddidit & terræ motus quieuit.* Hæc ibi. Imperator verò Theodosius & Pulcheria Augusta tanto miraculo perculsi Constitutione Imperiali confestim vt per omnem orbem hymnus iste diuinus concineretur, decreuerunt, & ex eo tempore Ecclesia Christi eum, acceptum vsurpat. Hæc & plura Baronius, de quo videndus etiam Nicephorus lib. 14. cap. 46.

13. *SS. Trinitatis mysterium prodigio firmatum.* Multa hîc adferri possent, similitudines, symbola & prodigia quibus Deus mysterium SS. Trinitatis ostendit; sed ad alia propero. Attamen Memorabile est quod narrat Gregor. Turonens. lib. 1. de miraculis cap. 13. de tribus ex alto deciduis guttis, quæ super altare in patenam defluentes, in vnum coaluerunt cum omnium admiratione.

Cornelius à Lapide in Isaiæ 6. v. 3. commentans, auctor est fidelibus vt ex tribus Doxologijs, quas Ecclesia militans & triumphans frequentat, Rosarium SS. Trinitatis conficiant.

Prima est Seraphica Isaiæ 6. suprà: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: Plena est omnis terra gloriâ eius.*

Altera est Angelica Apocalyps. 7. 12. *Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula seculorum Amen.*

Tertia est Ecclesiæ Catholicæ: *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto; sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum Amen.*

14. *Rosarium SS. Trinitatis quale sit.* Hoc Rosarium edidit in Germania P. Nicolaus Serarius eximius SS. Trinitatis cultor, vt dicere memini lib. 1. de Horis Canon. cap. 30. Hoc verò modo instituetur, si ad maiores globulos Coronæ legat quis vnum Pater noster, & vnum Aue Maria, & ad quinquaginta globulos minores tres iam dictas Doxologias, vel si malit vnam ex tribus, vel prout libuerit. Hoc Rosarium magno pietatis sensu plures viri probi percurrunt: fructus autem illius fusè suprà prosequitur Cornelius.

Dominus Deus Sabaoth: Norunt linguæ sacræ docti *Sabaoth* idē esse quod Exercituū (vt habemus suprà in textu nostro Isaiæ 6.) vel virtutū, vel militiæ. Sic enim meritò Deus vocatur, cùm illi seruiant innumeræ Angelorum phalanges, vt omnia etiam illi seruire coguntur, etiam perditi homines, & dæmones, cùm voluerit. Est autem vnum ex decem nominibus Dei, vt docet Origenes lib. 1. contra Celsum & S. Hieron. Epist. ad Marcellam. Scitum etiam est in scriptura Angelos dici & esse milites Dei, cùm decertent contra Tartareas potestates. 15. *Quare dicatur Deus Sabaoth.*

Multa hîc ocurrunt scribenda de Angelorum numero; sed cùm passim id argumenti tractent Scholastici Doctores, volens hoc prætereo. Ceterùm Baptista Scortia lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 7. §. 5. fusè hoc prosequitur; alij enim, inquit, Angeli præsunt cælis, alij elementis, prouincijs, vrbibus, templis, altaribus, monasterijs, Regibus, exercitibus, singulis hominibus: vnde concludit multis partibus Angelos excedere multitudinem hominum, immo omnium creaturarum, cùm, si nihil obstet, Deus quæ perfectiora sunt in maiori numero producat, & illa pertineant ad perfectionem vniuersi, denique cùm Angeli incolæ sint cælorum, quorum immensitas comparata terræ infinita est, multò plures videntur debere esse Angeli, qui illos impleant & ornent, quam omnium rerum species & indiuidua, quæ mundum tenent inferiorem. 16. *Numerus Angelorum maximus.*

feriorem. Hæc ille. Videat præterea Lector Franciscum Albertinum libello de Angelo Custode cap 2.

17. *Angeli Christum in altari cingunt tamquam apes.* Hoc propiùs ad rem nostram spectat, fieri hic mentionem ante Canonem exercituum Angelicorum, eò quòd paulò pòst in templo sancto adfuturus sit corporali præsentia, licet inaspectabili hominum oculis ipsorum Rex, quem ipsi adorare iubentur, cui assistere & ministrare desiderant, & instar examinis apum circumuolitant & coronant. Sic enim credendum est non minùs denso agmine stipari Christum cælestium spirituum, quàm à breuibus illis volatilibus, apibus, inquam, ipsarum Rex circumuallatur. Exsurge ergo, & eleuare mente Dei sacerdos, & animo conspice ante te altare circumcinctum plusquam duodecim legionibus Angelorum. Sed hæc suo loco ampliùs declaranda.

18. *Quomodo gloria Dei resplendeat in cælo & terrâ.* *Pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ.* In Isaia suprà prætermissum est τὸ *Cæli*, quod Ecclesia addidit maioris Dei laudationis gratiâ, cùm non minùs gloria Dei resplendeat in cœlis quàm in terra: namque canit Psaltes 18. Psalmo: *Cæli enarrant gloriam Dei* &c. & Psalmo 8. *Eleuata est magnificentia tua super cælos*: Sed Seraphim expresserunt terram multis de causis, tum quia putant aliqui, vt ante dixi, Isaiam vidisse Deum in templo Salomonis hic in terra constructo, vbi gloriam suam aliquando ostendit per nebulam; tum quia vel maximè apparuit gloria in descensu Sancti Sanctorum filij Dei in terras, vbi & carnem assumpsit, in cuius Natiuitate multitudo militiæ cælestis Genethliacum hymnum personuit, *Gloria in altissimis Deo* &c. tū quia futurum erat, vt eodem Verbo Incarnato sub symbolis panis & vini se in altaribus Christianorum sistente, in templo eius omnes dicerent gloriam, Psalmo 28.9.

Ceterùm Cyrillus Alexandr. in 6. Isaiæ suprà, per τὸ *gloriam*, intelligit Dei misericordiam, vt ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei*; hæc autem maximè reddit Deum gloriosum; quia *est* (diffusa) *super omnia opera eius*. Psalm. 144. &, *Misericordiâ Domini plena est terra*, Psal. 32 5.

Sed latiùs Dei gloriam accipiamus, & extendamus. Dicamus itaque, Gloria nominis tui & eminentissimæ maiestatis cælum & terram implet, & in omnibus rebus, tamquam in speculo relucet. Siquidem potentiâ tuâ cæli, & ipsorum incolæ Angeli, & omnis virtus eorum condita est, & omnia illa admirabili tuâ Sapientiâ gubernantur, prouidentiâ conseruantur, vnde & argumentum præbent tuam bonitatem, potentiam, sapientiam, gloriam enarrandi.

Terra etiam ipsa, quique terrigenæ & filij hominum, dum nouis indies arborum, herbarum, volucrum, animantium ferarum, piscium, hominum productiones conspiciunt, copiosam materiam præ manibus habent, tua præconia celebrandi.

Rursus ipsi cælites dum contemplantur se æternâ gloriâ coronatos ex tua clara visione & fruitione, magnificentiam tuæ liberalitatis extollunt, ipsi quoque hic degẽtes mortales spe futuræ beatitudinis, in tua laude gloriantur.

Deinde, Clementissime Pater, per Incarnationem dilectissimi filij tui, per vitam, conuersationem, miracula, Passionem, mortem, Resurrectionem, Ascensionem, Apostolorū prædicationem, Euangelium plenum celebritate nominis tui per totum orbem disseminatum, & gloriosam gratiam tuam abundantissimè in omnes effusam, claritas tua vbique refulsit, ex quo sancti omnes corde, ore, opere Encomia tua personant.

Præterea templa nostræ terrenæ huius

meritis nos omnes saluos redde. Sic enim data est Christo à Deo salus, vt ipse solus habeat virtutem omnes saluos faciendi.

Mens autem Ecclesiæ est verbis illis postulare nobis à Deo salutem, q. d. Salua nos, quæso, Christe Saluator. Ita S. Irenæus, Origenes, Hieronym. Beda. Vide Iansenium in Concordiâ & S. Bonauenturam in Expositione Missæ.

22. In excelsis exponitur. Porrò in Hebræorum carmine *Hosanna in Excelsis*, vel in Altissimis, vt habet Matth. cap. 21. commodè sic intelligitur, non, vt aliqui volunt, vt Deus qui in Altissimis habitat, Messiam saluet, sed potiùs vt Deus de excelso cælorum habitaculo sic saluet & prosperet Messiam, vt ei vim saluandi tribuat, & omnes in cælum & ad æternam salutem per gratiam suam perducat. Ita S. Isidorus, Iansen. alij, &, vt Maldonat. in excelsis, id est, de excelsis redemptionem largiatur. Sic Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis* id est, de excelsis.

Rursus, vt quidam exponunt, significatur his verbis, Christo in carne apparente toti mundo salutem & pacem allatam, quæ vsque excelsos cælos se extenderet, vt hominum salus etiam ad Angelos pertingeret, quorum choros & numerum impleuit, vnde & cælestes spiritus etiam hoc hymno ad laudes Christo canendas inuitantur.

Denique in nostræ Præfationis Trisagio *Hosanna in excelsis* indicat nos non Christo, sed nobis per Christum salutem precari, vt & ipse ab omnibus benedicatur & colatur, ac vicissim benedictionem & gratiam suam copiosam de cælis excelsis in Ecclesiam suam effundat.

Sacerdos etiam ad illa, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Cruce se signat, vt Christus ostendatur à ligno Crucis regnare completè cœpisse, & ex illo omnem benedictionem cælestem & salutem in nos prouenisse.

CAPVT XIX.

Canon sacer, & eius antiquitas.

PRæmitto hîc verba Concilij Tridentini de Canone Missæ, quæ habentur Sess. 22. cap. 4. sic ait: *Cùm sancta sanctè administrari conueniat, sitq; hoc sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica vt dignè, reuerenterq; offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante seculis instituit,* 1. Canonis antiquitas & sanctitas. *ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus.*

Idem contra nostri æui Heterodoxos & hæreticos Canone 6. ibidem, hunc Anathematismum intorquet: *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoq; abrogandum esse*, anathema sit.

Ex his obseruo: primum, haberi hîc nomen Canonis, de quo paulò pòst: secundò, quia incertum est, quis sit illius auctor, is scilicet, qui ex toto in eum ordinem, prout nunc habemus, redactum concinnauerit, nobisque tradiderit, ideo hoc omisit; eius tamen antiquitatem sátis declarat, cùm multis ante seculis eum ab Ecclesia institutum pronuntiat. Tertiò, eius materiam ex qua ostendit, cùm addit constare verbis Domini, Apostolorum traditionibus, & pijs Pontificum institutionibus: Postremò aduersus nouos Misoliturgos & Missæ mastigas definit Canonem ab omni errore purum, & nihil continere quod non pietatem & sanctitatem redoleat.

Primò igitur dicendum, ordinem rituum & orationum qui à fine Præfationis vsque ad Precationem Dominicam, & secundum quosdam etiam vsque ad consummationem sacræ Communionis continetur, iure Canonem nuncupari. Est enim Canon hic certa, fixa, & inuariata (paucis verbis exceptis, quæ præcipuorum festorum diebus interponuntur) regula & ordo rituum & precum, quam sacerdotes, dum faciunt, sine culpâ prætergredi non possunt, cùm cetera quæ in officio Missæ præcedunt & sequuntur, sæpius immutentur pro temporum ratione.

2. *Quid sit Canon.*

3. *Varia eius nomina.*

Varijs etiam nominibus appellatur, vt Regula Ecclesiastica, id est Regularis Sacramentorum confectio & celebratio.

Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum vocat *Legitimum, quod in Sacramentorum mysterio præteriri non potest.* Isidorus lib. 1. de Officijs cap. 16. *Ordinem precum, quo sacrificia Deo oblata consecrantur.* Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. c. 22. & alij indigerant *Actionem*, quia in eo peragitur augustissimi sacrificij confectio, cùm cetera potiùs verbis quàm actione constent, vel quia hîc exhibetur actio excellentissima, quæ ita nuncupatur κατ᾽ ἐξοχήν.

De auctore non est quod solicitè quæramus, cùm ex verbis Tridentini suprà manifestum sit partem illius continere verba, Christi, partem ab Apostolis (& maximè à S. Petro) traditam, alia verò à Summis Pontificibus instituta; saltem vsque ad S. Gregorium Magnum post quem nullus quidquam addidit.

4. *Scholasticus non est illius auctor.*

Vnde non satis verisimiliter auctorem Canonis aliqui faciunt Scholasticum quemdam, qui vixit ante S. Gregorij tempora, quem quidam putant fuisse Gelasium: alij existimant hoc nomen non esse proprium viri, sed appellatiuum. q. d. virum litteratum & eruditum.

Olim Scholastici vocabantur viri docti & præclari, cuiusmodi præficiebantur scholæ Christianorum ad eos instituendos, qui ex Judæis vel Gentilibus, ad fidem Orthodoxam conuertebantur: tales fuerunt Pantenus, Clemens Alexandrin. Origenes, Didymus, & similes, vt constat ex ipsomet Gregorio, Hieron. August. Vnde & Scholastici nomen hodieque est dignitatis vocabulum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs.

Ceterùm ætate Scholastici illius, quicumque tandem is fuerit, Canon noster antiquior est, vt constat ex S. Clemente, Dionysio, Alexandro primo, Cypriano infrà citandis, cùm ad singula Canonis verba exponenda peruenero.

Fauet autem vel maximè huic rei S. Augustin. Epist. 59. ad Paulinum, vbi dicit, *Precationes Ecclesiæ factas in celebratione Sacramentorum Dominicâ oratione concludi*: & S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Inuocationis*, ait, *verba, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis quis Sanctorum scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, vel Euangelium, verùm alia quoque ante & post dicimus tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.*

Vigilius item Papa 25. annis ante S. Gregorium dicit se Canonem Missæ ex Apostolica traditione accepisse. Omitto alios. Vide cap. *Cùm Marthæ*, de celebratione Missarum.

Quidquid tandem sit, certum est orationes Canonis esse Scholastico priores: fortè tamen hæc verba; *Per quem hæc omnia, Domine semper bona creas* &c. ipse adiecerit: vel potiùs orationes illas quæ dicuntur pòst *Agnus Dei*; quę tamen, vt pòst dicetur, non sunt de Canone: vel certè aliquam aliam precem.

cem. (Vide Alphonſ. Salmeron. tom. 9. tract. 32.) nam S. Gregor. non ſcribit illum totum Canonem confeciſſe, ſed ſolùm precem.

5. *Videtur Canonis auctor S. Petrus.* Vnde ſubſcribo S. Iſidoro qui lib. 1. de Offic. c. 15. Canonem ſeu ritum celebrandi, quo vtitur Eccleſia Romana, tribuit S. Petro; ſic tamen vt nolim negare Pontifices quoſdam vſque ad S. Gregor. paucula addidiſſe, vt & ipſum Gregorium. Concedo etiam Romanos Pontifices Canonem in meliorem ordinem redegiſſe, quædam addendo, vel demendo, vel reſtituendo, vt ſuo loco memorabitur.

Sùmma hæc ſit: quandoquidem nullum Concilium, nullus Patrum etiam antiquiſſimorum prodiderit Canonis auctorem, non potuiſſe ad nos peruenire niſi Apoſtolica traditione iuxta receptam, S. Auguſtini Regulam ante productam.

Ceterùm more antiquo Canon ſecretò legitur; cur autem hoc fiat plures ſuprà lib. 1. cap. 27. rationes attuli, quibus adde, ſacerdotem tunc ingredi Sancta Sanctorum, quæ olim velo tegebantur, vt Pontifex attentiùs orare poſſet. Vnde etiam Canon à quibuſdam Secretum appellatur.

CAPVT XX.

Prima pars Canonis.

1. *Canon finitur ante Orationem Dominicam.* SVnt qui doceant Canonem finiri clauſulà illà verborum, *Per omnia ſecula ſeculorum*, quæ clara & alta voce pronuntiantur vel canuntur ante Dominicam Orationem: & ratio eſt, quia cùm omnes orationes ab initio Canonis, quod eſt, *Te igitur*, &c. dictæ ſint ſecretò & voce ſubmiſsâ, quæ ſequuntur poſtea v.g. *Præceptis ſalutaribus moniti*, &c. voce elatiore & aliquoties in cantum flexa perſonant.

Accedit, quod in officio diei Paraſceues: quia Canon totus omittitur, & nulla fit conſecratio, immediatè poſt ablutionem manuum dicatur ſolùm Oratio Dominica, ergo illa ad Canonem non pertinet.

Præterea orationes aliquæ, earum ſaltem quæ ſequuntur, non ſunt adeò antiquæ, vt eſt Canon, vt poſtea videbitur, ergo non ſunt Canoni annumerandæ. Fauet huic ſententiæ S. Gregor. lib. 7. Epiſt. 63. & tenent Walafridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. 22. Gabriel lect. 20. in Canonem, Bellarm. lib. 2. de Miſſa. Scortia lib. 4. de eadem cap. 8. §. 4. Vander Burch ſuprà & alij.

Quidam tamen latiùs extendunt nomen Canonis, ſic vt etiam comprehendat Orationem Dominicam, & omnes preces quæ ſequuntur vſque ad conſumptionem V. Sacramenti, & pro ſe adferunt hæc. 2. *Aliqui extendunt vſque ad conſumptionem Sacramenti.*

Primò, quia non habetur aliud nomen, quo Orationes illæ Communionem præcedentes vocentur: Verùm infrà dicemus Orationem illam: *Libera nos quæſumus Domine* &c. vocari Emboliſmum, id eſt, Interpoſitionem, vel Intercalationem.

Deinde aiunt hæc omnia contineri ſub præſcripta Regula ſacrificandi, quam nomen Canonis propriè ſignificat: ſed infrà videbimus ex Micrologo quaſdam earum orationum à regula Eccleſiæ non eſſe præſcriptas, ſed à deuotione religioſorū inuentas. Tenent tamen hanc ſententiam Recentiores & ex eis Suarez Diſput. 83. ſect. 2.

Rurſus Canonem aliqui diuidunt in partes quinque, alij in ſex, nonnulli, vt Franciſc. Suarez ſuprà in 8. vel 9. Quidam in decem, 11. 12. vel 15. Nos ſecuti Gabrielem & Bellarm. ſuprà & alios in ſex partes vel Orationes diſtribuemus, quia hæc partitio notabiles habet diſtinctiones, & clauſulam pre- 3. *Diuiditur Canon in partes ſex.*

 cum

cum continet ; *Per Dominum nostrum.*

Obseruant auctores qui Expositiones Missæ scripserunt, Bonauent. Guilielm. Durand. Gabriel Lect. 19. inter præfationem & Canonem in Missali haberi impressam vel pictam imaginem Christi Crucifixi, vt quia augustum illud sacrificium in memoriam Passionis Dominicæ potissimùm institutum est, eius pictura recordationem tanti mysterij nobis refricet, quandoquidem quæ oculis obiecta sunt magis permouent, quàm quæ solùm auribus percipiuntur, vel ore proferuntur.

4. *Cur ante Canonem pingatur imago Crucifixi.*

Hinc Ezechiel cap. 12. à Deo iussus est pingere transmigrationem Hierusalem, vt Iudæi eius formâ sensibili monerentur eam futuram agnoscere. In quem locum S. Gregor. *Quia*, inquit, *oculos ad videndum habent, & non vident; aures ad audiendum habent, & non audiunt; da eis imaginem & picturam, & formis ostende corporeis, vt venturam captiuitatem non solùm auditu, sed & oculis recognoscant.*

5. *Cur item inchoetur Canon à littera T.*

Obseruant insuper ex Innocentio, Alexandro Alensi, & alijs, diuinâ factum esse prouidentiâ, licet humana hoc procurauerit industriâ, vt ab ea littera Canon principium duceret, quæ Crucis signum exhiberet in figura T. Ille enim character primus in Canone mysterium Crucis continet & nobis insinuat dicente Domino Ezechiel. 9. 4. *Signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.*

6. *Littera Tau symbolum Crucis Christi & salutis.*

Est autem Tau symbolum Crucis Christi: Crux ergo datur apud Ezechielem signum liberandorum à nece, æquè ac salutis per Christi Crucem obtinendæ: quàm Crucem Christi etiam repræsentat sacerdos Canonem inchoans extensis manibus. Habet enim corpus humanum expansis brachijs figuram Crucis, vt notauit S. Bernard. Sermone 4. in Vigilia Natiuitatis. *Fortasse*, inquit, *crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus; homo enim formam Crucis habet, quam si manus extenderit, exprimet manifestius.* Est ergo anima in huiusmodi corpore quasi in Cruce fixa, & ex consequenti ipse Christus, qui est vita animæ nostræ in eo velut crucifixus est.

7. *Homo extensis brachijs crucem exprimit.*

Est T tam apud Græcos & Latinos, quàm apud Hebræos littera manifestè exprimens signum Crucis: & quamuis iam apud hos effigietur hoc modo, ת; olim tamen ante tempora Esdræ pingebatur sic T in modum Crucis, vt apud Græcos & Latinos: & quidem in nostro Missali sic excusũ habes: *Te igitur*; &c. Ita docent plerique omnes antiqui Patres Tertullian. Hieron. Ambros. Augustin. Clemens Alexandrin. & alij.

Est ergo Tau salutis symbolum, de quo etiam loquitur S. Ioannes Apocalyps. c. 7. 3. vbi Angelus ad locum Ezechielis suprà alludens dicit: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* (signo vtique Crucis) vide Cornel. à Lapide in locum Ezechiel. suprà, & Iacobum Gretserum lib. 1. de Cruce.

8. *Sacerdos se profundè inclinans Christum imitatur.*

His adde, profundam inclinationem Sacerdotis versus terram dum Canonem aggreditur, etiam menti illius obijcere Christi Domini submissionem, cùm procidens in faciem suam in horto Oliuetano orauit Patrem, vt calix Passionis ab eo transiret Lucæ 22. Sicut ergo Christus se prosternens Passionem suam inchoauit, ita & Sacerdos ante altare se demittens Canonem inceptat.

Prima pars siue oratio Canonis protenditur ab illis; *Te igitur Clementissime Pater* &c. vsque ad ista: *Hanc igitur oblationem* &c. Vnde videntur quidam non rectè primam partem finire ante illa, *Memento Domine famulorum* &c. & rursus pro tertia ponere: *Communicantes & me-*

moriam venerantes &c. vt Stephan. Durant. Sed nobiscum sentit Gabriel Lect. 20. & al.j. & ratio est; quia illæ binæ partes non sunt præcisè diuersæ orationes, sed solùm portiones primæ, vt constat tum ex clausula, *Per eumdem Dominum nostrum*, quæ ponitur in fine, tum etiam quia τὸ *Communicantes* &c. non haberet vllum sensum, nisi continuaretur cum præcedentibus. Te igitur Clementissime Pater &c.

Quæri potest quomodo *Igitur* coniunctio illatiua cum præcedentibus cohæreat.

9. *Continuatio primæ partis Canonis cum præcedentibus.* Placet Stephani Eduensis libro de Sacramento altaris cap. 13. ratiocinatio, quæ sic habet: Ex præmissis datur intelligi, quòd Deus Pater per filium suum ab omni creaturâ cœlesti laudatur & glorificatur beneficio datæ gloriæ & illius confirmationis; à quo intellectu initium Canonis cum præcedentibus hoc modo continuatur. Quia Clementissime Pater, per Iesum Christum filium tuum ab Angelis & cœlestibus virtutibus collaudaris, cum quibus ad laudem tuam nostras voces deprecamur admitti; Igitur per eumdem filium tuum te rogamus ac petimus vt tibi sit gratum & acceptum quod offerimus. Rogamus similiter, petimus, confidenter &c. Petitio declaratur per hoc quod sequitur: *Vti accepta habeas & benedicas hæc dona, &c.*

Alij aliter hæc connectunt, vt videre est apud Gabrielem Lectione 20. & Stephan. Durantum cap. 33.

10. *Quid contineat prima Oratio Canonis.* Prima oratio Canonis comprehendit nomina eorum, pro quibus Missæ sacrificium offertur, id est, pro Ecclesiæ militantis ciuibus in terra degentibus, deinde etiam continet eos, ad quorum cultum & honorem dirigitur, id est, beatos, qui cum Christo in Ecclesia triumphante regnant. Vnde inprimis oratio defertur pro Ecclesiâ Catholicâ generatim, 2. pro illius Capite visibili in terra, Romano Pontifice, 3. pro Antistite Diœcesis, 4. pro Rege vel Principe, quibusdam in locis, non tamen vbique: 5. Pro Orthodoxis & Catholicis in genere: 6. pro quibusdam, personis sacerdoti speciatim commendatis, maximè illis, pro quibus vel titulo iustitiæ, vel obedientiæ & gratitudinis tenetur, & decreuit hostiam salutarem offerre: 7. pro præsentibus & sacrificio ministrantibus & assistentibus. Postremò fit commemoratio Sanctorum quorumdam, qui nominatim recensentur.

Ceterùm oratio pro Ecclesia habetur in omnibus antiquis Liturgijs, & meminit S. Clemens lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 12. *Adhuc precamur te Domine, pro Ecclesia tua sancta à finibus vsque ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisiuisti, vt eam extra fluctus ac tempestates vsque ad consummationem seculi conserues,* &c. 11. *Vbique fit mentio Orationis pro Ecclesiâ*

Optat. Mileuitan. lib. 2. contra Parmenian. *Quis dubitet vos illud Legitimum* (Intelligit Canonem, de quo supra) *in sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ vna est &c.* Chrysost. hom. 79. ad Populũ; *Vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Ecclesia quæ vsque ad terræ terminos extenditur, & pro gubernantibus ipsam & præsidentibus iubetur orationes emittere.* Vigilius Papa Epist. ad Iustinianum Augustum annò 540. *Et quod omnes Pontifices in offerendo sacrificio traditione deposcimus exorantes, vt Catholicam fidem adunare, regere Dominus, & custodire toto orbe dignetur.* Hæc testimonia satis indicant Canonis vetustatem.

Oratio pro Papa etsi in Græcorum Liturgijs non reperiatur, nisi in ea quæ Sancti Marci & Chrysostomi, in quâ nominatur Nicolaus Papa; apud Latinos tamen antiquissima est consuetudo nomen eius exprimendi, vt patet ex Concilio 12. *Apud Latinos etiam pro Papa.*

Vasensi Can. 4. habito sub Leone primo ante annos 1100. in quo constitutum fuit in omnibus Missis nomen Domini Papæ, qui sedi Apostolicæ præfuerit, recitari.

Idem constat ex S. Clemente suprà; qui ait: *Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum.*

13. *Idem dicendum de Episcopo loci & Rege.* Existimatur profectum hoc à Christo, qui in Cœnâ vltimâ Lucæ 22. dixit: *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*, vt notauit Th. Waldensis. Oratio etiam pro Episcopo loci, in quo celebratur, (iuxta Rubricas) vbique habetur, vt notum est ex Liturgijs, Concilijs, Patribus. Vide S. Augustin. Epist. 110.

De precatione pro Rege dubium esse non potest, cùm etiam omnes antiquæ Liturgiæ illud seruent: quin & Sancti Patres id faciendum colligunt ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. vt ibi Chrysost. & alij.

Idem Chrysost. in Liturgiâ: *Obtulimus tibi hanc rationalem hostiam pro orbe, pro sanctâ Ecclesia:* & infrà: *Pro fidelissimis, & Deo dilectis Imperatoribus.* Eadem habet S. Basilius in Liturgiâ. Vide item S. Ambrosium lib. 4. de Sacramentis in cap. 4.

Postremò nominantur omnes Orthodoxi &c. quæ verba etiam antiquitatem sapiunt. Vnde fallitur Micrologus cap. 13. qui dicit illa non haberi in codicibus emendatioribus, & esse superflua. Habet enim illa Alcuinus, qui præcessit Micrologum annis trecentis: imò Liturgia S. Marci & Æthiopum: meminitq; Florus Magister & alij. Nec sunt superflua; quia primò oratur vniuersim pro Ecclesiâ, deinde in particulari pro ipsius capite Papa, & Episcopo, Rege &c. & præter illos ponuntur omnes reliqui Catholici.

14. *Quinam vocentur Orthodoxi.* Porrò, quia Græca dictio δόξα ambigua est, & significat tum maiestatem, gloriam, nominis celebritatem, tum opinionem, existimationem, sententiam; quidam non bene in primo significato acceperunt, & interpretati sunt homines gloriâ celebres, qui Græcè dicuntur ἔνδοξοι: verùm ὀρθόδοξος Græcè numquam sic accipitur. Igitur δόξα accipi debet iuxta alteram notionem, ita vt Orthodoxi sint rectè sentientes, recta fide præditi, veritatem tenentes, & ijdem sunt cum Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Ita explicatur in Liturgia S. Iacobi; *Orthodoxorum ac rectè de fide sentientium*; Sic heterodoxi vocantur aliter sentientes & hæretici. Excluduntur ergo, ait Gabriel Lect. 24. à fructu huius sacrificij infideles, hæretici & schismatici; pro his enim non orat sacerdos dicens, *Et omnibus Orthodoxis* &c. Sed de hoc aliàs.

Sed operæ fuerit pretium, & attentioni, deuotionique fidelium celebrantium excitandæ percommodum, penitiùs & minutiùs verba Canonis enucleare: *Te igitur Clementissime Pater, &c.* 15. *Verborum singulorum Canonis breuis expositio.*

Dirigitur hæc oratio (ait Florus Magister in Expositione Missæ) *iuxta regulam fidei, & morum Ecclesiæ ad Clementissimum Patrem, cuius erga nos peccatores tanta extat clementia & misericordia, quantam Apostolus commendat, dicens: Deus autem qui diues est in misericordiâ propter nimiam caritatem, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo; supplices autem rogamus & petimus per Iesum Christum, per quem omnis supplicatio nostra ad Deum dirigi debet tamquam verum mediatorem & sacerdotem.* 16. *Commendatur Dei Patris clementia.*

Rectè S. Chrysost. lib. 1. de Prouidentiâ: *Deum Patrem vocamus, quod exemplum summæ affectionis nos nullum maius nouerimus quàm patris ad filium.* Et homil. 2. in Psalm. 50. *Miserere mei secundum magnum misericordiam tuam, Dixisti magnam, edicito quantam: quanta sit nescio, quod grandis sit, noui, quantum autem non vales appre-*

hendere: nescio magnitudinis quantitatem, non comprehenditur verbo: video namque misericordiæ fructum grandem, nisi enim in immensum extenderetur admodum pauci saluarentur.

17. *Christus mediator.* Post Deum Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis exprimitur, Mediator Christus, per quem Pater omnia nobis bona largitur, vt patet ad Coloss. 1. ad Hebr. 2. ad Roman. 8. vbi dicitur *primogenitus in multis fratribus.* Ipse est, causa exemplaris & finalis & meritoria omnium prædestinatorum.

Sacerdos in Lege veteri semper faciem obuersam habebat ad propitiatorium; ita & Liturgus noster, dum facit, semper aciem mentis in vnicum Propitiatorem Iesum Christum dirigere debet. Lege S. Bernardi sermonem 13. in Cantica, qui sic incipit: *Origo fontium & fluminum omnium mare est, virtutum & scientiarum omnium Dominus Iesus Christus.* Vide sequentia.

18. *Sacerdos orans Deum Patrem exemplo Christi oculos eleuat.* Sacerdos orationem ad Deum Patrem conuertens eleuat ad cœlum oculos, vbi Dei sedes est, idque exemplo Christi qui oculos, dum Patrem suum orabat eodem dirigebat, vt Ioan. 17. 1. vbi, *subleuatis oculis in cœlum dixit; Pater, venit hora, clarifica filium tuum;* Marci 6. 41. *Intuens in cœlum benedixit & fregit panes:* Fuit autem miraculum hoc typus V. Eucharistiæ postea instituendæ, in cuius confectione etiam oculos in cœlum sustulit, vt accepimus ex traditione Apostolica, de qua infrà. Rursus Ioannis cap. 11. 41. in resuscitatione Lazari: *sursum eleuatis oculis dixit Iesus.*

Vti accepta habeas & benedicas: Vide huius plures explicationes apud S. Thom. 3. p. q. 83. art. 4. ad 3. & Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 21. Licet autem ante, panis & vini tamquam materiæ consecrandæ in altari propositæ oblationē acceptauerat, iā nihilominus petitur vt acceptatam per consecrationem vlteriùs benedicat. Vnde in Canone duplex ponitur acceptatio & benedictio, vna hostiæ consecrandæ, altera consecratæ, acceptationē cōsecrandæ sequitur benedictio, consecratæ verò acceptationem benedictio præcedit.

Hæc dona, hæc munera &c. Hæc omnia eadem sunt, ait suprà Florus Magister, sed res vna diuersa appellatione pro sui magnitudine commendatur. 19. *Res vna diuersis verbis exprimitur pro sui magnitudine.*

Adde hoc fieri, vt maior in nobis affectus, deuotio, & reuerentia erga Deum excitetur. Sic Christus in horto Oliuetano eamdem Orationem reperijt, & passim scriptura idem diuersis verbis exprimit.

Hæc sancta sacrificia illabata. Panis & vinum oblata vocantur sacrificia sancta & illibata, quia etsi in illis oblatio sacrificij nō consistat; sunt tamē coram Deo proposita in altari tamquam materia consecranda & sanctificanda, etiam per oblationem verbalem & realem in altari ad hoc deputata & dedicata, vt in Corpus & Sanguinem Christi conuertantur, quæ sacrificia verè sancta sunt & illibata. Teste autem Origine homil. 21. in Leuitici 20. Sancta dicuntur *quæ cultui diuino vel sacris vsibus sunt deputata.* Imò S. Hieron. Epist. ad Theophilum Alexandrinum loquens de sacrâ supellectile: *Non inania,* inquit, *ea sunt & quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicuntur sed ex consortio Corporis & Sanguinis Domini sublimi maiestate sunt veneranda.* Accedit Alexander Alensis: *Dicuntur sancta sacrificia non secundum se, sed quia significant illa in sacrosanctum Corpus, & immaculatum Sanguinem Christi mox cœlesti consecratione mutanda.* 20. *Cur oblata dicuntur sacrificia sancta & illibata.*

Rursus Innocent. 3. lib. 3. Mysteriorum Missæ cap. 3. dicuntur sacrificia illibata, *quæ absque macula cordis & corporis offerre oportet.*

Præterea sancta & pura intentione

ab

ab Ecclesiâ Deo præsentantur S. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Quoniam cum simplicitate Ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est.*

Nec mirum cuiquam videri debet, si materia consecranda & offerenda vocetur sacrificium, quia ex vsu scripturæ sic vocabantur oues, & alia Domino immolanda & in sacrificium parata à populo, vt videre est in Leuitico passim, & hæc locutio communis est: quod hîc maximè locum habet, quandoquidem paulò pòst, per consecrationem mutata, verum, sanctum & illibatum sint futura sacrificium, ad quod per orationes Ecclesiæ nos accingimus, petentes etiam per illud obtinere eiusdem fructus desideratos.

21. *Quid significent tres Cruces super oblata expressæ.* Porrò sacerdos hæc verba pronuntians, oblata ter signo Crucis initiat & benedicit. Indicant autem tres illæ Cruces iuxta S. Bonauenturam suprà, traditiones tres, quibus filius Dei traditus est in mortem. Traditus autem est à Deo Patre, sicut dicit Apostolus ad Roman. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ecce dona. Item tradidit filius seipsum, de quo dicit Isaias cap. 53. *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Deus autem hoc munus libenter acceptat. Rursus Christus traditus est à Iuda, & hoc in malo: de quo dicit S. Matthæus cap. 26. *Qui autem tradidit eum dedit eis signum*: & hæc traditio significatur per sacrificia sancta, illibata: est enim mors Christi sancta, licet Iudas malâ intentione illum tradiderit; immaculata, etiam illibata, intacta, quia peccatum illum non tetigit, neque maculauit, 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit.* Vide etiam Gabriel Lect. 21. Microl. cap. 14.

Dicit ibidem Bonauent. à Sanctis Patribus statutum ne quisquam sacerdotum in altari Missam celebraret nisi imago ibi posita fuerit Crucifixi, quam Sacerdos intuens, & brachia extensa in ea cernens, pro populi delictis exorando brachia sua ad eum extendere non erubescat. Sed de hoc suprà actum est.

Multa etiam suggerit antiquę Legis mysteria, vaticinia & figuras de S. Cruce, quæ Lectorem instruant. S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. dicit formationem Crucis fieri super panem & vinum ad commemorandam eius virtutem & modum Passionis Christi.

Obserua autem super oblata numquam exprimi signum Crucis nisi numero impare, semel, ter, aut quinquies dicit verò Microlog. de Eccles. obseruat. cap. 14. semel hoc fieri propter diuinæ essentiæ vnitatem, ter propter personarum Trinitatem, quinquies: propter vulnerum Christi quinariam, & expressam repræsentationem Passionis eius. Vide S. Thom. suprà ad 3. & Rituales passim.

Est præterea formatio Crucis oratio quædam realis, quâ omnia bona per Christum Crucifixum petimus, cùm ipsa sit *fons omnium benedictionum, omnium causa gratiarum*, teste S. Leone Sermone 8. de Passione: vel bona accepta per gratiarum actionem in actu signato ipsius Cruci tribuimus, vel memoriam ipsius Passionis refricamus. 22. *Formatio Crucis est quædam oratio.*

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare & regere digneris &c.

Hæc ita enarrat Stephan. Eduensis de Sacramento Altaris cap. 13. *Orat sacerdos vt Dominus Ecclesiam dignetur pacificare ab incursu visibilium & inuisibilium hostium, & in tranquillitate custodire & adunare, id est, in vnitate fidei conseruare ne erroribus hæreticorum aut schismaticorum diuidatur, sed vnitas Capitis & membrorum in fide Sacramentorum conseruetur, & regere, vt moderamine iustitiæ omnia in se fiant & disponantur.* Verisimile tamen est idem esse

pa-

pacificare & adunare: idemque custodire, & regere.

Vnà cum famulo tuo Papa &c. Hæc sequentia suprà sunt explicata, nec alia expositione indigent.

Memento Domine famulorum, &c.

Quæstio moueri solet, cur hîc Ecclesia & Sancti in Scriptura cùm orant, formulâ hac vtantur; memor esto Domine, recordare, memento &c. quandoquidem certum sit Deum non obliuisci cuiusquam, nec posse in illum cadere vllam ignorantiam, cùm in suâ æternitate omnia quæ in cœlo & terra sunt, fuerũt, fiunt, & fient, simplice intuitu semper videat, & menti suæ obiecta & præsentia habeat, quæ scientia & cognitio eadem immutabiliter manet, licet in creaturis rerum multarum & cogitationum sit vicissitudo.

23. *Quo sensu dicitur Deus in scriptura meminisse vel obliuisci nostri.* Sed dicimus Deum meminisse vel obliuisci nostri, ἀνθρωποπαθῶς, more humano, quando nimirum ita se gerit quasi nostri meminisset, vel obliuisceretur. Solent autem homines memores beneficij in se collati ab alijs, illos remunerari, fauere, curare, iuuare, contra aliorum in se malefacta vlcisci.

Sic dicuntur aliorũ obliuisci, quando illos negligunt, deserunt, non iuuant, nec cordi habent. Ita Deus more humano dicitur nostri meminisse, cùm nos suo fauore prosequitur, adiuuat ad se conuersos, vel etiam in peccatores vindictam exercet vel non miseretur. Sic dicitur irasci, non quasi perturbatione aliquâ commoueatur, sed quia facit quod homines irati solent, id est, punit, iram, vltionemque infert. Igitur tribuitur Deo ira, indignatio, obliuio, recordatio per effectum tantùm, non per passionem vel scientiæ mutationem. Ezechiel 18. Dicitur Deus non recordari iniquitatum impij cùm egerit pœnitentiam, & contra non recordari iustitias iusti, cùm à iustitiâ se auerterit. Sic orat Psaltes regius Psal. 105.4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui* (quod explicat sequenti hemistichio) *visita nos in salutari tuo*; id est, miserere nostri pro solitâ tuâ in populum tuum bona voluntate, & beneuolentiâ, quod fiet, si miseris nobis redemptorem, Saluatorem tuum Christum.

24. *Affectus noster excitatur in Deum cum oramus: Memento Domine.* Deinde hoc modo loquendi cum Deo vtimur in oratione vt magis excitemus affectum nostrum erga diuinam bonitatem, non, vt illum omnia scientem doceamus. Ita clamabat Propheta Psal. 24. v.6. & 7. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris: Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.*

Sic loquitur S. Augustin. 11. Confession. in Principio. *Affectum nostrum patefacimus in te, confitendo miserias nostras, & misericordias tuas super nos, vt desinamus esse miseri, & beatificemur in te.*

25. *Quomodo faciendum Memento & qui in eo possint commendari.* Ceterùm potest sacerdos vel voce (sed submissâ) exprimere nomina eorum pro quibus intendit sacrificium offerre, vel ea solâ mente concipere, & Deo repræsentare, nec tantùm personam vnam vel alteram, quibus decreuit Missæ fructum applicare, sed omnes quoscumque voluerit: mos tamen piorum sacerdotum est, ne diutius *Memento* extendatur, & populus tædio afficiatur ob diuturniorem moram, ante Sacrum nomina & necessitates eorũ, pro quibus singulariter orare proposuit, percurrere animo, & postea in *Memento* summatim ea recensere, orationem suam ad ante commendatos extendendo.

Præterea, non solùm hîc commendare potest omnes illos, quibus ex liberali deuotione fructum sacrificij applicari proponit, vel quibus titulo iustitiæ, gratitudinis, obedientiæ, pietatis tenetur, qui per fidem Christo capiti

& Ecclesiæ sunt vniti, sed, cùm hæc oratio sit priuata, Deo offerre preces potest, pro illis qui à corpore Ecclesiæ sunt præcisi etiam pro nominatim excommunicatis, & non toleratis.

Agunt hîc aliqui de valore Missæ, & quibus aut quomodo illius fructus possint aut debeant applicari, nos hac de re nihil hoc loco tractamus, quia copiosè infrà dicendum erit. Videat interim Lector Gauantum in Thesauro Rituum. p. 2. tit. 8. n. 3.

Et omnium circumstantium. Idem habet S. Basil. in Liturgia, & meminit Chrysost. Hom. 26. in Matth.

Quorum fides tibi cognita est & nota deuotio. Accipe vel fidem & deuotionem generatim, vel certè circa sacrificium Eucharisticum, cuius fructum percipere cupiunt, & capiunt ex eodem iuxta mensuram fidei & proportionem deuotionis ipsorum.

Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Primum membrum refertur ferè ad absentes; alterum ad præsentes, qui censentur simul cum sacerdote offerre consensu & desiderio. Alcuinus: *Quod adimpletur propriè ministerio sacerdotum, generaliter agitur fide & deuotione cunctorum.* Ita & Florus Magister.

Pro redemptione animarum suarum; quâ scilicet liberentur efficaciter à culpa &
26. *Redemptio latè sumitur.* pœna, & à futuris peccatis & malis præseruentur, & tandem plenam liberationem ab omni malo & miseria omni consequantur in cœlis. Varijs enim modis in sacris litteris sumitur redemptio, vt bene ostendit Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 21.

Prospe salutis: Pro vita æterna, quæ est vera salus, quam speramus.

Et incolumitatis suæ: pro corporis etiam sanitate. Siquidem in Liturgiâ Sancti Iacobi & Basilij offertur sacrificium pro infirmorum sanitate, salubritate aëris, fructuum abundantiâ, &c.

Tibique reddunt vota sua, &c. Per vota intellige pia fidelium desideria, quæ in Deum referunt: non enim omnes vouerunt per Sacerdotem Missas offerre, vt propriè censeantur Deo vota sua reddere.

Communicātes & memoriā venerantes, &c.

Duobus modis intelligi potest τὸ *Communicantes* iuxta placita eorum, qui de Ritibus scripserunt. 27. *Duplex sensus τὸ* Communicantes.

Primò, Micrologus de Ecclesiasticis Obseruationibus cap. 12. Hugo Victorinus lib. 2 de Officijs cap. 29. accipiunt τὸ *Communicantes* de Communione & coniunctione fidelium Ecclesiæ militantis inter se, vt ostendatur Communio Sanctorum, quæ est in Ecclesiâ Catholica hîc in terris: & videtur sensus hic genuinus, quem probat Micrologus suprà, quia in præcipuis anni festiuitatibus, vt Natiuitatis Domini, Ephiphaniæ, Paschæ, Ascensionis Domini, & Pentecostes, quæ interponuntur pertinent ad memoriam istarum solennitatum: & postea additur; Sed *& memoriam venerantes*; vbi videmus priora illa non coniungi cum Sanctorum commemoratione.

Secundò Alcuinus, Amalarius, Gabriel capiunt de communione Corporis mystici & consociatione cum membris Ecclesiæ triumphantis, vnde & subditur, *Et memoriam venerantes.*

Prior sententia videtur potior, vt solùm intelligatur de communicatione Catholicâ fidelium hîc inter se, & non referatur ad subsequentium Sanctorum communionem, propter rationem adductam.

Et memoriam venerantes &c. Manifestum est commemorationem Sanctorum in Missæ sacrificio esse vetustissimam, vt constat ex Liturgia S. Iacobi, vbi generatim mentio fit Sanctorum Patriarcharum, Apostolorum &c. & specialiter inuocatur Dei Mater Maria, & honorificis titulis exornatur, 28. *Commemoratio Sanctorum in Missa antiquissima.*

tur, de quibus infrà. Idem videre est in Liturgia S. Basilij, in quâ sæpius S. Dei genitrix inuocatur: *Præcipuè*, inquit, *sanctæ & intemeratæ, benedictæ Dominatricis nostræ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ*: additur; *Et Sancti Ioannis Præcursoris & Baptistæ, & Sancti illius, cuius memoriam facimus, & omnium Sanctorum quorum postulationibus visita nos Deus, &c.* Rursus frequenter in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi mentio ingeritur eiusdem immaculatæ Virginis & S. Ioannis Baptistæ & sanctorum Apostolorum &c.

Idem colligitur ex SS Patribus, Dionysio, Clemente, Cypriano, Cyrillo Hierosolymit. & alijs.

Pauca adfero ex S. Augustino Tractatu 84. in Ioan. *Ideo ad mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt ipsi orent pro nobis.*

29. *Quo sensu in Missa sacrificium offertur pro martyribus.*

Lib. 8. de Ciuit. cap. 27. ostendit nos non offerre Sacrificium sanctis Martyribus, sed Deo, qui eos & homines & Martyres fecit & sanctis Angelis suis cœlesti honore sociauit, *vt ea celebritate & Deo de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur.*

Vnde sequitur, offerri sacrificium pro martyribus, idem esse atque pro ipsorum gloriâ, ad quam Deus illos assumpsit, vt nimirum Deo pro ipsorum gloria gratiæ agantur, & vt sacrificium sic illis prosit, vt amplius à mortalibus honorentur in terris, & ipsorum vestigijs alacriùs insistant, simulque ipsorum meritis & precibus adiuuentur contra quæuis huius mundi aduersa, & ipsi sua intercessione suppleant nostros defectus, per quos indigni reddimur efficacissimi sacrificij & Sacramenti cœlestium fructuum participatione.

Obseruat Hugo Victorin. lib. 2 de Officijs cap. 3. & Thom. Waldensis tomo 3. tit. 4. cap. 32. præcessisse figuram huius commemorationis Sanctorum quam facimus, in Rationali Aaronis, in quo insculpta erant duodecim Patriarcharum nomina in lapidibus pretiosis, quo monemur, vt ad mensam Domini accedentes Sanctorum vitam & sanctam conuersationem imitemur. 30. *Typus huius commemorationis.*

Notat insuper Alcuinus in commemoratione istorum Sanctorum, quorum nomina ibi exprimuntur, omnium reliquorum Sanctorum suffragia experi, quia sicut in Deo omnes vniti sunt, ita omnes vnum desiderant, hominum scilicet salutem, & ita in vno omnes habentur.

Porrò sciendum est primò, Apostolorum hîc nomina non recenseri eo ordine quo numerantur in Euangelijs à S. Hieronymo emendatis; vnde Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. cap. 22. colligit eam partem Canonis priùs fuisse compositam, quàm à S. Hieron. libri Euangeliorum ad antiqua Græca exemplaria emendarentur. Nam ipse Hieron. in Præfatione Euangeliorum ad Damasum testatur magnam fuisse in antiquis Euangeliorum editionibus confusionem. 31. *Antiquitas Canonis ex Catalogo Sanctorum probat.*

Præterea in numerandis S. Martyribus non vbique seruatus est ordo temporis, quo martyrium passi sunt, vt vel ex hoc patet quòd Ioannes & Paulus præponitur SS. Cosmæ & Damiano, cùm tamen certum sit illos martyrium consummasse sub Iuliano, hos verò sub Diocletiano, ex quo etiã infertur horum Sanctorum nomina diuersis temporibus Canoni fuisse inserta eorumdem ordine non seruato.

Quæritur cur in Canone nulla fiat memoria Confessorum.

32. *Cur non nominantur Confessores?* Duplex responsio adferri solet. Prima ex hoc colligitur antiquitas Canonis nostri, quod verisimiliter compositus fuerit priusquam vllius confessoris festum Ecclesia solenniter celebraret, cùm ab initio Ecclesiæ publicè culti fuerint Sancti martyres, templis & festiuitatibus. Ita Innocent. 3. lib. 3. myster. Missæ cap. 10. Nam omnes sancti qui nominantur in Canone præcesserunt S. Syluestrum exceptis SS. Ioanne & Paulo, qui passi sub Iuliano anno 362.

Addunt quidam Marcellinum & Petrum; sed malè, cùm constet illos martyrio coronatos sub Diocletiano.

Altera responsio est, quòd nullorum Sanctorum potiore iure memoria recolatur quàm martyrum. In hoc enim Christi passio repræsentatur, quam Martyres proximè secuti sunt, sanguine pro ipsius fide, gloria, & honore profuso.

33. *Iure inter Sanctos primo loco ponitur S. Maria.* Ceterùm meritò & quidem pluribus de caussis in ordine Sanctorum primum locum tenet Dei genitrix Maria, de qua S. Iacobus in sua Liturgia sic loquitur. *Præcipui, sanctissimæ, immaculatæ, superomnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semperq; Virginis Mariæ. Dignum est vt te verè beatam dicamus Deiparam semper beatam, & modis omnibus irreprehensam & matrem Dei nostri, honorabiliorem quã Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione Deum verbum peperisti. Te reuera Deiparam magnificamus. Tibi ô plena gratia vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster, qui est ante secula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, ac ampliorem cœlis ipsis reddidit: tibi ô gratiæ plena vniuersa creatura gratulatur: gloria tibi.*

Rationes cur primùm inter sanctos Dei genitricis fiat memoria hæ adferuntur à Gabriele Lectione 32. *Non tantùm*, ait, *quia præcellens gratiâ & gloriâ nedum sanctos, sed etiam Angelicos spiritus vniuersos; nec modò quia tutissimum nostræ calamitatis est asylum, & misericordiæ sinus generalis; sed ideo in primis eius memoriam in hoc sacrificio veneramur, quia singularis, huius sacrificij ministra fuit, & liberalissima dispensatrix.* 34. *Rationes hæ sunt.*

Hæc tria ex Patribus, maximè ex S. Bernardo præclarè ostendit. Sed sufficiat attulisse verba S. Bernardi, quibus docet B. Dei Matrem huius sacrificij fuisse ministram & dispensatricem ex Sermone 2. de Christi Natiuitate. *Ipsa*, inquit, *est mulier ista Euangelica quæ tria farinæ sata commixta fermentauit*: (Lucæ 13.) *Satum vnum verbum quod erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum: Alterum, animaque de nihilo creata est, & ante non erat. Tertium, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua, diuino segregata artificio: in quibus tribus triplex genus potentiæ; quod non erat; creatum, quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paulo minus ab Angelis minoratum. Hæc vinculo indissolubili in personæ coëunt vnitatem. Hæc Euangelica farinæ sata pariter fermentantur, vt sit panis Angelorum quem manducet homo, cor eius confirmans in hoc Sacramento. Vnde felix mulier benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne Spiritus Sancti panis ille est coctus: felix, inquam, mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide & peperit dicente Elisabeth: Beata quæ credidisti. &c.* Hæc paucis mutatis Bern. Addit Gabriel. *Ecce quomodo fuit huius panis & sacrificij ministra, panis quidem, vt dictum est, sacrificij autem, Cruci, quâ velut in arâ sacrificium oblatum est, assistens, & simul participato dolore Patri offerens; & per hoc liberalissima eius dispensatrix, quia panem hunc sicut cetera bona omnia per manus eius mundissimas accipimus.* 35. *Ex S. Bernardo ostenditur Dei mater huius sacrificij ministra.*

Sed

36. *Prima ponitur in Canone Dei mater, quia Regina Martyrum.* Sed mihi videtur & altera ratio addenda cur Dei mater prima in ordine Sanctorum Canonis iure suo collocetur. Scimus enim omnes illos sanctos, qui in Canone ante & post Consecrationem nominantur Martyres fuisse tam viros quàm mulieres. Ergo meritò illa in capite locatur, quæ fuit Regina & vexillifera Martyrum, & prima Martyr in lege gratiæ. Martyrem vocat S. Epiphan. hæresi 78. S. Ephrem Oratione de Deipara, Decus Martyrum, Alij plusquam martyrem.

37. *Martyres meritò S. Felicitas.* Licuit S. Gregorio B. Felicitatem titulo insignire plusquam Martyris, *quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua, ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua.*

38. *Mater S. Symphoriani.* Meritò quis martyrem appellarit matrem S. Martyris Symphoriani adolescentis, quem ipsa cùm duceretur ad supplicium animans & roborans clamabat: *Nate, Nate, memento æternæ vitæ, cælum suspice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.*

39. *Item mater Melithonis.* Similiter matrem Sancti Iuuenis Melithonis martyris è numero quadraginta Martyrum Sebastenorum eodem honore exornare quis possit, quæ cùm filium fractis cruribus adhuc spirantem vidisset, sic cohortata est: *Fili paulisper sustine: Ecce Christus ad ianuam stat adiuuans te*; & cùm deinde reliquorum Martyrum corpora plaustris imponi cerneret, vt in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum reuocari posse, ipso in humeros sublato sancta mater vehicula martyrum corporibus onusta strenuè prosequebatur, in cuius complexu Melithon spiritum Deo reddidit, eiusque corpus in eumdem illum ceterorum Martyrum rogum pia mater iniecit, vt qui fide & virtute coniunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati vnà in cælum peruenirent. Quid de Regina Martyrum Maria dicamus, quæ etsi mortem corporalem non pertulerit, maximos tamen dolores in animo fuit perpessa, Christo filio suo confixa, quem etiam libenter pro totius mundi delictis Deo Patri obtulit.

40. *Apostoli meritò in Canone ponuntur.* Sed de hoc legendus S. Illefonsus Sermone 2. de Assumptione Virginis, & copiosiùs differentem Antonium Spinellum de laudibus Virginis cap. 11. Post Deiparæ commemorationem recto ordine subsequitur Sanctorum Apostolorum veneranda memoria: & iure quidem; nam ipsi tradiderunt nobis ritum & formam hoc sacrificium offerendi, vt patet prioris ad Corinth. 11. Ipsi huius sacrificij testes fuerunt idonei, quia in Cœna vltima, quâ Christus illud instituit, fuêre præsentes, primi illud obtulerunt, vt constat ex Actis Apostolorum: In eadem Cœna à Christo Sacerdotes ordinati potestatem acceperunt corpus Christi verum consecrandi, offerendi, dispensandi: insuper auctoritate sibi datâ in corpus eius mysticum, potestatem consecrandi per ordinationem alijs communicarunt: denique præcipui testes fuerunt Christi Passionis, cuius hoc sacrificium est memoriale perpetuum. Ritè etiam recolitur memoria Martyrum, quia pro semel oblata in Cruce hostia semetipsos Deo obtulerunt hostiam placentem & acceptabilem.

41. *Diuerso modo auxilium Sanctorum petitur ante & post Consecrationem.* Aduertit Alensis cum alijs, quòd in commemoratione Sanctorum, quæ fit ante Sacramenti consecrationem, ipsorum implorantur suffragia, in ea verò quæ fit post Consecrationem, eorum postulatur consortium: cuius ratio est, quia antequam Corpus Christi, quod est vniuersalis Ecclesia consecretur, id est, antequam Adueniat regnum Patris, pro quo postulamus in Oratione Dominica, necessaria sunt nobis Sanctorum suffragia, vt eorum meritis & precibus, diuinæ protectionis mu-

niamur auxilio: sed vbi Corpus Christi mysticum fuerit consecratum, id est, vbi regnum aduenerit, assequimur in patria consortium Sanctorum, vt societatem & partem cum sanctis Apostolis & martyribus habeamus, quod infrà in postrema Canonis parte petimus.

CAPVT XXI.

Secunda pars Canonis.

1. *Quatuor hic petuntur.* Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ &c. Prece hac quatuor petuntur: primò, vt hanc oblationem, id est consecrationem panis & vini mox futuram (hanc enim mens offerentis respicit, & in eam eius fertur intentio) Deus placatus & sereno vultu aspiciat & accipiat: vel, vt panem & vinum oblata vt sacrificij materiam benedicere & sanctificare dignetur. Secundò, vt fauore & beneuolentiâ suâ dies nobis concedat tranquillos & bona pace quietos, præsertim, vt liberi simus ab omni peccato, quo amicitia eius perturbetur, & dissoluatur. Tertiò, vt nos à summo malo, id est, æterna damnatione eripiat. Postremò, vt consecutionem nobis electionis largiatur, id est, perpetuam beatitudinem, quæ est non tantùm prædestinationis, sed vltimæ electionis effectus & finis, quod futurum speramus per gratiam eius.

Porrò vocatur *oblatio seruitutis*, quia infima seruitus & cultus externus nobilissimus per hoc sacrificium exhibetur Deo, primo, summo, excellentissimo rerum omnium principio seruitus: inquam, & cultus Latriæ, quæ insinuat

2. *Latria quid?* magnam reuerentiam (nomen enim illud ad primarium Dei obsequium restringunt Patres & Theologi, ad differentiam Duliæ, quæ etiam beatis spiritibus & sanctis hominibus defertur) & soli Deo est debita. Defertur autem nomine non solùm sacerdotis & publici ministri siue Liturgi, sed totius familiæ siue Ecclesiæ. Vnde à S. Clemente lib 8. Constitut. Apostolic. cap. 15. Liturgia dicitur *Latria mystica*, quia illa seruitus est cultus, quem soli initiati intelligunt, profani ignorant.

Diesq; nostros in tua pace disponas &c. Hæc verba, vt habet Breuiarium Romanum 12. Martij in Lectionibus secundi Nocturni sui ipsius festi, Canoni addidit S. Gregorius: quod illi etiam tribuunt plures auctores, vt Ioan. Diaconus in vita eius lib. 2. cap. 18. Walafridus Strabo, Amalar. Micrologus, & alij: Quia verò Breuiarum solum ponit eum addidisse, *Diesq; nostros in tua pace disponas*, omissis alijs: *Atque ab æterna* &c. dubitari potest, an non etiam duo sequentia adiunxerit. Sed hanc dubitationem sustulit Venerabilis Beda, qui sic scribit lib. 2. Ecclesiast. Histor. Anglorum cap. 1. agens de S. Gregorio; *Sed & in ipsarum Missarum celebratione tria* 3. *Tria hæc*
verba maximè perfectionis plena superadiecit: *membra*
Diesq; nostros in tua pace disponas, atque ab *addidit*
æterna damnatione nos eripi, & in electorum *Canoni S.*
tuorum iubeas grege numerari. Ergo ex sen- *Gregorius.*
tentia Bedæ habemus nec plura nec pauciora apposuisse.

Petitur autem illis verbis, *Diesq; nostros in tua pace disponas; Pax Christi*, non verò mundi, de qua Christus ipse Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis.*

Pax Christi consistit in quiete & 4.
moderatione perturbationum animi, *Pax Chri-*
quo fiat, vt & in nobis perpetua sit *sti quæ sit.*
tranquillitas, cum proximo concordia, & suauis cum Deo amicitia. Hanc
Apostolus optat suis Colossensibus 5.
cap. 3. v. 15. cùm ait: *Pax Christi exultet in* *Quomodo*
cordibus vestris, vbi Græca habent ver- *exultet in*
bum ἐμφατικώτερον, significantius, *cordibus*
videlicet βραβευέτω, id est, brauium *nostris.*
& palmam ferat, triumphet, regnet,

pax

pax inter omnia aduersa, bella, lites, studia contraria conseruetur: vel melius, pax tamquam βραβευτὴς & agonotheta & regina in mentis Capitolio & arce sedeat & imperet & immoderatos animi affectus reprimat, sedet & componat. Hoc est, pacem habere in Christo, Ioan. 16. *Vt in me pacem habentis*, hoc est, *pacem habere ad Deum*, ad Rom. 5. Hæc est *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, ad Philip. 4. 7. id est, tranquillitas conscientiæ, & pax, quam habet anima cum Deo, cogitatione comprehendi non potest, de qua & loquitur S. August. serm. 57. de verbis Domini: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis; hæc simultates tollit*, &c.

Meritò vocatur hæc pax Christi: quia natus Christus hanc pacem è cælo tulit in terras, vnde & cecinerunt Angeli: *In terra pax*; hanc rediuiuus confirmauit docens Apostolus, *Pax vobis.* Hanc Apostolus in capite omnium Epistolarum suarum, quas scripsit ad gentes, illis à Deo precatur.

6. *Qualis pax mundi.*

Huic opposita est pax mundi, quæ solo nomine pax est, quâ qui frui se putant, similes sunt pomis Sodomæ, quæ foris arrident florido cortice, intus cinere referta sunt, & contacta in fauillas fatiscunt: vel similes fulgure ictis, qui quamuis exteriùs integri appareant, interiùs tamen sunt adusti & arefacti.

7. *Triplex est pax quæ petitur.*

Innocent. 3. lib. Mysterior. Missæ cap. 11. ponit triplicem pacem, temporis, pectoris, æternitatis. Propter hanc, ait, triplicem pacem ter oramus in Missa: *Dies nostros in tua pace disponas*: *da propitius pacem in diebus nostris*, &, *Dona nobis pacem*; vt de pace temporis per pacem pectoris transeamus ad pacem æternitatis. Ita Alensis, Guielm. Durandus &c.

Post pacem, quæ est in hac vita magnum & inæstimabile bonum, & prægustus vitæ æternæ; petit ab æterna damnatione nos eripi, quæ est summum & interminabile malum: de qua Auctor lib. de Spiritu & animâ: *Miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper viuet, & finis semper incipiet, & defectus desinere nesciet, mors perimet, & non extinguet, dolor cruciabit & pauorem non fugabit*. Auctor autem illius libri non est Augustin. (licet ponatur tomo 3. operum eius) vt censent viri Docti.

8. *Damnatio æterna summum malum.*

Idem ille auctor cap. 36. de beatitudine electorum agens sic scribit: *Ibi fulget quod non capit locus, ibi sonat quod non rapit tempus, ibi olet, quod nō spargit ventus, ibi sapit, quod non minuit edacitas, ibi hæret, quod non diuellit satietas: ibi siquidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione*, &c.

9. *Beatitudo æterna summum bonum.*

Plura de electorum felicitate pius Lector inueniet in Meditationibus cap. 22. & sequent. & Soliloquijs cap. 35. & 36. S. August. vel potiùs alicuius auctoris qui libros illos ex S. August. operibus collegit.

Aduertendum est sacerdotem, dum precem, *Hanc igitur* &c. perorat, manus suas super oblata extensas tenere.

Huius verò ritus plures adferuntur à Doctoribus rationes, quarum varias recenset Iacob. Bonfrerius in cap. 1. Leuitici v. 4. & alij ibidem Interpretes.

10. *Quid significaret manuum impositio super hostiam.*

Ceterùm cùm satis constet hanc cærimoniam originem suam ducere, ex lege Mosaica, in qua suprà dicitur: *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, si holocaustum fuerit eius oblatio, ponet manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens*: significabat hic ritus, vt ibidem Interpretes, quòd offerens hostiam è sua potestate dimitteret, & eam tantam quantam in Dei ius, dominium, & quasi manum transferret, quod maximè

niè locum habebat in victima holocausti. Insuper, si hostia erat pro peccato, indicabat offerens se hoc ritu imprecari & quasi imponere hostiæ piaculari omnia sua peccata, & pro ijsdem expiandis illam offerre. Quod si esset hostia salutaris vel pacifica, ostendebat immolans humiliter & submisse totũ cum sacrificio se offerre Dei seruitio, quo illi & gratias ageret, & prosperitatem sibi salutemque obtineret. Porrò cum Sacrificium Eucharisticum simul sit, & holocaustum expiatorium, & salutare; facilè quilibet applicare poterit Sacerdotis nostri impositioni manuum super oblata hęc omnia symbola, & significationes.

Iam verò breuiter suggeram quæ Doctores Rituum tradunt propriè de sacerdotis nostri manuum expansione super oblata in nostra Liturgia.

II. *Alia eiusdem Ritus symbola.* Aiunt quidam apud Gauantum hoc gestu Sacerdotem profiteri non se proprijs viribus, sed virtute Ordinationis per impositionem manuum Episcopi mirabile opus perfecturum.

Rupertus verò hoc more indicari hæc mysteria tegi non solùm hominibus, sed etiam Angelis.

Dominus vander Burch dicit esse orationis instar, quâ postuletur vt Spiritus, qui initio mundi genesis ferebatur super aquas, etiam in hæc oblata descendat. Francisc. Suarez 3. p. quæst. 83. artic. 5. Disputat. 85. sect. 1. dicit hunc ritum grauem & reuerentem demonstrationem esse sacrificij, quæ respondet signo demonstratiuo. Hanc addit: hac manuum impositione significari, vel Dei protectionem, vel efficaciam diuinæ gratiæ: quia ergo in illa oblatione peculiariter postulatur hæc diuina protectio; ita sacerdos, dum sic orat, veluti manus imponit super oblata. Vel etiam significatur sacrificium & hostiam pacificam esse, & holocaustum, & pro peccato, victimam sufficientissimam ad Dominum placandum, præsignificatam Leuit. 1. 3. 4. vbi de Holocausto dicitur, quod sit *masculum, immaculatum. Ponetque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Hæc Suarez.

CAPVT XXII.

Tertia pars Canonis.

QVam oblationem tu Deus in omnibus benedictam &c.

Hæc extenditur ab his verbis vsque ad illa quæ dicuntur post Consecrationem; *Vnde & memores, Domine,* &c.

Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris &c.

Horum meminit. S. Ambros. lib. 4. de Sacramentis c. 5. *Dicit Sacerdos: fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem.*

Auctores qui de Ritibus scripserunt, plures horum verborum interpretationes suggerunt, vt videre est apud Stephan. Durantum lib. 2. cap. 37. & Francis. Suarez suprà, circa quartam partem Canonis, disput. 83. sect. 2. qui secutus S. Thomam 3. p. qu. 83. quæst. 83. art. 4. ad 7. Dupliciter exponit.

Primò, vt tota oratio referatur ad materiæ consecrationem, &, vt per transmutationem panis in Corpus Christi, & vini in sanguinem, oblatio fiat illa benedicta, id est ex profana consecrata, (vt Alcuinus cap. de celebratione Missæ) efficiaturque perfecta: fiat Adscripta, id est, diuina virtute & quasi eius sigillo subscripta & firmata: vel, vt Alcuinus, vt in numerum donorum sibi placitorum recipiatur, & adscribatur inter ea quæ sibi probantur: fiat præterea rata, id est, stabilis, & firma, vt fructum certum & firmum 1. *Duplex Explicatio horum verborum* Benedictam; &c. 1.

mum ad nos referat, adeoque perpetuum, vt sit constans ad impetrandum, & efficax ad virtute propriâ operandum; deinde sit rationabilis, vt non solùm sit bona, sed etiam bene & rationabiliter offeratur, ita vt fiat λογικὸν, id est, rationabile obsequium nostrum; ad Roman. 12. postremò, vt acceptabilis fiat, vt non solùm ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis digna sit, quæ a Deo acceptetur. Hic videtur sensus genuinus.

2. Secundò, exponi potest hæc oratio, vt non tantùm intelligatur de consecratione materiæ, sed etiam de effectu in nobis perficiendo, vt sic nobis fiat, id est, ad bonum & profectum nostrum, & eius oblatio sit benedicta, id est, benedictionem Dei ita contineat, vt eam nobis cumulatissimè communicet, & sic de reliquis, vt iam dicam ex Paschasio.

Placet itaque adscribere eius verba, quæ habet libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 4. quæ S. Thomas 3. par. quæst. 83. art. 4. non bene tribuit S. August. vt & Gratian. Can. *Vtrum*, de Consecrat. distinct. 2. *Rogamus*, inquit, *hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: adscriptam, per quam nos omnes in cælo adscribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur: rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilemq; facere dignetur: quatenus & nos per hoc per quod in nobis displicemus, acceptabiles in vnico eius filio simus.* Hactenus ille. Omitto alia.

Paschasij expositioni fauent illa verba (in omnibus) id est, quoad omnes qui offerunt, vel pro quibus offertur, vel quoad omnia quæ per eam petimus. Item illa (vt nobis fiat) id est, prosit nobis ad salutem, & non vertatur in iudicium & condemnationem.

Pronuntians hæc & sequentia verba Sacerdos quinquies signum Crucis exprimit super oblata coniunctim ter, & semel super hostiam & semel super calicem separatim, vt habet Missale; de cuius mystica significatione sæpius dictum est. Has autem quinque Cruces variè explicant Rituales. Mihi cum S. Bonauentura probatur accipere de passione quinque sensuum Christi, quibus cruciatus fuit, vel cum Micrologo cap. 14. de quinque Christi vulneribus.

Qui pridie quàm pateretur: 1.

Eadem habet S. Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 5. *Dicitur Alexander primus hæc verba Canoni addidisse.*

Putant quidam Alexandrum primum hæc verba Canoni inseruisse. Ita Microlog. de Ecclesiast. Obseruation. cap. 12. & alij. Mouit illos ad hoc sentiendum Constitutio Alexandri ad omnes orthodoxos, in qua hæc habentur: *In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est, vt eius cuius Corpus & sanguis conficitur, passio celebretur.* Vide Can. *In Sacramentorum* de Consecratione dist. 2.

Sed valde dubium est, quid Alexander his verbis vel voluerit vel decreuerit. Certè Alcuinus de diuinis officijs cap. de celebratione Missarum, scribit hæc verba Apostolos in vsu habuisse post Ascensionem Domini.

Vide Suarez suprà in explicatione quintæ partis Canonis ad hæc verba; vbi duo adfert huc spectantia. Primum illam Passionis memoriam, de qua agit Alexander, non in verbis, sed in factis positam esse vel fuisse: deinde quia fortè aliqua varietas in his verbis successu temporis irrepserat, Alexander præcepit vt illa verba præscriptâ & certâ formâ ex vsu Apostolorum dicerentur.

Quidquid sit, in Breuiario Romano 3. Maij in lectione 9. de S. Alexandro hæc habentur: *In Canone Missæ addidit; Qui pridie quàm pateretur.* Quod intellige, non quasi ante dicta non fuerint, sed quia fortè in desuetudinem abierant 2. *Explicatur mens Alexandri.*

restaurari præcepit, sicut etiam ante ibidem dicitur, quòd constituerit in Sacrificio aquam vino misceri, id est, suâ Constitutione traditionem Apostolicam renouauit & confirmauit.

Accepit panem:

Nota hîc, olim panem consecrandum formam præsetulisse rotundam & orbicularem. Docent Durandus in Rationali lib. 4. cap. 41. & Stephan. Du-

3. *Panis olim habebat rotundam figuram.* rantus lib. 2. de Ritibus cap. 38. ita, vt ratione rotunditatis formam haberet denarij vel coronæ: Ita dicit S. Epiph. in Ancorato panem Sacramentalem esse formæ rotundæ: ita etiam habet Cæsarius S. Gregor. Nazianzeni frater Dialogo 3. Vnde & corona dicebatur, vt est apud S. Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 55. vbi hostiæ consecrandæ vocantur oblationum coronæ. Vide & S. Chrysost. homil. 83. in Matthæum.

Sunt verba Honorij in Gemma ani-
3. *Quare hoc?* mæ circa hæc lib. 1. cap. 35. *Panis ideo in modum denarij formatur, quia panis vitæ*
1. *Christus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur. Ideo imago Domini cum litteris* (nominis Christi) *in hoc pane exprimitur, quia & in denario nomen Imperatoris scribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen nostrum in libro vitæ notatur.* Hæc ille.

Habet & formam Orbis iuxta Du-
2. rand. suprà cap. 30. vt significetur Christus, qui est Alpha & Omega, Dominus
3. Orbis: Gauantus addit Thesauri Rituum par. 2. tit. 7. quòd Hostia figuram tantùm habeat in altera parte, quia Christus Deus est & homo, sed vt Deus omni figura caret.

4. Collige rursus ex hostiæ seu formulę rotunditate, sacrificij Eucharistici vsque ad finem mundi duraturam perpetuitatem, iuxta illud prioris ad Corint. 11. *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Aduertit item Baron, tomo 1. anno Christi 58. panes ad sacrum Eucharistiæ vsum absque fermento confici solitos (quia Christus peccati purus) decussatione per medium Crucis signum exprimente à maioribus consignari solitos (sicut & panes olim communes ad esum paratos) cuius tamen diuisæ in fractione partes, non quadras, sed particulas seu buccellas ob panis illius exiguitatem appellarunt. 4. *Crucis signo olim notabatur.*

Iterum idem Baron. anno Christi 57. ex Tertull. lib. de Monogamia cap. 11. ostendit V. Eucharistiam quòd in partes diuisa esset, buccellas nominatam: sed S. Augustin. & alij vocarunt Particulas, vt & nos frequenter nominamus, & formulas. 5. *In partes divisus dicebatur buccella vel particula.*

Item idem suprà anno Christi 58. 6.
demonstrat, factum postea esse, vt in iisdem mysticis panibus non Crux tantum per decussationem, sed Christus Crucifixus formis redderetur expressus, vt modo laudabiliter figuratur. *Postea exprimebatur Christus Crucifixus.*

Cur Christus Corpus suum sub specie panis instituit, multæ rationes passim à Patribus & Doctoribus in medium adducuntur: Baptista Scortia l. 4. de Sacrificio Missæ cap. 11. §. 4. adfert octo. 7. *Cur Christus Corpus suum instituit sub specie panis?*

Honorius in Gemma animæ suprà cap. 31. *Hoc sacramentum,* inquit, *ideo ex pane fit, quia Christus se panem viuum astruxit, quem scriptura panem Angelorum predixit. Qui panis fit absque fermento, quia Christus fuit sine peccato. Ideo autem panis ex frumento fit, quia Christus se granum frumenti asseruit; granum autem per trituram de thecâ suâ excutitur, arefactum duobus molæ lapidibus molitur, farina cribrata aqua conspersa compastinatur, panis formatus in clibano coctus incandorem mutatur. Ita Christus nobile granum cum gladijs & fustibus de comitatu sanctorum Apostolorum per Iudæos quasi de thecâ suâ excutitur, contumelijs & opprobrijs arefactus, à Iudæis & gentibus quasi duobus lapidibus flagellis atteritur, cribratus, conspersus, compastinatur, dum à suis separatus, sanguine*

guine proprio perfusus, cruci compingebatur, in qua quasi in igne passionis excoctus in immortalitatem mutabatur.

Et cap. 32. sequenti aliam adfert significationem. *Ideo*, ait, *Corpus Christi etiam ex pane fit, qui ex multis granis conficitur, quia Ecclesia Corpus Christi per illud reficitur, quæ ex multis electis colligitur* &c.

Rationes huius Sacramenti institut. plures profert Trident. sess. 13. cap. 2. & S Thom. 3. par. quæst. 74 art. 1. & August. tract. 26. in Ioannem.

Summa hæc sit, quia panis manifestum symbolum est Christi Passionis, vt ostendit Honorius suprà, quam Christus nos recolere voluit, cum Corpore eius vesceremur.

Deinde, sacrum signum est membrorum corporis mystici, quod est Ecclesia, inter se & cum capite Christo coniunctionis.

Postremo, sicut Corpus naturale pane nutritur, augetur, confirmatur, ita Spiritus Corpore Christi alitur, crescit, corroboratur in vitam æternam.

In sanctas ac venerabiles manus suas; S Iacobus in Liturgiâ: *Accipiens panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles & immortales manus suas.*

8. *Quid significat, quod Christus acceperit in manus panem.*

Significat Christus manus suas organum & instrumentum esse suæ diuinitatis, quâ miraculorum maximum erat patraturus, vt & aliàs fecerat.

Item suam omnipotentiam, cui omnia dedit Pater in manus, simulque munificentiam: *aperit enim manum suam & implet omne animal benedictione.*

9. *Describuntur Christi manus Cantic. 5.*

Dicuntur Cantic. 5. 14. Sponsi, id est, Christi *manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*: id est, concinnæ, elegantes, perfectæ, vt aurum torno affabrè elaboratum, ornatæ annulis, aureis, quorum palis inclusi hyacinthi vel Crysolithi, gemmæ, inquam, aurei, mellei, marini vel etiam cælestis coloris.

Mysticè, eo modo loquendi indicantur Christi omnia opera fuisse omnino perfecta, irreprehensibilia, quibus nihil addi vel detrahi possit, manus, inquam, promptas ad beneficentiam, aureas verò propter diuinam liberalitatem, charitatem & plenitudinem charismatum Spiritus sancti, plenas autem hyacinthis, quia eius opera erant cælestia, quibus homines ad spem & amorem supernorum accendebat.

Ex consideratione harum manuum Christi attentiores, si velint, redduntur sacerdotes, vt cogitent quales sint ipsorum manus, non modo ex vnctione Chrismatis sanctificatæ, sed quales etiam esse debeant ex iusta operatione & merito sanctæ & laudabilis vitæ.

10. *Monentur sacerdotes habere manus etiam sanctas &c.*

Insuper monentur, dum Christi sanctas & venerabiles manus laudant, hanc sanctitatem & venerationem adhibere, vt profanis, pollutis & sanguine plenis manibus panem hunc consecrare & tangere non præsumant: *Sancta Sanctis* ad sacram mensam accedentibus olim acclamabat Diaconus, vt, *siquis non est sanctus non accedat*, ait S. Chrysost. Homil. 61. ad Populum.

Rectè inculcat quidam: Nouerimus nos hîc non vesci pane nostro in sudore vultus, nec labores manuum nostrarum manducare; sed panem partum labore, sudore. Passione, sanguine, meritis Christi: hinc beati sumus, & bene nobis erit.

Et eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum Omnipotentem.

Ita etiam S. Iacobus, & Marcus in suis Liturgijs. Idem testantur S. Clemens, S. Ambros. &c.

11. *Ex Traditione Apostolorum habetur.*

Hoc Ecclesia ex Apostolorum traditione vsurpat (vt & alia quædam, de quibus postea) vt docet S. Thomas & alij. Vide S. Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 27. vbi auctoritatem Traditionum confirmat.

12. *Quid signet oculorum in cælum sublatio.*

Mysticè, Christus in cælum suspicit cæleste instituturus Sacramentum, vt demonstraret cælitus à Deo Patre se pote-

potestatem accepisse, vt & aliàs in Euangelio sæpius fecisse legitur. Similiter vt insinuaret se dare nobis non panem terrenum, sed cælestem. Ioan. 6. *Pater meus dat vobis panem de cælo verum.*

Moraliter etiam indicatur Liturgo consecraturo, qui ex ritu Ecclesiæ etiam oculos in cælum eleuare iubetur, vt dum hæc verba pronuntiat, oculos non solùm corporis, sed magis etiam mentis in cælum sustollat, & à rerum terrenarum cogitatione animum abducat.

Tibi gratias agens: Constat hoc Christum fecisse ex S. Luca, & Paulo. Idẽ fecit Ioan. 6. panes multiplicaturus, quod miraculum clarissima fuit figura augustissimi huius mysterij, vt notum est.

Ab hac gratiarum actione Sacramentum hoc nomen duxit, vt dicatur *Eucharistia*, id est, bona gratia, vel gratiarum actio; quia & ipsum maxima & optima est gratia, & consequenter, cùm sumitur, maximâ cum gratiarum actione frequentandum.

S. Chrysostom. Homil. 38. in Matth. *Gratias egit antequam discipulis dedit, vt etiam ab actione gratiarum incipiamus, gratias egit postquam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus.*

13. *Quæ fuerit benedictio.* *Benedixit.* Christus panem & postea calicem benedixit, id est, oratione suâ quasi præparauit, vt V. Eucharistiæ fierent materia idonea: & benedictione Dei omnipotentiam inuocauit, vt & tunc, & etiam in omnibus futuris consecrationibus à sacerdotibus nouæ legis faciendis, præsto esset ad transmutationem panis in Corpus & vini in sanguinem suum. Habemus similem benedictonem panum Lucæ 9. 16. & piscium Marci 8. 7.

14. *Differt à gratiarum actione.* Ex hoc sequitur primò, contra heterodoxos Christum non benedixisse (id est, laudasse) Patrem suum his verbis, sed panem & vinum, vt etiam fatetur Caluinus. Prius enim Deo Patri gratias egerat, vt habemus; deinde hoc exigit connexio verborum sequentium, sequitur enim post Benedixit, fregit &c. Præterea Apostolus ex hac benedictione vocat calicem benedictionis 1. ad Corinth. 10. v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus,* &c.

Sequitur 2. hanc benedictionem non fuisse consecrationem, sed præuiam diuinæ omnipotentiæ inuocationem; nam Christus consecrauit iisdem verbis, quibus nos: vnde hac in re non sequendi illi quos citat S. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 1. ad 1. sed potiùs Tridentin. sess. 13. cap. 1. & Doctores alij Scholastici. 15. *Benedictio hæc non fuit consecratio.*

Sequitur 3. cùm nos in Canone dicimus, vt Deus benedicat *hæc dona*, &c. petere nos vt Dei omnipotentia adsit ad perficiendam panis & vini consecrationem.

Nota quosdam Doctores meo iudicio valde probabiliter docere Christum signum Crucis expressisse super panem & vinum cùm ea benedixit ad futuram conuersionem: Siquidem ex ritu Ecclesiæ sacerdotes dum consecrant panem & vinum signo Crucis benedicunt, idque exemplo Christi, sicut ex eodem ceteras cæremonias vsurpant. Vide Alphons. Salmer. tomo 9. tract. 12. & Baptistam Scortia de Sacrificio Missæ lib. 4. cap. 11. §. 4. Contrarium tenent Gauant. in Thesauro Rituum par. 2. tit. 1. & alij: quia aiunt nondum data erat Cruci virtus Deifica; sed poterat Christus tunc temporis eamdem indere, & hoc signo mortem, quâ moriturus, præsignare. Ceterùm Christum formando Crucem panem benedixisse multis probat suprà Salmeron, dicitque Ecclesiam ex Apostolica traditione benedicendo panem Crucis signo vti, nam alioquin plus facerent sacerdotes nostri in consecratione quàm Christus. 16. *Verisimiliter Christus benedicendo Crucem formauit.*

Addit

Addit Christum aliàs cùm benedictione vsus est, manibus moris signum aliquod edidisse, vt cùm Marci 10. pueris benediceret, imposuit illis manus, & Lucæ vltimo benedixit Apostolis eleuatis manibus. Denique indicata fuit hæc benedictio in lege Naturæ cùm Genes. 48. Iacob nepotibus suis cancellatis manibus benedixit : & rursus in Lege scriptâ in Sacrificio Tenupha siue eleuationis, vbi sacerdos hostiam ad quatuor mundi plagas mouebat per modum Crucis. Hæc & plura Salmeron.

Fregit. Panem, azymum scilicet (erat enim dies Azymorum) diuisit frangendo in tredecim buccellas siue particulas. Iudam etiam V. Eucharistiæ fuisse participem constat ex S. Luca cap. 22. v. 20. & 21. & communi ferè Doctorum sententia, multorumque Patrum.

Sunt qui putant Euangelistas mysterium institutæ V. Eucharistiæ recensentes, & etiam Canonem nostrum vsurpasse figuram ὕστερον πρότερον siue Hysterologiam, id est, posuisse priore loco quod erat postponendum: dicunt enim : *Fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes : Hoc est enim Corpus meum*; cùm hoc modo offerendum esset: *Accepit panem & benedixit dicens: Hoc est corpus meum; deinde fregit, deditque discipulis suis dicens : Accipite & manducate ex hoc omnes.* Ita S. Thomas 3. par. quæst. 78. art. 1. ad primum, Gabriel Lect. 36. in Canon. & alij quidam.

17. *Non est in his verbis Hysteron proteron.*

Verùm, quia res hæc incerta est, probabilius est Euangelistas narrare omnes illos ritus eo ordine quem Christus seruauit in Mysterij Eucharistici institutione, cũ ille ordo narrationis nihil incommodi vel absurdi habeat. Ergo ille tenendus est. Ita veteres Patres, Clemens, Tertullian. Doctores, Suarez, alij.

Deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes.

Voculam *omnes*, etsi omiserint Euangelistæ, ex traditione tamen Apostolicâ ista Canoni inserta est, vt & aliæ quædam, de quibus postea; habetque illam S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 5.

Accipite & manducate; hoc est enim corpus meum.

19. *Sunt verba hæc tam dantis quàm consecrantis.*

Hæc verba tam sunt dantis quàm consecrantis, quæ cum præcedentibus etsi referant panem, non tamen qui panis manebat, sed qui inter porrigendum vi verborum Consecrationis in Corpus Christi transsubstantiabatur. Sic dixisse poterat Christus in nuptijs factis in Cana Galileæ: Accipite & bibite, hoc est enim vinum, si per illum loquendi modum voluisset aquam in vinum mutare.

19. *Dedit Christus suum Corpus in manus Apostolorum.*

Ceterùm planè verisimile est Christum, cùm hæc verba pronuntiaret, singulis Apostolis singulas particulas in manus dedisse, tertiâ decimâ sibi retentâ. Sic enim olim in Ecclesia mos fuit viris V. Eucharistiam in manus dare communicaturis, de quo ritu postea.

Stephanus tamen Eduensis putat Christum Corpus suum ori Apostolorum inseruisse: sed nobiscum tenet Salmeron tomo 9. tract. 12. Suarez disp. 69. sect. 1. Scortia lib. 4. de Missa c. 11. §. 10. qui bene hoc probat: cùm enim in toris, more tum Iudæis & Romanis vsitato, recumberent, non potuisset Christus singulorum ori imponere, quia multi remotiores erant.

20. *Probabile est Christum suis Apostolis dedisse Corpus suũ in patena.*

Nec omnino improbabile est Christum corpus suum Apostolis in patena, vt inde sibi quisque particulam sumeret, dedisse.

Fauet huic opinioni quod alibi dixi, seruari adhuc Genuæ in Italia patenam ex lapide pretioso confectam, quæ Corpus Christi consecratum excepit

cepit. Notanda sunt hîc verba Salmeronis. Quidam, ait, non indiligenter annotauit, quemadmodum vnum calicem communem omnibus dedit ad bibendum, ita in vna patina, vel patella, aut patena (hæc enim Latinis omnia idem significant) panem in duodecim buccellas fractũ manibus suis dispensasse, vt hinc Ecclesia vsum patinarum Apostolica traditione acceperit. Itaque sicut calicem vnus discipulus alteri distribuebat, ita patinam cum sancto pane propinquiores remotioribus porrexerunt. Hæc Salmeron.

Aduerte porrò his quatuor verbis, & in vltima cœna à Christo prolatis, & nunc à sacerdotibus in personâ Christi proferentibus, fieri substantialem panis

21. *Est forma verborum practica.* in Corpus Christi conuersionem, remanentibus tantùm eius accidentibus. Est enim hæc forma verborum practica, (sicut in genesi mundi, fiat lux &c.) & efficax siue operatoria eius, quod prius non erat, & factum significatur: facit enim quod dicit, & eo ipso quo dicit.

Vnde docent Theologi formam Consecrationis non solùm historicè proferri à sacerdote faciente, sed etiam practicè, & quidem in persona Christi quasi ipse esset Christus.

Horum omnium verborum seriem recitat S. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 5.

Vis, ait, scire, quia verbis cælestibus consecratur. Accipe quæ sint verba: dicit sacerdos: Qui pridie quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in cælum ad te Sancte Pater omnipotens æterne Deus gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis, & discipulis dedit, dicens: Accipite & comedite ex hoc omnes &c.

Hoc est enim Corpus meum. Addit his Lucas cap. 22. 19. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur*, id est, mox dabitur in Crucem & mortem: vnde habet S. Paulus 1. ad Corinth. 11. *Quod pro vobis traditur*: Græcè κλώμενον, id est, frangitur, scilicet in signis & speciebus, vel frangitur, id est, immolatur & consumitur, (vnde patet veritas sacrificij Eucharistici) vel in morte frangetur.

Gabriel Lect. 38. in Canonem obseruat quinque verbis dictis perfici 22. *Mira vis verborum forma.* Consecrationem, sicut totidem verbis fuit consummata diuini Verbi Incarnatio, dicente Deipara; *Fiat mihi secundum verbum tuum*, & Publicano concessa peccatorum remissio: *Deus propitius esto mihi peccatori*: item Latroni pœnitenti Paradisi promissio; *Hodie mecum eris in Paradiso*.

Eruditè Cornelius in Matth. 26. 23. *Ostenditur Corpus Christi posse contineri exigua hostiâ.* ostendit rationibus Theologicis, & & Physicis, & demonstrationibus Mathematicis, & Analogijs non esse impossibile totum Corpus contineri exiguâ hostiâ, imo, quolibet illius puncto: nam præterquam quòd Deus naturæ Dominus sit, ideóque possit supra naturam agere; videmus in speculo & in oculo recipi species opticas (quæ res corporeæ sunt) montium etiam altissimorum & maximorum, & id quidem naturaliter: & in triangulo & circulo demonstrari potest magnam quantitatem recipi in parua, imò in quolibet eius puncto: & in olla bulliente per rarefactionem parum aquæ extendi in maximum etiam locum, & per condensationem ex frigore contrahi in multo minorem, idque naturaliter. &c. Vide Cornelium à Lapide suprà.

In Liturgiâ S. Iacobi, Marci, & aliorum hæc verba recitantur tamquam forma, vt verè sunt Sacramenti.

Aduerte autem, quod, cùm Ecclesia 24. *Vocem Enim etiam Christus formæ adiecit.* per suos sacerdotes addit verbis Consecrationis coniunctionem *Enim*, indicet verba illa continere rationem, cur Christus dixerit; *Accipite & comedite*; nempe, quia non erat cibus aliquis vulgaris, aut panis communis, sed suum Corpus. Nec dubium videtur Christum

ftum illam addidiſſe, & Eccleſiam per traditionem S. Petri, qui noſtræ Miſſæ, auctor eſt, accepiſſe, vt docet S. Thom. 3. p. q. 78 art. 2: & inde hoc conſtat, quod Dominus apud Matth. cap. 26 illam addiderit conſecrationi Calicis, dicens, *Hic est enim ſanguis meus*: ergo etiam eamdem appoſuit conſecrationi panis, cùm eadem ſit ratio: vnde hîc ſcitè auditur, & textus Ægyptius eam expreſſit.

25. Aduerte tamen ſecundò, τὸ *enim* non eſſe de eſſentia conſecrationis, vt pa et. cùm nihil faciat ad formæ effectum, & eſt communis Doctorum ſententia; nec eſt per ſe niſi peccatum veniale ſi omittatur: ſi verò adſit contemptus, mortale. Ita Theologi, Suarez, alij.

Non eſt de eſſentia formæ, & ſolùm veniale ſi omittatur.

Olim, apud Græcos maximè, ſacerdote ſacra verba altâ & clarâ voce pronuntiante, populus aſſiſtens reſpondebat, *Amen*, approbando & confirmando. q. d. Verè ita eſt, vt tu dicis, ita credimus. Sic Cardin. Beſſarion de Euchariſtiæ Sacramento.

Videndus hîc Durantus lib. 3. de Ritibus cap. 39. vbi multa profert ex Patribus & Concilijs pro veritate Corporis Chriſti, condemnatione Berengarij, & miracula quibus illam Deus confirmauit.

26. Prolatis conſecrationis verbis ſacerdos Chriſti Corpus adorat, mox in altum eleuat, & populo item adorandum proponit. Idem poſtea facit Sanguinem in Calice eleuando.

Sacerdos V. Euchariſtiam adorat, & eleuat, vt populus etiam adoret.

Ita Anaſtaſius de Sacra Synaxi. *Poſtquam, ait, ſacrificium illud tremendum ſanctificauit, panem vitæ ſuſtolit, eumque omnibus oſtendit.*

Eamdem ab incunabulis Eccleſiæ frequentatam cæremoniam demonſtrat S. Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. *Pontifex*, inquit, *cùm diuina munera laude proſecutus fuerit, ſacratiſſima & auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerandis operta ſignis atque abdita in conſpectum agit, diuinaque munera reuerenter oſtendens, ad ſacram illorum communionem & ipſe conuertitur.* Vide & S. Baſilium lib. de Spiritu Sancto cap. 27.

S. Chryſoſt. Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſ. dicit morem fuiſſe Græcorum, vt V. Euchariſtia ad altare conſecraretur velis obducta, deinde retractis velis oſtenderetur populo. An non etiam iam alibi talis mos obtinuit?

Multi Orientales moris habent res pretioſas honoris causâ capiti ſuperimponere. Itē Chriſtiani ſacerdotes in Græcia olim aureis, argenteiſque forcipibus V. Euchariſtiam tractabant vt Seraphim calculum altaris, Iſaiæ 6.

Hæc V. Euchariſtiæ adoratio pluribus locis fuerat prædicta à Pſalmographo, vt Pſalmo 2. v. 12. qui de Chriſto ad litteram eſt: *Apprehendite diſciplinam*: id eſt Chriſti inſtructionem, eique ſubiacete, colite. Hebr. *Oſculamini filium*. Porrò oſculum manuum vel pedum ſymbolum eſt adorationis, cultus, obedientiæ: alij reddunt; *Adorate purè*. Explicat Aben-Eſra, *Meſſiam adorate, colite reuerenter, vt Regem veſtrum excipite.* 27.

Adorationem hanc prædixerat Pſaltes vt Pſal. 2. 21. 71. 98.

Vt tres Magi adorarunt inuolutum pannis, ita & vos adorate inuolutum ſymbolo panis.

Rurſus, Pſalmo 21. (qui & ipſe de Chriſto eſt) agens apertè de hoc ſacrificio & Sacramento, vaticinatur v. 27. *Edent* (ex hoc ſacrificio) *pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum &c.* v. 28. *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium* v. 30. *Manducauerunt & adorauerunt* (Chriſtum in V. Euchariſtia) *omnes pingues terræ* (id eſt opulenti) *in conſpectu eius cadent* (ſupplices adorabunt in terram proſtrati) *omnes qui deſcendunt in terram*: id eſt, omnes mortales: nam ipſi flectetur omne genu ad Philipp. 2. 10. Ita Euſebius, Hiero-

Hieronym. August. alij.

Præterea Psalmo 71. (quo sub typo Salomonici imperij regnum Christi pacificum, amplissimum, æternumque prophetice describitur, testibus etiam Rabbinis) dicitur v. 16. *Et erit firmamentum* (panis videlicet, qui in scriptura Phrasi Hebraica vocatur *baculus* Leuit. 26. v. 26. *postquam confregero baculum panis vestri*: & firmamentum Psal. 104. 16. *omne firmamentum panis contriuit*, eò quòd cor hominis corroboret & confirmet Psalm. 103. 15) *in terra in summis montium*: præcesserat autem Messiæ adoratio in antecedentibus. Licet autem sensus historicus sit de affluentia omnium rerum maximè spiritualium tempore Messiæ; videtur tamen primaria notio istorum verborum esse de nostro Sacrificio, cui fauent plures versiones Interpretum ex Hebræo, vt Pauli Burgensis, *placentula frumenti*; Rabbi Emanuelis *vola frumenti*; Vatabli & Genebrardi, *pugillus frumenti*: Rabbi Ionathæ Chaldæi: *Erit placenta tritici in vertice sacerdotum*. Præterea multi veteres Rabbini id interpretantur de sacrificio panis delicatissimi tempore Messiæ offerendo. Vide Genebrardum & Ians. ibidem loci.

Denique Psalm. 98. v. 5. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Patres accipiunt de carne siue humanitate Christi adorandâ in V. Eucharistiâ, ad cuius cultum Psaltes omnes inuitat sub typo Arcæ testamenti, cui Deus sedens super Propitiatorium quasi scabello videbatur inniti! Ita Cyril. lib. 3. in Ioannem, Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. *Per scabellum*, ait, *terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorauerunt*. S. August. de verbis Domini in Ioannem Serm. 58. hunc locum explicans: *Et quia*, inquit, *in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*. Hactenus ille.

Ceterùm cùm V. Eucharistia in altum tollitur, & adoranda proponitur, maximam animi & corporis venerationem esse adhibendam fides & ratio docet.

Ad hoc propositum præcipuos locos ex libris S. Ioan. Chrysostomi collegit Claudius de Sainctes suprà cap. 19. & 27. Itaque cùm hostia mystica adoranda proponitur, conuenit more antiquo manus in cælum sursum cum oculis & mente attollere, memores Summum Pontificem Christum pro nobis in Cruce sanguine simul ac misericordiâ stillantes manus extendisse cælum versus, vt interdum pingitur. 28. *Symbola reuerentiæ exhibendæ cùm S. Hostia ostenditur, vt pectus tundere oculos attollere, manus osculari.*

Similiter docet ad illius ostensionem capita inclinare, cùm nouerimus Christum in Cruce inclinato capite spiritum emisisse.

Æquum præterea pectora pugnis tundere, exemplo eorum qui Christi Cruci affixi & patientis spectaculo aderant, & postea reuertebantur percutientes pectora sua: simulque ad gratias agendas pio Pelicano Iesu Domino, cuius latus lanceâ miles aperuit, & vnde exiuit sanguis & aqua in lauacrum, lytrum, salutem, & vitam exanguium pullorum suorum.

Sunt qui manus suas toti vultui superducunt, vel pollices osculantur, vt solent Heluetij & Iberi. Nam notum est etiam veteribus signum adorationis fuisse ori manum admouere, vt constat ex Tacito, Plinio lib. 28. cap. 2. *In adorando*, ait, *dexteram ad osculum referimus*; & constat etiam ex scriptura, 3. Reg. 19. v. 18. vbi ait Dominus Eliæ: *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua, non sunt incuruata ante Baal*,

& omne os quod non adorauit eum osculans manus, & Iob cap.31.v.26.& 27. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè; Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* In quem locum vide Pinedam.

29. *Damnati Fratricelli qui negabant Christum in V. Eucharistia adorandum.* Meritò igitur in Clement. *Ad nostram* damnati sunt Fratricelli qui art. 8. negabant esse assurgendum & exhibendam reuerentiam V. Eucharistiæ in eleuatione, ne à puritate suæ intentionis discedere viderentur.

Proinde salutare erit mente vel ore pronuntiare breuem tunc temporis precem.

Vt S. Anselmi, *Tuas Christe miserationes prædicamus, tuæ suauitatis memoriam cum abundantiâ eructamus, tibi Christe sacrificium laudis immolamus, pro multitudine bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis femininequam, filijs sceleratis & perditis*; &c.

30. *Breuis aliqua oratio dicenda tempore Eleuationis, vt, &c.* Vt Rythmum S. Thomæ Aquinatis, *Adoro te supplex* &c. Vt illam: *Anima Christi sanctifica me.*

Vel aliquam breuiorem; vt est illa S. Thomæ Aquinatis, vt habet S. Antoninus in eius vita, *Tu rex gloriæ Christe*, &c. Alexandri Alens. *Adoro te Iesu Christe Saluator, qui per mortem tuam redemisti mundum.*

S. Francisci Seraphici, *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem filij tui dilecti, in quo beneplacitum est tibi.* S. Thomæ Apostoli; *Dominus meus & Deus meus.* Ecclesiæ: *Te ergo quæsumus famulis tuis subueni*; &c. De actibus interioribus & exterioribus fidei & Latriæ, quibus V. Eucharistia, cùm eleuatur, est prosequenda, multa sapidè, piè, luculentè ratiocinatur Gabriel Lectione 50. in Canonem, quem Lector consulat.

Vnde colligere datur quantò maiore submissione & reuerentiâ corporis, animi puritate & deuotione Sacerdos Sacram Hostiam attollens commoueri debeat, & mente hæc aut similia cogitare. *Respice Domine sancte Pater de sanctuario tuo & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert Magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Iesus pro peccatis fratrum suorum, & placabilis esto populo tuo.*

Dicitur S. Hieronym. graui morbo affixus lecto cùm sacerdos ad eum sacrosanctum mysterium deferret in hæc verba prorupisse: *O ferculum excellentissimum & venerandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum!* Extat in fine operum eiusdem tomo 9. epistola cuiusdam Eusebij ad nescio quem Damasum de morte S. Hieronymi, in qua scribitur, cùm ei ægrotanti sacerdos Christi Corpus attulisset, adiuuantibus qui aderant, sese pronum in terram prostrauisse, & voce cum lacrymis quantum potuit exclamasse: *Domine non sum dignus* &c. & pectus pugnis percussisse. 31. *Reuerentia S. Hieronymi erga V. Eucharistiam.*

Nec mirum hoc Sanctum fecisse, cùm legamus apud Nicolaum Sanderum lib.1. de Schismate Anglicano sceleratissimum caput Henricum Octauum ante mortem V. Eucharistiæ assurrexisse; & in terram se prosternere voluisse, atq; hęc addidisse: *si infra terram me deprimerem, adhuc tamen tanto Sacramento venerationem dignam non exhiberem.* 32. *Item Henrici Octaui Schismatici.*

Obtinuit quondam, & nunc etiam viget consuetudo, vt ad sacræ hostiæ ostensionem populus vel Clerus ad reuerentiam Sacramento conciliandam, Dei laudem in animis excitandam, vel eius opem implorandam, pium carmen moduletur in solemni Liturgiâ, vt est Rythmicum illud: *O salutaris hostia*: quod in regno Galliæ Ludouicus 12. Rex decantari iussit ad V. Sacramenti ostensionem, ob regni pericula & perturbationes: sic mansit Gallia ab hostibus intacta, vt plures docent auctores, Claudius Sainctes, Clicthoueus, Durantus, alij. 33. *In solemni sacro cur cantetur* O salutaris hostia.

Accendebantur etiam olim cerei ad V. Hostiæ eleuationem.

34. *Ad eleuationem S. Hostiæ datur signum cymbalis vel campanis.* Rursus eodem tempore qui adsunt altari ministri monendo populo ad genuflexionem & Christi adorationem non solùm cymbala pulsant, vel tintinnabulo perstrepunt, sed etiam in Missa publica, è turribus æreâ campanâ resonant, vt etiam ij qui foris sunt, honorem aliquem Christo Domino exhibeant.

In Concilio Mediolanensi quod sub Carolo Borromæo Archiepiscopo sanctô habitum est anno 1569. titulo 2. Decretum exstat his verbis: *Cùm Corpus Christi sustollendum est in Missa Conuentuali, & in ea item Missa, quæ in Parochiali Ecclesia à Parocho celebratur, tum signum sono campanæ detur, cuius significatione fideles qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non adsunt admoniti ad tanti mysterij ac beneficij recordationem animum excitantes mente supplici religiosas preces adhibeant.* Consuetudo illa perantiqua est in Ecclesia. Vide Cæsar. Heisterbachen lib. 9. cap. 51. Naucler. Generat. 41. hunc ritum institutum dicit à Gregorio 9. an. 1240.

35. *Sic olim Leuitæ tubis clangebant sub sacrificium.* Putant quidã figuram huius præcessisse in veteri Lege, cùm tempore sacrificij Leuitæ tubis argenteis clangerent Num. 10. 1. Paralip. 15. 16. (quæ teste Iosepho lib. 3. Antiquit. cap. 11. in extremitate similes erant campanæ) vt animos ad adorandum præpararent. Vide etiam 2. Paralip. c. 29.

36. *Rationes cur post consecrationem Christi Corpus ostendatur.* Quamuis verò præcipua ratio, cur mysticum ferculum in sublimi proponatur, illa sit, vt omnes poplite flexo illud adorent; suggeruntur tamen plures aliæ ab auctoribus qui de ritibus Ecclesiæ scripserunt, de quibus videndus Durandus Rationalis lib. 4. cap. 41.

S. German. in Theoria rerum Ecclesiastic. significare dicit hanc sacræ hostiæ eleuationem Christi in Cruce exaltationem, & eiusdem gloriosam Resurrectionem & Ascensionem.

S. Bonauent. in expositione Missæ nouem admodum deuotas adfert rationes. Prima & præcipua est ad gratiã Dei Patris, quam peccatis nostris perdidimus, obtinendam. Eleuando ergo Corpus Christi videtur sacerdos dicere: *O Pater cælestis peccauimus, & ad iracundiam te prouocauimus. Sed nunc respice in faciem Christi tui, quem tibi præsentamus vt misericordiam tuam prouocemus. Ne ergo auertas faciem à puero tuo, id est à filio tuo: & memento quòd de eo dixeris: Hic est filius meus in quo mihi bene complacui.*

Alias Lector apud eum prolixiùs diductas inueniet.

Simili modo postquam cœnatum est:

Sensus est: post sumptam cœnam, tum Paschalis Agni sacram & typicam, tum communem & vsualem aliorum ciborum, cùm adhuc mensæ essent stratæ & dapibus refertæ; vnde ait Matthæus cap. 26 v. 26. *Cænantibus eis*; licet S. Lucas & Paulus, vt & Canon noster, habeant, *Postquam cœnatum est*; sed omnes verè & rectè: Christus autem his duabus cœnis addidit & tertiam planè diuinam & ordinis altioris, & quidem congruentissimè; quia decebat & conueniebat typum Agni præcedere veritatem Corporis & sanguinis sui; erat præterea illa vltimum pignus & memoriale paulò pòst morituri, & summi amoris erga suos monimentum, quod ipsorum animis abiturus ad Patrem impressum altissimè volebat; licet nos ob reuerentiam tanti Sacramenti illam Cœnam, ieiuni accipiamus, vt bene S. August. Epist. 128. idque ex Apostolica traditione. 37. *Triplex Christi cœna.*

Accipiens & hunc præclarum calicem &c.

Pari modo, quo panẽ acceptum benedixerat, & per verba sua operatoria in Corpus suum conuerterat, nunc etiam vinum contentum calice in Sanguinem suum transmutat. 38. *Cur dicitur Hunc.*

Notat Odo Cameracensis, Florus Magister, Alcuinus, Eduensis & Paschasius lib. de Corpore Christi cap. 15. significan-

signanter & ἐμφατικώτερον dictum (Hunc) eò quòd non sit aliud sacrificium quod modò Ecclesia per sacerdotem offert, nec alius sanguis, aut etiam Corpus, quàm quod Christus obtulit in cœna, solumque numero quo ad species, loco, tempore & similibus circumstantijs ab illo differens: idem est enim principalis offerens Christus, materia, forma, res oblata.

39. *Calix quare præclarus.* Nota 2. manifestam hîc esse allusionem ad versum 5. Psalm. 22. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est*: *Calicem* enim illum (vt & v. 4. *mensam*) plurimi Patres tam Græci quàm Latini sumunt de Calice Eucharistico sanguinis Christi, qui verè egregius est, & sobriâ ebrietate spiritum inebriat: de quo videndus Lorinus in illum locum, & Odo in Canonem.

Nota 3. alia ratione manducandum porrexisse Christum Apostolis Corpus suum, aliaque Calicem sui Sanguinis: nam, vt ante insinuauimus, cuilibet eorum dedit particulam panis consecrati sumendam, quod commodè fieri poterat, calicem verò à se consecratum, cùm primus ex illo bibisset, propinauit Apostolis & circumferri iussit vt ex eo omnes biberent, quia liquidus erat.

Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, &c.

40. *Christus condidit suo sanguine nouum testamentum.* Sensus est: Hoc calice (in quo ante vinum erat) per mysticam & efficacem benedictionē verborum meorū continetur sanguis meus, ita vt iam non sit calix vini sed sanguinis: quo sanguine sancitur, firmatur nouum testamentum siue fœdus me mediatore Deum inter & homines initum: quo, inquam, sanguine postridie effundendo meruit & confirmauit Christus ius nobis ad vitam æternam, quæ fuit vltima Christi testatoris voluntas. Christus autem voluit hoc testamentum potiùs condere in cœna quàm in Cruce, quia ibi erant præsentes Apostoli, qui Ecclesiam repræsentabant. Est autem æternum, cui nullum succedet.

Noui & æterni testamenti, mysterium fidei. Licet hæc verba non habeantur in Euangelijs vel S. Paulo, in forma tamen Calicis quâ Ecclesia Romana in Canone vtitur, addita sunt ex Traditione S. Petri nostræ Liturgiæ auctoris, vt docet Leo Nonus Epistolâ ad Michaelem Imperatorem cap. 9. S. Thom. 3. p. qu. 78. art. 2. ad 4. & alij. 41. *Hæc verba dicta à Christo licet non sint de necessitate formæ, sunt tamen præcepti.*

Quamuis autem non sint de necessitate formæ (etsi id videatur tenere B. Thom. in 1. ad Corinth. cap. 11. & docent plures alij Doctores) vnde & in Liturgijs antiquis S. Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysost. non ponuntur; pertinent tamen ad eius integritatem, & sunt de necessitate præcepti obligantis ad peccatum mortale in Ecclesia Latina: ideoque ipsa eadem vsurpat in forma consecrationis calicis tamquam à Christo prolata & ab Apostolis tradita & præcepta, idque eodem tenore quo præcedentia.

Notat Catechismus Romanus c. de Eucharistia hisce verbis *Noui & æterni testamenti*, & consequentibus exprimi tres præclaros effectus Sanguinis Christi in passione effusi: nempe aditum ad æternam hereditatem, quæ iure noui testamenti ad nos venit: rursus ingressum ad iustitiam per mysterium fidei; cùm iustus ex fide viuat: denique remissionem peccatorum.

Mysterium fidei,

Nota hîc significationem vocis *Mysterium*: nam designat rem arcanam, sub qua aliquid vulgo non cognitum latet, & quæ perficitur occulta quapiam sacrorum ratione. Aiunt Lexicographi dictum mysterium, ὅτι δεῖ μύσαντα; τηρεῖν ἔνδον, quod oporteat occulere intus, & profanis non vulgare, vel certè, παρὰ τὸ μύειν τὸ στόμα, id est quod oporteat os obsignare. 42. *Quid mysterium?*

43. *Quid mysterium fidei?* Igitur dicitur Sanguis Christi mysterium fidei, Primò, quia in calice sub vini specie occultatur tamquam res arcana & occulta, quæ sola fide percipiatur, & corde credatur, quam profani non norunt, sed soli initiati; vnde olim Sancti Patres sermonem de V. Eucharistia instituentes dicere solebant, *Norunt initiati*; qui & mystæ vocari possunt, quasi mysteriorum periti.

1.

2. Potest etiam secundò, sanguis Christi in calice vocari mysterium fidei, quia effusus in Cruce & Passione eius, est fidei nostræ Catholicæ obiectum, quâ iustificamur. Credimus enim ablui à peccatis nostris & iustificari merito Sanguinis Agni immaculati & incontaminati Christi Domini nostri.

Hinc Sacramentum altaris inter omnia fidei mysteria κατ' ἐξοχὴν, per excellentiam, à Sanctis Patribus nobilitatur nomine mysterij. Vide etiam Interpretes in illud 1. ad Timoth. 3. *habentes mysterium fidei in conscientia pura.*

Odo Cameracens. in Expositione Canonis. *Est mysterium fidei, quia quod fides credit, intus est occultum.*

Stephan. Eduens. de Sacramento Altaris cap. 16. *Mysterium fidei, id est, secretum, quia quod sensibus nostris est occultum, fidei est reuelatum.*

Alcuinus de diuinis officijs cap. de celebratione Missæ. *Totum quod in hac oblatione agitur mysterium est, aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur speciem habet spiritualem.*

Sacramentum æstimandum est, non specie, sed fide: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Hæc habentur apud Matth. Marcum & Lucam. Sed Matth. & Marcus habent *pro multis*. Lucas autem *pro vobis*. Matth. insuper habet, *in remissionem peccatorum*: *Pro vobis* intellige de præsentibus Apostolis, *Pro multis*, id est pro totius mundi hominibus, qui multi sunt: quoad sufficientiam scilicet, licet non omnibus, quoad efficaciam præsentem.

Effundetur: Græcè apud tres Euangelistas est ἐκχυνόμενον, id est, effunditur, vel offertur & libatur in hoc sacrificio meo sub specie vini liquidi, & paulò pòst in Cruce effundetur in propria & naturali forma Sanguinis.

44. *Ex verbo Effundetur vel effunditur constat V. Eucharistiam esse sacrificium.* Cùm ergo calix hic sanguinis Christi, vt libamentum effusus fuerit in ora Christi & Apostolorum, sicut olim sanguis victimarum effundebatur in sacrificijs veteribus & libabatur Deo; sequitur V. Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sed etiam sacrificium: quod inde constat, quia apud tres Euangelistas, vt dixi, habetur effunditur in præsenti in Græco. Noster autem vertit, effundetur, in futuro, ad Crucis sacrificium referens, cuius V. Eucharistia erat figura.

Igitur concludamus: si verba consecrationis spectemus, maximè quæ habentur apud S. Lucam & Paulum, Corpus quod pro vobis datur vel frangitur, & poculum quod pro vobis effunditur; V. Eucharistiam propriè dictum esse sacrificium, quo vel immediatè vel mediatè peccata multorum remittuntur, de quo postea agendum.

S. Leo Epist. 83. *Effusio pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullam tyrannica vincula retinerent.*

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Sensus est: quoties offeretis venerabile Corpus & Sanguinem meum pretiosum, toties subeat vos memoria Passionis & mortis meæ.

Hæc autem verba referenda sunt tam ad sacrificium Corporis quàm Sanguinis Christi. Vnde & S. Lucas cap. 22. & Apostolus 1. ad Corinth. 11. verba

verba hæc: *Hoc facite in meam commemorationem*, immediatè subijciunt verbis Consecrationis panis.

45. *His verbis data est Apostolis & sacerdotibus potestas consecrandi & offerendi, vt & præceptum.* Porrò facere, significare tam apud profanos quàm sacros scriptores sacrificare notissimum est. His itaque Christus potestatem dedit Apostolis, & sacerdotibus ab illis ordinandis consecrandi Corpus & sanguinem suum, eaque offerendi, similiter & præceptum: vnde & ijsdem verbis ordinauit illos noui testamenti sacerdotes & Episcopos, vt tradit Tridentin. sess. 23. cap. 1. & mandauit illis tamquam Episcopus ordinare & constituere sacerdotes eadem auctoritate & potestate præditos, qui vsque ad consummationem seculi facerent, quod ipse in vltima Cœna fecisset, offerrent sacrificium & sumerent Sacramentum, ad perpetuum Dei cultum, ad spiritualem sui & populi Christiani refectionem, & remissionem peccatorum, & omnia bona Ecclesiæ obtinenda.

Iubet etiam Christus hoc fieri, id est; offerri & sumi in sui memoriam, id est, commemorationem Passionis, mortis suæ, & excellentissimi amoris erga genus humanum, & vt addit Apostolus suprà v. 26. vt eiusdem mortem annunciarent, & in mentem fidelibus reuocarent: vt illius memores gratias agerent, & beneficia supernaturalia, & naturalia postulata obtinerent.

46. *Repræsentatur hoc sacrificio memoria Christi Passionis & mortis.* Hinc colligimus præcipuam rationem, cur Christus tam eximium sacrificium & Sacramentum instituerit: vt scilicet nobis consignaret testamento iugem suæ mortis, & nostræ redemptionis memoriam, quæ optimè repræsentantur in V. Eucharistia dum separatim consecratur Corpus & sanguis: vt significetur eius Passio, & mors, in qua sanguis effusus & Corpus exanime mansit, cuius hîc Symbola habemus.

Clemens Papa quintus in Concilio Viennensi, Clementinâ de Reliquijs & Veneratione Sanctorum. *O digna*, inquit, *& numquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus, mortuam, ac lignum viuificum, ligno Crucis affixum fructum nobis obtulisse salutis!*

Inhæreant animo nostro quæ scribit Siracides cap. 29. Ecclesiastici v. 20. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.* Vide Commentaria ibi nostra.

Licet multa sint, quæ nobis refricent memoriam Passionis & mortis Christi, vt statuæ, imagines, Cruces & alia monimenta; nullum tamen magis efficax & pressius quàm sacra Liturgia, quam fieri Christus voluit in suę præsertim mortis pretiosæ memoriam.

Legimus Iudith 16. v. 23. quod illustris illa heroina & virago partâ memorabili de Holoferne victoriâ obtulerit ipsius Conopeum Domino in templo, idque in *anathema*, Græcè ἀνάθημα per η, id est, in donarium *obliuionis*, quasi antidotum contra obliuionem, vt videlicet Conopeum illud esset tale pignus & monimentum victoriæ relatæ de Assyrijs ope diuinâ, quod nulla deleret obliuio. 47. *V. Eucharistia sacrificium est ἀνάθημα vel anathema obliuionis.*

Huiusmodi Conopeum diebus singulis per ministros suos sacerdotes Domino offert Ecclesia, Christum, inquã, sub tentorio vel Conopeo specierum, idque eo fine vt nulla vmquam liuida obliuio memoriam ex animis nostris auferat magni illius beneficij, quo Christus deuicto tartareo tyranno morte sua nos redemit. Sit ergo nobis V. Eucharistia anathema, ἀνάθημα obliuionis.

Baptista Scortia sic ratiocinatur. Christus sacrificium suum cruentum nouo beneficio sacrificij incruenti cumulauit, vt qui dignas pro passione eius gratias agere non possumus, ipse in nobis manens per Corporis & San-

guinis sui Sacramentũ pro nobis ipsis Deo gratias rependat, solùm pro beneficio V. Eucharistiæ nobis collato exigens, vt cum eius memoriâ sacrificium incruentum frequentemus.

CAPVT XXIII.

Quarta pars Canonis.

V*Nde & memores Domine, nos serui tui &c.*

Hæc protenditur vsque ad *Memento etiam Domine &c.* Et rectè quidem. Sic enim tres illæ precationes quæ sequuntur quasi vnam totalem orationem conficiunt, cum communi clausula perficiantur: *Per eumdem Christum Dominum nostrum.*

Prosequens ergo Ecclesia per suos sacerdotes Canonem, ostendit menti suæ inhærere vltimam sponsi sui dilectissimi voluntatem & præceptum; *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis:* Subijcit namque. *Vnde & memores eiusdem Christi filij tui tam beatæ Passionis, &c.*

Hæc oratio magnam partem recitatur in antiquis liturgijs S. Clementis, Basilij, & fortè mentem sequitur Ecclesia S. Alexandri primi, qui Epist. 1. ad Orthodoxos suprà dixerat: *In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est, vt eius cuius Corpus & Sanguis conficitur, passio celebretur.*

1. *Antiquitas horum verborum.* Quidquid autem sit de sensu illorum verborum, manifestè hæc habentur apud S. Ambrosium lib. 4. de Sacram. cap. 6. *Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis Resurrectionis, & in cælum Ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam.*

2. *Est renouatio Christi Passionis.* Notanda sunt interim verba S. Gregorij ex 4. Dialog. c. 58. *Hæc,* inquit, *victima ab æterno interitu animã saluat, quæ illam nobis mortẽ vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens ex mortuis iam non moritur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi Corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostrâ passionem vnigeniti semper imitatur.* *Sacrificium nostrum.*

Porrò memorat Ecclesia tria potissimùm mysteria Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, idque, vt obseruarunt, qui de sacris ritibus scripserunt, quia Christi passio maximè accendit in nobis caritatem, eius Resurrectio corroborat fidem, Ascensio in cœlum auget spem. Quid enim magis nostrum erga Deum inflaminat amorem, quàm quod *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* ad Rom. 8. Quid magis in nobis confirmat fidem quàm quod Christus *resurrexit à mortuis, primitiæ dormientiũ, vt sicut per hominẽ mors, ita & per hominem resurrectio mortuorũ, & sicut in Adã omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* 1. ad. Corinth. 15. Quid demum magis auget spem quàm quod Christus *ascendens in altũ captiuam duxit captiuitatem! Christi ascensio nostra est prouectio & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Hæc illi piè ratiocinantur. 3. *Cur tria illa mysteria præcipuè in canone memorantur.*

Non meminit autem Canon Christi Natiuitatis, quia sacrificium hoc præcipuè memoriale est Passionis, non Natiuitatis. Radulph. Tungren. Propositione 23.

Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis &c.

Dicunt ijdem qui suprà Rituales: primò, de tuis donis id est, terræ frugibus, quantum ad panem qui conuersus est in carnem Christi: ac datis, id est, fructibus arborum quantum ad vinum in Sanguinem Christi transmutatum

tatum

tatum, non quod tempore huius oblationis verbalis sit panis & vini substantia, sed quia quæ offeruntur ex pane & vino sint confecta, & sub speciebus panis & vini remanentibus continentur.

Secundò, quia hæc hostia Christum continet, qui nobis datus est prius in Redemptorem, postea in panem sanctum &c. *Nobis natus, nobis datus* &c. Est Christus Dei donum, Dei datum.

Tertiò, profitemur hisce nos nihil habere Deo gratum, quod non sit ab ipso datum.

Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.

Hæc hostia est ipsum Altaris Sacramentum, quod multis modis prædicatur. *Ipsa enim trina repetitio tanti mysterii est laudatio*, inquit Florus Magister in Expositione Missæ.

4. *Cur vocetur hostia pura, &c.*

Possunt hæc ait Gabriel lect. 54. exponi in ordine ad V. Eucharistiam in seipsa, vel causaliter in ordine ad nos. Et primo quidem modo, dupliciter, vel per impuritatis exclusionē, vel per perfectionum positionem. Est enim hæc hostia longissimè remota à cuiuscumque tandem labe peccati: præterea Deo vnita, gratia plenissima, de Virgine purissima concepta: denique est hostia nos purgans ab omni peccati immunditiā, nos sanctificans, & omnibus virtutibus exornans, ab omni imperfectionis fœditate nos emaculans.

5. *Monentur sacerdotes puritatis conscientiæ.*

Circa hæc verba aduertunt Rituum scriptores moneri Sacerdotes, cum quantâ puritate conscientiæ & mentis præparatione accedere debeāt ad hanc hostiam puram, immaculatam &c. ne, si peccato obnoxij offerant, fit eorum oblatio quasi qui *victimat* (sacrificat) *filium in conspectu patris sui*. Ecclesiast. 34. v. 24. Huiusmodi sacerdotes magis Dei filium rursus crucifigunt, quam ipsum offerant in sacrificium beneplacitum Patri.

6. *Peccatis sacerdotum hæc hostia in se non fœdatur.*

Ceterùm hæc ita accipe, non quasi suis peccatis puram illam & sanctam hostiam in se contaminent, cùm sit *hæc oblatio munda* Malach. 1. 11. multum dissimilis legis veteris sacrificijs, quæ sacerdotum sceleribus fœdabantur, *Hæc verò oblatio*, vt loquitur Tridēnt. sess. 22. cap. 1. *nulla indignitate aut malitia sacerdotum vel offerentium inquinari potest*, quinimo ipsa semper suam munditiam retinet, vimque ex seipsa mundandi, siue ex opere operato; sed quia illam peccatis sordidati offerentes & sumentes nullam puritatem & sanctitatem accipiunt, quin potiùs sibi iudicium & condemnationem acquirunt.

Panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ.

Panis est cor hominis confirmans in vitam æternam Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Est calix salutis perpetuæ; siquidem ait suprà Christus: *Qui bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Non potest procul abesse à salute, qui manet in Saluatore, & in quo manet Saluator, qui animæ dicit: *Salus tua ego sum.*

7. *Est calix salutis dignè accipientibus, interitus verò indignis, vt Coriandrum.*

Est etiam calix salutaris, qui & pro salute accepta offertur in gratiarum actionem, & similiter pro accipienda ad maius gratiæ augmentum, vt olim hostia pacifica siue salutaris.

Sic tamen hic panis vitam adfert & auget dignè offerentibus & sumentibus, & calix hic ijsdem salutem perpetuam; vt tamen indignis mortem & interitum concilier, *Mors est malis, vita bonis.* Pulchrè S. Augustinus Serm. 1. de Tempore. *Mutet vitam qui vult accipere vitam* (in V. Eucharistia) *nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam.*

Panis hic sanctus par est Coriandro, cuius & Manna similitudinem præferebat Exodi 16. quod aiunt saccharo inuolutum & conditum homini

mini esse saluberrimum cùm stomachum foueat, cerebrum purget; contra
8. verò præbitum canibus in rabiem & mortem eos conuertit. Tempore S. Gregorij Roma peste inguinariâ punita est, ob indignè sumptum panem vitæ. Sed vide de hoc plura apud S. Cyprian, Serm. 5. de Lapsis. Memorabilem vindictam, quam Deus sumpsit de Lothario Gallorum Rege & eius proceribus, ob scelus peruersæ communionis ex Reginone profert Baronius Annale 10. Christi anno 868. Plura habet Scortia lib. 4. de Missâ c. 19. §. 3.

Puniti indignè sumentes.

Ceterùm, vt non solùm memoria Passionis Christi per verba in mente Sacerdotis renouetur, sed etiam per Symbolum & signum reale ipse, ad
9. illa, *Hostiam puram* &c. quinquies figuram Crucis exprimit ad venerationem quinque eius vulnerum in Cruce acceptorum, vt Florus Magister suprà, & Stephan. Eduensis de Sacrament. Altaris cap. 17. Sic ergo aiunt: Quinarium Crucis fit super oblatam & calicem signum, non vt eum, à quo omnis sanctificatio est, sanctificemus, sed vt vulnera pendentis in Cruce, duo manuum, duo pedum, quintum lateris deuotè recolamus.

Quare signum Crucis formetur super oblata.

Itaque iuxta Innocentium tertium & Alexandrum Alensem hæc signa Crucis non pertinent ad consecrationem V. Eucharistiæ iam perfectam per verba ad hoc à Christo instituta, sed ad Passionem Christi memorandam, quæ post consecrationem illius in Cœnâ, in monte Caluariæ à Christo est consummata.

His adde hanc oblationem fieri in memoriam Christi Passionis, non solùm quia ipse hoc præcepit, sed etiam quia in hoc mysterio quædam fit professio, quòd ipse pro nobis mortuus sit ac resurrexerit, vt ait Cyril. Alexandr. lib. 12. in Ioannem cap. 58. & præterea, quia, vt Origen. Homil. 13. in Leuiticum, hæc commemoratio sola est, quæ Deum hominibus reddat propitium.

Insuper obserua hanc Hostiam pluribus encomijs celebrari ad reuerentiam & deuotionem nostram augendam, idque ad imitationem Apostoli ad Roman. 12. vbi vult corpora nostra exhiberi hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem &c.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere 10.
digneris.

Hæc eadem leguntur in antiquis Liturgijs, S. Clementis quæ ita habet: *Te rogamus, vt propitio sereno que vultu respicias supra hæc proposita dona coram te.*

Sunt hæc valde antiqua.

Vide eundem lib. 8. Constitut. cap. 12. Eadem in sua Liturgia habet S. Basil. *Respice*, inquit, *super nos Deus, & super hanc nostram Latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuisti munera Abel. &c.* Ita & S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6.

Consentiunt autem omnes, qui de 11.
Ritibus aliquid scripto ediderunt, hæc verba non significare, vt volunt nostri Missoliturgi, vt Pater cœlestis propitietur, fauorem vel misericordiam suam exhibeat dilecto filio suo, in quo sibi complacuit, & qui ei displicere non potest; sed vt oblationem hanc quatenus à nobis procedit, & offertur nomine corporis sui mystici, quod est Ecclesia, & pro ea, illi acceptam ipsius gratiâ adiuti, reddamus, ac ita nos offerentes sereno vultu respiciat, & gratam habeat oblationem vt à nobis peccatoribus offertur.

Quis illorum sensus.

Breuiter hæc perstringit Alensis: *Verba hæc referuntur ad offerentem & actionem oblationis nostræ, vt nimirum dignè & cum Ecclesiæ vtilitate offeratur sacrificium.*

Sensus hic liquidò & certò colligitur ex sequentibus, in quibus collatio instituitur cum sacrificijs Abelis, Abrahami

12. *Cur confertur sacrificium nostrum cum sacrificijs, Abelis, &c.* hami & Melchisedec, quæ Deus respexit,& quæ magis illi placuerunt,ratione fidei,iustitiæ,& deuotionis ipsorum offerentium, quàm rerum oblatarum: nam inter hostiam nostrã, & ipsorum sacrificia nulla est comparatio. In illis enim erant primogenita ouium & eorum adipes,aries Isaaco suppositus,panis & vinum,figuræ tantùm & vmbræ nostri sacrificij, in quo Agnus qui tollit peccata mundi,aries vepribus coronatus,& in arâ Crucis semel immolatus, Christi Corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini offertur: Quæ autem conuenientia & paritas inter illa?Ergo hac prece tantùm postulamus vt fidem, deuotionem, religionem Patrum istorum assequentes, fructum vberem victimæ salutaris referamus:ex quo colligere possimus obsequium nostrum diuinæ Maiestati fuisse acceptum, vt eorundem pietas fuit grata, vt ipsemet Deus declarauit.

Cur verò hìc adferantur potiùs legis naturæ sacrificia quàm scriptæ: Item, cur horum trium Patriarcharum potiùs quàm aliorum, multa habentur apud Gabrielem Lect. 55. ad quem Lectorem ablego.

Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Hæc Canoni inserta à Leone Magno omnes consentiunt, & ita refert Breuiarium Romanum ipsius die festo, Aprilis vndecimo.

Dubitat Suarez supra cum alijs, vtrum hæc referenda sint ad sacrificium Melchisedec proximè præcedens, an verò ad remotius sacrificium Eucharisticum?

13. *Conueniunt illa propriè nostro Sacrificio.* Gabriel suprà dicit posse referri ad sacrificium Melchisedec, non quidem in se formaliter, sed figuratiuè propter sacrificium nostrum, quod in illo fuit præfiguratum:Sed certum est hæc maximè conuenire & proprijssimè hostiæ & sacrificio Christi,quod solum per se sanctum est, & immaculatum, quæ si sacrificijs ibi memoratis tribuantur, solùm adscribentur illis analogicè & impropriè, quatenus fuerunt typi nostri sacrificij incruenti, vt illud Melchisedec, vel cruenti,vt alia. Itaque veriùs est illa verba attribui Sacrificio nostro, vt rectè Florus Magister suprà.

Supplices te rogamus omnipotens Deus iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in in sublime altare tuum &c.

Antiquitas horum constat ex Missa S. Petri quæ Græcè extat. Deinde ex S. Ambrosio lib. 4. de Sacram. cap. 6. vbi sic legimus. *Sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis Resurrectionis, & in cælum Ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ, & petimus & precamur vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedec.* 14. *Hæc valde antiqua sunt.*

Vbi vides Ambrosium tres Canonis nostri preces in vnam totalem orationem redegisse, vnde etiam nostri Canonis vetustas magis elucescit.

Est hæc pars quasi expositio prioris orationis:Sic enim propitio ac sereno vultu respicit Deus, & acceptum habet sacrificium nostrum, cùm illud iubet perferri per manus siue ministerium Angelorum in sublime, siue cœleste altare.

Pertinet huc locus S. Gregorij 4. Dialog. cap. 58. *Quis, inquit, fidelium habere dubium possit in ipsâ immolationis horâ ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?* 15. *Angelorum in Missa præsentia.*

Ceterùm hæc verba Canonis non ma-

16. materialiter & crasso modo intelligenda sunt, sed metaphoricè & spiritualiter: non de locali motu Corporis & Sanguinis Christi per ministerium Angelorum in altare aliquod corporeum, sed petit sacerdos vt oblatio hæc quatenus à se offertur comitante Angelorum intercessione ministretur, repræsentetur & commendetur Domino vt ab illo acceptetur, vt Angeli nos iuuent, & impetrent nobis dispositionem & præparationem necessariam, quâ per eius participationem & sacram communionem diuinam gratiam & cœlestem benedictionem fructumque vberrimum tam sacrificij quàm Sacramenti consequamur.

Hæc spiritualiter intelligenda.

17. Duo vel tria hîc enodanda occurrunt circa prædicta. Primum quod sit hoc sublime altare. Dicunt aliqui per illud intelligi vel ipsum thronum Dei, vel ipsum cœlum, quod Dei & templum & altare est, in quod recipiuntur sacrificia, quæ in terris Deo libantur.

Quod sit Altare sublime.

Sed, saluo meliore iudicio, & vt sententiæ nostræ insistamus, quam de significatione Altaris secuti sumus lib. 1. cap. 17. dicimus, Altare illud sublime esse Christum, vt ibi multis ostendimus, per quem vota, preces, & oblationes nostræ Deo offeruntur. Vide de hoc Florum Magistrum suprà, & S. Thom. quæst. 83. art. 4. ad 2.

18. Alterum quæritur quis sit ille Angelus sanctus? S. Thomas & alij secuti Algerum per Angelum accipiunt Christum magni consilij Angelum. Verùm hoc minus hîc congruit, præsertim si per altare ipsum Christum accipiamus: esset enim tunc Tautologia, & non satis apta repetitio: deinde S. Ambrosius suprà habet; *Per manus Angelorum tuorum.* Vnde alij per Angelum intelligunt Angelum sacerdotis tutelarem.

Quis sit ille Angelus.

Verùm iuxta ea, quæ suprà diximus lib. 1. cap. 17. sumimus hîc per Angelum altaris, in quo sacerdos celebrat, præsidem & assistentem. Probabile enim est, vt ibidem probauimus, sacris altaribus à Deo deputatum esse Angelum aliquem, qui illi semper adstet. 19.

Est Angelus præses altaris.

Colligunt Doctores ex Apocalyp. 8. v. 3. & 4. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Sic Iud. 13. v. 19. *Cùm tulisset Manue* (pater Samsonis) *hædum de capris, & libamenta, & posuisset super petram offerens Domino*; dicitur postea v. 20. *Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.*

Postremò, dicuntur vota & preces nostræ deferri & repræsentari per Angelum vel Angelos in conspectu Dei, non quia per illos Deo innotescant, sed, quia & nostram imbecillitatem suis precibus adiuuant, & diuinam voluntatem super desiderijs nostris consulunt, vt quod Deo iubente implendum esse cognouerint, nobis significent vt oportere intellexerint. Ita S. Augustin. Epist. 121. cap. 9. Vide Tobiæ 3. v. 24. & 25. *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei* (Tobiæ & Saræ) *& missus est Angelus Domini sanctus Raphael vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ*; & clarissimè ibidem c. 12. v. 12. ait Raphael: *Quando orabas cum lacrymis* &c. *ego obtuli orationem tuam Domino*, &c. 20.

Quomodo Angeli preces nostras Deo offerant.

Consule de modo quo Angeli orationes nostras Deo offerant, Nicolaum Serarium in locum citatum Tobiæ 3. quæst. 4. *An hominum preces offerant Deo Angeli*; Item 5. *Cur Deo ipsi hominum preces offerant.* Rursus 6. *Quonam modo hoc faciant.* Rursus quæst. 11. *An*

Angelorum oblatio coniunctam habeat ipsorum pro hominibus precationem. Vide etiam Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 24. & Gabrielem Lect. 55. & Durantum lib. 2. cap. 42.

Memorabilis refertur historia in Magno speculo Exemplorum, quo-
21. *Ostenditur exemplo.* modo sacerdos quidam, cùm hæc verba proferret. *Iube hæc perferri*, &c. viderit plures Angelos in circuitu Altaris stantes pulcherrimis stolis ornatos & exultabundos, inter quos vnus ceteris sublimior, & specie honoratior sacram hostiam diuino conspectui præsentabat ceteris congratulantibus. Habetur V. *Angelus* exemplo. 19.

Sacerdos sub finem huius orationis profundè se inclinat, & osculatur altare, vt indicet humani generis cum Deo
22. *Quid hîc signet osculum Altaris.* Patre reconciliationem in altari Crucis factam per mortem Christi; vel, vt alij, vt significet desiderium, quod piæ animæ habent ad sumendam ex Altari sacram Synaxim siue Communionem, vt solemus desiderium erga amicos mutuo osculo testari. Eodem etiam tempore Cruce signat oblata in memoriam Crucifixionis & sanguinis effusionis, ac deinde seipsum eadem consignat, ostendere volens Passionis Christi fructum, qui est omnis gratiæ & cœlestis benedictionis in nos per Christum effusio.

CAPVT XXIV.

Quinta pars Canonis.

INcipit hæc ab illis: *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum*, &c. & terminatur ante illa: *Nobis quoque peccatoribus.* Ecclesia pia mater omni tempore, etiam sub sacrificium, semper obsecrat pro filijs suis in statu quidem gratiæ mortuis, sed in ergastulis Purgatorijs detentis, ne meritò arguatur tamquam parum *compatiens super contritione Ioseph.* Amos 6. Meminit ipsa compati eiusdem corporis membris, & fratribus, qui cùm exaltati fuerint inter filios Dei, similes haud quaquam futuri sunt pincernæ Pharaonis, *vt succedentibus prosperis* obliuiscantur bene de se meritorum Genesis 40. sed haud dubiè suis orationibus in portu æternæ salutis constituti liberatores suos adiuuabunt.

Porrò preces tempore Liturgiæ pro defunctis fidelibus & iustis offerri solitas, vtpote eiusdem corporis mystici membris, constat ex veteri vniuersalis Ecclesiæ more, estque traditio Apostolica: quod institutum tradunt explicant, & probant, tum Thologi Scholastici, tum maximè Dogmatici, qui fidei Controuersias tractant inter quos Cardin. Bellarminus & plurimi alij. 1. *Traditio est Apostolica orare pro defunctis in Liturgiâ.*

Inter Rituales Stephan. Durantus lib. 2. cap. 43. adfert, nubem testium Sanctorum, inquam, Patrum & Conciliorum, qui hanc veritatem adstruunt.

Vnus sufficiat S. Augustinus qui lib. 20. de Ciuitate Dei sic scribit cap. 2. *Ita S. Augustin.*
9. *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione Corporis Christi*: Et Sermone 32. de verbis Apostoli. *Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in Communione Corporis & Sanguinis Christi defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ac prò illis quoque id offerri commemoretur.* Vide & Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Philippens.

Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis: Qui nempe fideles fuerunt, & in gratia, quæ pacem Deum inter & nos conciliat, & securos reddit æternæ hæreditatis, mortui.

Florus Magister; *qui renati ex aqua &*

Spiritu Sancto: Pro iustis enim solis orat Ecclesia. Dicuntur ab eodem dormire in somno pacis, *qui à Christo resuscitandi nec separati fuerunt à Communione Ecclesiæ.* Gabriel Lect. 56. *Somnus pacis est immunitas à peccato mortali ipsius conscientiæ.*

Ex quibus verbis colligit Albertus Magnus animas non deduci in Purgatorium à dæmonibus nec ab illis ibi affligi.

3. *Quod signum fidei?* Aliqui per signum fidei accipiunt Spiritum Sanctum ex c. 1. ad Ephes. vbi Christianos dicit Apostolus signatos esse Spiritu promissionis Sancto: verùm signum fidei propriè est Baptismus, & eius Character.

Cautè autem legendus suprà Florus Magister, quia videtur præter cœlum & Purgatorium constituere tertium aliquem locum, in quo illi quibus aliquid defuit ad perfectam iustitiam ad tempus detinentur remoti à cœlesti beatitudine.

Similiter friuolum est, quod habet Guilielm. Durand. lib. 4. Rationalis cap. 45. animas defunctorum Dominica die ob Resurrectionem Domini requiem credi habere.

4. *Quid pro illis petat Ecclesia.* Ceterùm Ecclesia orat pro animabus illis, vt, quæ pace fruuntur, quæ procedit de certitudine & securitate æternæ beatitudinis, & immunitate à tentationibus dæmonum, concupiscentiæ carnis, & peccatorum periculis; etiam liberentur à tormentis, & dilatione visionis Dei. Qui in cœlo degunt omni pace & quiete fruuntur, quam non turbat aduersitas vel aduersitatis metus, qui sunt in Tartaro nullam habent quietem: qui in locis Purgatorijs, ita in pace quiescunt, vt tamen adhuc refrigerio, luce & pace indigeant: refrigerio quidem propter ardorem flammarum, luce propter obscuritatem tenebrarum, pace propter conflictum pœnarum.

Olim, ait Alcuinus lib. de diuinis officijs cap. de celebratione Missæ, quem ad verbum sequitur Florus Magister suprà post verba illa: *Dormiunt in somno pacis; vsus fuit antiquorum, vt statim recitarentur ex Diptychis* (tabulis sacris siue Ecclesiasticis) *nomina defunctorum, & ita post lectionem nominum subiungerentur quæ sequuntur: Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus, &c.* Hæc illi. 5. *Recitabantur olim nomina defunctorum ex Diptychis.*

Sunt autem Diptycha pugillares duplicati, siue tabulæ in vsum scribentium concinnatæ, ita vocatæ quia duplices, Græcè δίπτυχα: erat autem liber vnus qui duobus folijs, paginis vel tabulis constabat, in quarum vnâ continebantur nomina viuorum, in alterâ mortuorum quæ in Missa recitabantur: in primo quidem *Memento* commendabantur viui, in posteriori mortui. Meminit horum frequenter S. Dionysius in Ecclesiast. Hierarchiâ, Chrysost. sic in Liturgia: *Diaconus thurificat in circuitu sacram mensam & diptycha; defunctorum autem & viuorum, vt vult, memoriam facit.* 6. *Quid Diptycha.*

Multa de his Stephan. Durant. cap. 43. & passim Cardin. Baronius in Annalibus. Vide illum Annale quinto anno Christi 430. ostendit in diptychis describi solita & inter Missarum solennia recitari nomina Episcoporum in Catholicâ communione defũctorum, pariter & Imperatorum, & ab eis deleri & eradi nomina hæreticorum, aut aliàs indignorum Episcoporum & Imperatorum. Plurima etiam recondita de his profert Heribertus Rosweydus in Onomastico ad Vitas Patrum.

Sed hæc consuetudo clara voce viuorum aut defunctorum nomina prædicandi abolita est; & solùm secretò eorum memoria seruatur; primò quidem viuorum, postea verò mortuorũ: ante specialis quorumdam, deinde generalis cùm dicitur: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus* (in fide, confessione & iustitiâ Christi iam requiescunt

quiescunt à laboribus suis.)

Multa suggerit Gabriel Lect. 56. de suffragijs pro defunctis vsque ad Lectionem 9. vbi fusè agit de qualitate suffragiorum, & quibus illa prosint.

CAPVT XXV.

Sexta & vltima pars Canonis.

INcipit hæc ab illis: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, & finitur verbis, *Per omnia secula seculorum*, quæ præcedunt Dominicam Orationem. His enim clara voce prolatis, vt populus totum approbet consueto sigillo, & formulâ Amen, siue fiat, Canon concluditur.

Postquam Sacerdos orauit pro spiritibus defunctorum, vt locum refrigerij &c. in cælo inuenire mereantur; nunc pro se & pro omnibus fidelibus viuis obsecrat, vt per misericordiam Dei, de qua confidunt, partem quoque aliquam in cælesti beatitudine virtute oblationis Eucharisticæ obtineant.

Conuenit autem, vt sacerdos peccatorem se fateatur cùm mysterium reconciliationis commemoratur & celebratur; vt per illud peccatorum veniam consequatur: quin etiam percutiens pectus suum, nedum verbis, sed & gestu Publicanum æmulatur.

1. *Cur clara voce sacerdos dicit*: Nobis quoque peccatoribus

Porrò sacerdos illa *Nobis quoque peccatoribus*, elatiore paulum voce profert.

Primò, auctore Stephano Eduensi de Sacram. Altaris, cap. 17. quia ex gemitu cordis in silentio procedit gemens oris confessio.

Secundò, vt Amalar. lib. 3. de Officijs Ecclesiast. cap. 36. vox clara sacerdotis in sacrificio pœnitentium designat clamorem magnum esse in corde pœnitentis.

Tertiò, iuxta Micrologum, & Radulphum Tungrensem notatur, clamor Centurionis, qui visâ morte Christi exclamauit: *Verè Filius Dei erat iste*: Quin etiam *omnis turba percutiebat pectora sua*, &c.

Partem aliquam & societatem donare digneris, &c.

2. *Quid significat hic pars aliqua?*

Per partem accipe æternam beatitudinem, hereditatem & possessionem summi boni. Sic accipitur Psalmo 15. v. 5. *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei*: eadem pars in sequenti Hemistichio vocatur hereditas: *Tu es qui restitues hereditatem meam mihi*: Sic sæpe accipitur in Psalmis pars vel portio: Psalmo 141. v. 6. *Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium*. Ioan. 13. dicit Dominus Petro: *Si non lauero te non habebis partem mecum*. Ad Coloss. 1. v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*.

Petimus ergo vt Deus suâ misericordiâ hoc in nobis operetur, vt, qui hîc partem cum Sanctis habuimus per communicationem fidei & gratiæ, etiam cum illis in cælis partem accipiamus in æterna beatitudine. Ita Alcuin.

Aliter exponit Innocent. 3. lib. 1. mysteriorum Missæ cap 8. *Licet vnum & idem sit premium singulorum beatorum, ipse videlicet Deus, qui est vita æterna, quæ intima visione consistit, secundum tamen differentiam meritorum, alij plus, alij minus diuina visione fruuntur, & participes sunt*. Cùm ergo ignoremus gradum, quem hîc obtinemus; gratiæ & sanctitatis, & similiter gradum gloriæ quem beati illi, quorum societati coniungi optamus, assecuti sunt; humiliter postulamus, partem aliquam in æterna beatitudine possidere pro meritorum nostrorum proportione.

Obseruandum hîc est, cùm sacerdos de suis meritis diffidens precatur sibi partem & societatem concedi cum sanctis Apostolis & Martyribus, inter eos primo poni Ioannem, 2. Stephanum, 3. Matth. & consequenter alios.

Ex quo oriuntur aliquot dubia.

3. *Cur S. Ioannes bis ponatur.* Primum; Cur S. Ioannes solus bis in Canone ponatur, semel ante Consecrationem in ordine suo, & iterum post consecrationem.

Respondet Innocent. suprà & alij quidam bis nominari, quia non solùm Apostolus fuit, sed & Virgo in æuum permansit, ideoque coniungi Stephano, qui nobilitatus fuit continentiæ dono, cum fuerit viduis fœminis præpositus: adde vultum eius instar Angeli resplenduisse; de quo vide Interpretes Actor. 6. 15. Sed non placet illa coniectura: vnde dicendum cum Walafrido Strabone de Rebus Ecclesiast. cap. 22. & alijs, S. Joannem qui hìc primo loco ponitur, non esse Euangelistam, sed Baptistam, qui & Martyr fuit, & Apostolus Dei Patris, de quo & dicitur; *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*

4. *Cur Stephanus præponatur S. Matthiæ.* Dubium 2. Cur Stephanus Matthiæ præponatur: Responsio in promptu est; seruat enim Ecclesia in suo Canone, non gradum dignitatis, sed ordinem Passionis: prior autem in ordine Martyrij fuit Ioannes, deinde Stephanus, postea Matthias.

Dubium 3. Cur S. Matthias non recensitus ante Consecrationem cum alijs Apostolis?

5. *Cur S. Matthias non adiunctus alijs Apostolis suprà.* Dico, ratio est primò, vt etiam esset in ordine secundo aliquis ex 12. Apostolis, vt verè dici posset: *Cum sanctis tuis Apostolis.*

Secundò, quia S. Matthias non fuit à Christo electus in Apostolum ante suam passionem, vnde nec in Euangelijs ponitur.

Nec refert quod S. Paulus non fuerit vocatus Apostolus ante Christi Passionem, qui tamen in primo Ordine nominatur cum alijs Apostolis; quia hæc est S. Pauli prærogatiua, quod semper S. Petro associetur.

Dubium 4. Sæpe mirari soleo cur in Canone nulla mentio fiat Sanctorum Lucæ & Marci Euangelistarum, 6. *Cur non ponuntur S. Lucas & Marcus.* quorum prior etiam auctor fuit nobilis operis Actorum Apostolicorum, & vterque etiam honoratur officio Apostoli, tam in horis Canonicis, quàm in Missa: & Marcus quidem fuit discipulus S. Petri, Lucas autem discipulus & comes peregrinationum S. Pauli: præterea vterq; martyrio coronatus legitur. In Martyrologio Romano de S. Marco sic annuntiatur Aprilis 25. *Hic discipulus & Interpres Petri pro fide Christi tentus, funibus vinctus & per saxa raptatus, grauiter afflictus est: deinde reclusus in carcere, primo Angelica visitatione confortatus, & demum ipso Domino sibi apparente, ad cælestia regna vocatus est, 8. Neronis anno.* Hæc ibi. Eumdem gloriosum consummasse martyrium testatur Gelasius in Concilio Romano, Nicephor. lib. 2. Historiæ cap. 43. Metaphrastes & alij.

S. Lucam etiam Martyrium pro Christo subijsse plures scriptores Ecclesiastici confirmant, quos profert Baron. tomo 1. Annalium, vt S. Nazianz. ratione 1. in Iulianum, S. Paulinus Nolanus Epist. 12. ad Seuerum, S. Gaudentius Episcopus Brixianus S. Ambrosio ætate suppar, sermone in Dedicatione Ecclesiæ, Nicephor. lib. 2. cap. 43. qui etiam tradit illum ex ramis oleæ fructiferæ suspensum pro Christo mortem oppetiisse.

Dico ad dubium propositum, nullam mihi occurrere rationem, cur in Canone duo illi Euangelistæ prætermissi sint, nisi, quia olim in Ecclesia fuit dubitatum, an ipsi Martyrium consummarint. Vide Annotationes Card. Baronij in Romanum Martyrologium April. 25. de Marco, & Octobr. 18. de S. Luca.

Quod verò inter mulieres Martyres in Canone 1. loco collocatur S. Felicitas; sciendum est non esse illam matrem septem filiorum Martyrum, quorum 7. *Quæ Felicitas in Canone ponitur?*

rum

rum festum agitur in Ecclesia Iulij 10. sed alteram etiam Martyrem, quæ passa est Martyrium cum S. Perpetuâ, vtriusq; autem crebrò meminit S. Augustin. Agitur earum commemoratio Martij 7. quo die vide Baron. in notis ad Martyrologium. Alterius verò Felicitatis memoria recolitur Nouemb. 23. Vnde fallitur Gabriel, qui hanc in Canone positam putat.

Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte, &c.

8. Varij variè hæc explicant.

Quomodo Deus dicatur non æstimare merita.

Quæritur hîc igitur an Deus non æstimet merita nostra ad remunerandum, cùm redditurus sit vnicuique secundum opera sua?

Respondent aliqui, Ecclesiam his non negare Deum esse meritorum æstimatorem, sed significare velle Deum non præcisè præmia retribuere iuxta condignitatem operum, quin potiùs ex sua misericordia & munificentiâ remunerare ea supra condignum.

Aliter exponit Suarez suprà sect. 2. nempe, ad consortium Sanctorum obtinendum non solùm requiri merita, sed etiam Dei gratiam, iustificationem, veniam peccatorum esse necessariam: hoc autem totum hac oratione petitur, vt verba ipsa significant; considerando autem Deum vt largitorem omnium horum bonorum, verè dicitur non esse æstimator meritorum; nam licet post collatam gratiam & veniam peccatorum æstimet merita ad dandam gloriam, gratiam tamen dat sine proprijs meritis per Christum, &c.

Nec malè meo iudicio quis dixerit, sacerdotem hîc nolle attendere ad propria merita, quæ vel exigua vel interdum nulla sunt, vel in ijs fiduciam collocare, cùm scriptum sit Psalmo 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, & ad Roman. 3. v. 23. *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei*, gloriosa eius gratiâ, veniâ & misericordiâ.

Potiùs conuertit se ad æstimandam consuetam Dei in suos misericordiam, obsecrans cum Daniele cap. 9. v. 18. *Neque etenim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Nota hîc, quod ante Consecrationem postularit Sacerdos Sanctorum suffragijs adiuuari vt dignus fieret in hac vitâ diuinæ protectionis auxilio, & maximè, vt debitè fungatur suo ministerio, & oblationem sacram perficiat; post consecrationem verò obsecret ad præsentiam hostiæ salutaris aditum sibi aperiri ad cæleste eorumdem consortium.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis & præstas nobis.

Hæc est Canonis propriè dicti præclara clausula, quâ & Christi summa maiestas, & Philanthropia siue benigna humanitas declaratur, & compendio memorantur omnia diuina beneficia in hoc nobis collata, & mysteria quæ in Sacrificio peraguntur.

Plures autem extant apud Durantum suprà num. 10. & 11. huius explicationes.

Placet autem illa, quæ est Alcuini, Amalarij & Hugonis de S. Victore lib. 2. de diuin. Officijs cap. 36. Itaque 9.

Sensus horum verborum.

profitemur panem & vinum huius sacrificij materiam primum à Deo creari vt sint; deinde sanctificari, vt quæ erant ante simplex creatura, fiant sacra, cum per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum Deo deputantur & dedicantur: quidquid enim Deo offertur, sanctum habetur. Præterea dicuntur viuificari, vt sint mysteria, quæ prius mortua fuerant tantùm elementa: conuertuntur enim

in

in Corpus & sanguinem Christi viua, qui est vita nostra. Docet enim Concil. Ephesinum nos accipere veram & viuificã carnem verbo æterno coniunctam. Can. *Necessariò*, de Consecratione dist. 2. Insuper dicuntur benedici cum omni benedictione & gratia accumulantur, quæ mẽbris suis in Sacramento Christus communicat. Postremò dicuntur nobis præstari, ad salutarem refectionem, vt ex ijs vitam æternam hauriamus.

Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus S. omnis honor & gloria per omnia secula seculorum.

Hæc quoad omnia ferè habentur apud S. Ambros. lib. 6. de Sacrament. c. 5. solumque prætermittit τὸ *per ipsum*, alijs retentis: & respiciunt hæc manifestè ea quæ habet Apost. ad Coloss. 1. *quoniam in ipso condita sunt vniuersa*, &c.

10. *Horum sensus.* Notat autem Suarez suprà, illa (*In quo & cum quo*) videri conuenire Christo ratione Diuinitatis: Deo enim Patri est honor & gloria cum filio tamquam æquali, in ipso autem tamquam verè consubstantiali: Per ipsum verò videtur referri ad Christum vt Deum hominem, per quem vt mediatorem, Deus honoratur.

Pertinent huc verba S. Basilij lib. de Spiritu sancto cap. 7. *Vobis*, inquit, *qui diligitis Christum, dico Ecclesiam vtrumque harum vocum sensum agnoscere, neutrumque reijcere, quasi alterum destruat. Cùm enim in vnigenito naturæ maiestatem & dignitatis excellentiam contemplamur, tribuimus illi gloriam cum Patre: rursus cùm consideramus quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipse ad Patrem adduxerit, confitemur hoc beneficium per ipsum & in ipso peractum esse in nobis: vt altera particula (cum quo) propria sit glorificantium, altera (per quem) sit propria gratias agentium.* Hæc Basil. qui non videtur distinguere inter illa duo (*cum ipso & in ipso*) possunt tamen distingui cum S. Ambr. lib. 4. de fide cap. 4. *vt cum ipso* significet æqualitatem glorificationis & adorationis; *in ipso* verò dicat æqualitatem substantiæ.

Rursus notat Suarez Arianos abusos his vocibus ad indicandam inæqualitatem trium personarum: sed illo errore secluso, in illis verbis nullã significatur inæqualitas: imò & particula, *per ipsum*, potest Christo attribui vt Deo: similiter possunt omnia illa tria attribui Christo vt homini, *per ipsum*, vt mediatori, vt viti, in quo nos palmites, vt capiti cum quo coniungimur; & sic per Christum, Patrem, filium & Spiritum sanctum glorificamus.

Respondet minister, Amen, id est, verum est, idipsum confirmando & approbando.

His in verbis, vt ante diximus, finitur Canon propriè dictus. Ita Walafridus Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 22. Micrologus de Ecclesiast. Obseruat. c. 18. Gabriel lect. 60. imò S. Greg. l. 7. ep. 63. Recentiores verè Canonem extendunt vsque ad V. Sacramenti consumptionem.

Porrò dicit S. Thom. quæst. 83. art. 5. & Gabriel ad verba illa *Sanctifi as* &c. triplicem formari Crucem ad repræsentandam Christi triplicem orationem in Cruce, scilicet; *Pater ignosce eis; Deus, vt quid dereliquisti me? Et, In manus tuas* &c. 11. *Quid significent formatæ Cruces.*

Rursus, eodem auctore S. Thoma tres aliæ Cruces formatæ ad illa, *per ipsum* &c. significant Christum tres horas in Cruce pependisse.

Postremò duæ postremæ ad illa, *Est tibi Deo Patri* &c. denotant separationem animæ Christi à Corpore.

Denique leuatur Hostia sacra cum Calice vt reipsa confirmemus nos credere præsentia munera à Deo creata, sanctificata &c. Ita Amalarius lib. 3. cap. 26. de Officijs.

CA-

CAPVT XXVI.

Oratio Dominica.

QVarta pars Missæ hîc inchoatur: non enim Canoni includitur Oratio Dominica, sed, vt S. Gregor. suprà, & alij docent, legitur illa post Canonem.

Præceptis salutaribus moniti &c.

1. *Antiquitas horum verborum.* Etiam Præfatio hæc vetus est, cuius meminit Alcuinus his verbis: *Oremus præceptis salutaribus moniti: Hoc enim præceptum nobis est salutare, id est, ad salutem nostram proficiens, quo nos vnigenitus filius per lauacrum regenerationis & spiritum adoptionis filios effectos dicere monuit, & non humana, sed diuina institutione sua, vt Deo auderemus dicere, Pater noster, informauit dicens; sic orabitis, Pater noster*, &c. Eiusdem meminit Amalarius, Odo Cameracensis, Florus Magister in Expositione Missæ, & S. Bernard. lib. de Amore Dei cap. 7.

Sunt qui hanc Præfationem acceptã ferunt S. Cypriano lib. de Oratione Dominica, vbi sic scribit: *Qui inter cetera salutaria sua monita & præcepta diuina, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit: ipse quod precaremur, monuit & instruxit.* Et postea: *Quod nomen nemo nostrûm in oratione auderet attingere, nisi nobis sic permisisset orare.*

S. etiam Hieronym. lib. 3. contra Pelagianos: *Sic*, ait, *docuit Christus Apostolos suos vt quotidie in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster qui es in cælis.*

2. *Hac Præfatione sacerdos humiliter se excusat coram Deo.* Hac præfatiunculâ molliter sacerdos excusat suam libertatem & audaciam, qui cùm seruus inutilis sit Dominum suum præsumit Patrem appellare. Hoc enim meritò admiratione omni dignum est, vnde exclamat quidam: *Nihil ita stupet cælum, pauet terra, pertimescit vniuersa creatura, quàm quòd seruus Dominum Patrem vocat, Iudicem suum reus Genitorem nuncupat, conditio terrena sua se voce Dei adoptat in filium.* Quis auderet nisi Deus iuberet?

Non repugnat Oratio Dominica, quâ etiam quædam determinatè petimus, illis quæ sapienter disseruit Socrates apud Valerium Maximum lib. 7. c. 2. & adferuntur à S. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 5. Sunt autem hæc: *Socrates*, inquit Valerius, *humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendũ à dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent. Quia ij demum scirent quid vnicuique esset vtile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret.* 3. *Oratio Dominica Socratis sententiæ non repugnat, qui nihil à Deo petendum dicebat in particulari.* *Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens in quam latè patentes errores cæcas precationes tuas spargis! Diuitias appetis quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis qui complures pessumdederunt: regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: splendidis coniugijs iniicis manus; at hæc, vt aliquando illustrant, ita nonnumquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teq; totam cælestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Hæc ille, & sapienter quidem; sed respondet S. Thom. illa intelligi debere de rebus quibus bene & malè vti possumus, & quas contingit habere malos euentus. Ceterùm Sapientia diuina docuit nos sua oratione etiam quædam à se & ab Patre æterno in particulari postulare, quæ ad eius gloriam & salutem nostram sempiternam pertineant vel eò tendant. Oratio Dominica habetur posita in omnibus Liturgijs.

Vlterius in Sacrificio Missæ illam pronuntiandam docent plerique Sancti Patres etiam antiquissimi, similiter & Concilia. Vide S. Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Cyrillum Catechesi 5. Mystagog. Augustin. Epist. 59. ad Paulin. 4. *Ab omni æuo recitata est in Missa Oratio Dominica.*

Paulin. & alibi. Imò S. Hieronym. suprà significat Christum docuisse Apostolos, vt illam quotidie in sacrificio recitarent.

Eodem pertinet quod scribit Tertullian. lib. de oratione cap. 9. *Præmissâ Legitimâ* (sic eam vocant veteres, vt & cælestem) *& ordinariâ oratione quasi fundamento, accedentium ius est desideriorum, ius est exstruendi extrinsecus petitiones.* Accedit S. Gregor. qui lib. 7. epist. 63. dicit morem fuisse Apostolorum ad ipsam solummodo Orationem Dominicam hostiam consecrare. Rursus S. August. Sermone in Vigiliâ Paschæ: *Ecce vbi peracta est sanctificatio* (post Consecrationem) *dicimus Orationem Dominicam quam accepistis.*

Vnde falluntur illi qui scripserunt S. Gregorium auctorem fuisse dicendi Orationem Dominicam in Missa, cùm id à Christo institutum sit, vt vidimus, & ab Apostolis obseruatum eodem Gregorio & alijs Patribus id affirmantibus. Insuper idem ipse Gregor. suprà dicit Orationem apud Græcos recitari solitam à toto populo, apud Latinos autem à solo sacerdote.

5. *Nec repugnat S. Gregorius.* Fortè etiam ipse confirmauit, vt statim post Canonem diceretur, vt modò fit, licet etiam ante ipsum eodem loco recitaretur, vt constat ex S. Ambros. & Augustino suprà: vel fortè restituit vsum quotidie eam dicendi, cùm in quibusdam Missis omitteretur.

6. *Rectè legitur post Canonem & clara voce.* Porrò rectè animaduertit Franc. Suarez suprà, conuenienter recitari Orationem hanc Lecto Canone, quia in ea petimus à Deo panem quotidianum & supersubstantialem, ad quem sumendum proximè sacerdos se præparat.

Adde nos in ea postulare, *dimitti nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vtraque autem dispositio vel planè necessaria vel maximè idonea est ad dignè accipiendum reconciliationis Sacramentum, vt & prius Deo reconciliemur per peccatorum dimissionem nostrorum, & proximo per liberalem offensionum condonationem.

Præterea Oratio Dominica clara & alta voce recitanda, vt obseruat Amalar. lib. 3. de Ecclesiast. Officijs cap. 29. quia communis & publica, vt bene S. Cyprian. libro de Oratione Dominica, vbi inter alia hac de re disserens ait: *Publica est nobis & communis oratio, & quando oramus non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum sumus.*

Restabat explicanda ipsa diuinissima oratio, omnium orationum exemplar, quam Tertullian. suprà cap. 1. & etiam S. Cyprian. suprà vocant *Euangelij Breuiarium*, quasi Compendium; ego verò medullam, nucleum, succum sacri Tabularij, Archetypum & exemplum omnis bonæ precationis, quam Christus Archididascalus formulam orandi præscripsit Lucæ 11. 2. Cùm enim quidam ex discipulis illi dixisset: *Domine doce nos orare, ait illis: Cùm oratis dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum*, vbi S. Lucas, tum illa *Noster qui es in cælis*, tum duas petitiones omisit, scilicet, *Fiat voluntas tua*, &, *Libera nos à malo.* Matthæus autem cap. 6. 9. pleniùs hanc tradidit, apud quem Christus sic loquitur, *Sic orabitis, Pater noster qui es in cælis.* &c. 7. *Eius Encomium.*

Ego ne actum agam, vberiore elucidatione supersedebo, contentus quorundam verborum vim enucleasse. Interim Lector ad manum habet ingentem numerum Expositorum: Nam, vt omittam Interpretes in locos SS. Matthæi & Lucæ citatos, scripsere de hac Principe Oratione Tertullian. suprà, Cyprian. integrum de eadem tractatum, Chrysost. Augustin. & alij, Rituales plurimi, Florus Magister, Guilielmus Durandus, Stephan. Durantus cap. 48. Gabriel in Canonem à Lectione 8. *Expositores Orationis Dominicæ.*

ne

ne 64. vsque ad 79. Ex nostra Societate Bellarm. lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 4. 5.6. Petrus Canisius in Catechismo maiore cap. 2. Francisc. Suarez lib. 3. de oratione cap. 8. Ioannes Azor. tomo 1. Institut. Moral. lib. 9. cap. 37. Iacobus Aluarez de Paz tomo 3. lib. 1. par. 2. cap. 13. Ioan. Bapt. Scortia lib. 4. de Sacrosancto Missæ sacrificio cap. 21. Breuiter post. S. Thom. 2.2. qu. 83. art. 9. Lessius lib. 2. de Iustitia cap. 37. Dubitat. 4. & alij.

Oratio Dominica, vt notum est, constat Præfatiunculâ, septem petitionibus, & signaculo siue clausulâ. Petitiones septem impetrant nobis septem dona Spiritus sancti, & septem virtutes, Tres Theologicas, & quatuor Cardinales. Eædem petitiones liberant nos à septem vitijs capitalibus significatis in septem populis qui terram Hebræis promissam occupabant.

9. *Multis modis omnes orationes superat, vt auctoritate, &c.*

Hanc orationem præstare alijs auctoritate, breuitate, perfectione, vtilitate, necessitate ostendunt suprà Durant. cap. 46. & Scortia etiam suprà §. 5. Alij addunt, fœcunditate, & ordine. Breuiter singula perstringo.

Auctoritate, quia auctor illius est Christus. Tertul. suprà: *Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu illius iam tunc cùm ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælum, commendans Patri quæ filius docuit.* Eadem ferè suprà Cyprian.

Breuitate; nam, vt ibi Cyprian. *Ipsa est oratio quam ipse Deus orare nos docuit, qui suo magisterio omnem precem nostram salutari sermone breuiauit, tamquam sit sermo, de quo dixit Isaias* (cap. 10.) *Sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ.*

Perfectione, continet enim omnia quæ petere debemus. Cyprian. ibidem. *Tam multa, tam magna sunt Dominicæ orationis Sacramenta breuiter in sermone collecta, verùm in virtute spiritualiter copiosa, vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus & orationibus nostris cælestis doctrinæ compendio comprehendatur.*

Vtilitate. S. Cyprian. suprà: *Cùm habeamus apud Patrem Aduocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis petimus, Aduocati nostri verba promamus: nam cùm dicat, quia quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, quantò efficaciùs impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* Excellit ergo efficacia?

Docet S. Augustin. Enchiridio ad Laurentium & alibi, illa Oratione deleri peccata venialia, quem sequuntur Scholastici cum Magistro lib. 4. dist. 16. quod intellige, non per se præcisè, sed quia impetrat nobis pium motum amoris Dei, vel pœnitentiæ, quo animus ab illis perpurgetur. Ita Theologi. 10. *Delet peccata venialia.*

Necessitate. Eam & Christiani memoriâ complecti debent (saltem quoad substantiam) & frequenter quæ illa continentur petere. Ita Concilia & Patres. Fœcunditatem illius copiosè prosequitur Gabriel Lect. 64.

Ordine; quia primò in ea petuntur quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad nostram salutem spiritualem vel temporalem.

Pater. Licet Ecclesia in sua Liturgia more suo videatur accipere nomen *Patris* notionaliter pro prima Persona: ad illum enim plerasque suas orationes dirigit, quas concludit, *Per Dominum nostrum filium tuum*; melius tamen hîc accipimus pro essentiali & communi Dei nomine, siue Deo trino & vno, quia omnes Tres Personæ æqualiter ad extra omnia operantur in creaturis. 11. *Nomen Patris hîc commune est toti SS. Trinitati.*

Compellamus autem Patrem potiùs quàm Dominum aut Deum, quia nomen hoc dulcius aliquid sonat; vnde ista compellatione ardescit in nobis amor, excitatur fiducia maior ad postulan-

ſtulandum, ſpes ad impetrandum: monemur verò vt optimi Patris non ſimus degeneres filij, quin potiùs vt ſimus perfecti, ſicut Pater noſter perfectus eſt: reſpōdeat filius Patri moribus & vitæ conuerſatione. Qui mala opera facit diabolum patrem imitatur & inuocat. Venantius Fortunatus de Oratione Dominica: *Amittit*, ait, *nomen filij, qui fuerit ſeruus peccati.*

Porrò dicitur Deus Pater ratione creationis, conſeruationis, gubernationis, redēptionis per Chriſtum, in eodē regenerationis per Baptiſmū, maximè autē propter adoptionē quâ nos ſibi in filios adoptauit, & conſequenter hæredes ſuos conſtituit; quæ omnia beneficia hoc in nomine agnoſcere & pro illis gratias agere debemus.

12. *Pater dicitur quasi omnes curans Græcè.*

Poſtremò, quia Pater vox Græca eſt, lubet hîc Etymon eius veriſimile attexere ex reconditioribus litteris. Aiunt dici πατὴρ, *Pater* παρὰ τὸ παῖδας τηρεῖν, propter curam liberorum. Attribuitur Oro Apollini. Euſtathius verò ſic ſcribit. Cùm πατὴρ de hominibus dicitur, ita vocatur, qua παῖδας τηρεῖν, filios curans, vel conſeruans; at cùm de Deo dicitur, ſic appellatur quaſi πᾶν τηρεῖν, vel ſi mauis, πάντας τηρεῖν, id eſt omnia vel omnes conſeruans. S. Germanus idem Etymon adfert, in Theoria rerum Eccleſiaſticarum. Vide & S. Bernardum Sermone 15. in Cantica de nominibus Dei pietate commendatis *Noſter*. Cùm Chriſtus ſolus ſit filius naturalis, & vnigenitus Patris, habeat autem multos fratres adoptiuos quos Patri ſuo acquiſiuit in ſanguine ſuo, illi ſoli conuenit Patrem compellare, Pater mi, vt in horto Gethſemaneo bis Patrem orauit, *Pater mi*, Matth. 26. nos autem cùm eumdem Patrem habeamus communem, rectè oramus, Pater noſter, omnes enim fratres ſumus: vnde æquum eſt, vt amore fraternitatis inuicem diligamus, nemini inuideamus, contemnamus neminem, pro omnibus & ſingulis oremus, vt omnes pro nobis vna oratione orant, S. Ambroſ. lib. 5. de Sacrament. cap. 4. *Patrem, dicis quaſi filius, ſed noli tibi aliquid ſpecialiter vendicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt Pater, nobis omnibus in commune eſt pater, quia illum ſolum genuit, nos creauit.*

13. *Solius Chriſti eſt dicere, Pater mi.*

S. Auguſtin. Sermone 182. de Tempore: *Pater noſter, oratio fraterna eſt, non dicit Pater meus, tamquam pro ſe tantùm orans, ſed Pater noſter, omnes videlicet vna oratione complectens qui ſe in Chriſto fratres eſſe cognoſcunt.* Vide Chryſoſt. Hom. 14. in cap. 6. Matthæi *Qui es in cælis*: Jure optimo dicitur Deus eſſe, habitare, dominari in cælis, quia ibi tamquam in palatio & throno reſidet, & electis ſuæ maieſtatis gloriam oſtendit, ibi veluti in templo auguſtiſſimo colitur & adoratur: quamuis autem etiam in terra & vbique ſit præſens, quia tamen in ſe non videtur, ſed ſolùm ex ſuis effectis & operibus agnoſcitur, eſt hic quaſi nō ſit. 14. *Præfatiuncula expoſitio.*

Plures Patres per cælos intelligunt animos iuſtorum, ſed eſt is ſenſus ſpiritualis. Ita S. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. cap. 4. Auguſt in lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 9. alij. Igitur in voce *Pater* ſignificatur Dei pietas, in *Noſter* liberalitas & humanitas, in illis; *Qui es in cælis*, eius potentia. Vt Pater, quæ petimus vult concedere. vt dominator cælorum poteſt concedere, Pater optimus, Dominator maximus.

Diſce hinc quæ ſurſum ſunt quærere, quæ ſurſū ſunt ſapere, ſperare hereditatem non mundanam, ſed cæleſtem, vbi Pater illam præparauit, quærere non terrena bona, quæ adijcientur nobis tamquam auctarium, ſed cæleſtia & æterna; cùm oras ſurſum habere cor ad Dominum.

Audi S. Chryſoſt. homil. 20. in Matthæum: *Cùm Deum dicit eſſe in cælis, non eum ibi, hoc dicendo, concludit, ſed à terris abduxit orantem, eumque ſupernis habitaculis, ac regioni-*

regionibus affigit excelsis.

Sanctificetur nomen tuũ. Petimus, vt nomen Dei, id est, ipse Deus (ipsius gloria, omnipotentia, sapientia, iustitia, misericordia, omnia eius attribuita quæ sunt ipse Deus) ab omnibus hominibus, & si fieri posset, etiam à ratione & anima carentibus agnoscatur, vt sanctus habeatur, colatur, ametur, nihil sanctiùs, puriùs augustiùs, perfectiùs, magis colendum aut amandum iudicetur, ideoque omnes mortales animo cogitatione, voluntate, linguâ vitâ, moribus eum glorificent, celebrent, magnificent, dicant cum Psalmodo; *Benedic anima mea Domino*, cũ Dei Matre *Magnificat anima mea Dominum*; *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cum Seraphim; *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus*, cùm Ecclesia Catholicâ.

Quia verò sanctitati Dei nec addere nec demere quidquã possumus, ideo indirectè & consequenter nostram petimus sanctificationem. Tunc enim sanctificatur à nobis nomen Patris, cùm sancti sumus sicut ipse sanctus est.

15. *Indirectè petimus nostram sanctificationem.* Cùm verò Deum sanctificamus extrinsecè, nos ipsi sanctificamur intrinsecè.

In proposito verò nostro maximè Deus sanctificatur, cùm Doxologiam siue Glorificationis hymnum *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, &c. corde & animo SS. Trinitati accinimus, & cùm Christum Dominum in Liturgiâ tamquam Deo dignam victimam, eius maiestati commensam, pretij infiniti & inæstimabilis offerimus, qui cultus est excellentissimæ latriæ.

16. *Maximè sanctificatur in Missa sacrificio.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. Mystagogicâ: *Sanctum est naturâ nomen Dei, siue id nos dicamus siue non: quia verò in ijs qui peccant aliquando profanatur* (extrinsecè) *sicut scriptum est; Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes; idcirco petimus in nobis sanctificari nomen Dei, non vt eo quod non fuisset tale, esse incipiat, sed vt in nobis sanctificatis & quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat, glorificetur, honoretur à gentibus &c.* Quia verò tunc demum perfectè sanctificabitur, cùm plenum eius regnum confirmabitur, ideo subsequitur secunda petitio.

Adueniat regnum tuum.

Notum est ex scriptura quadruplex esse regnum Dei: 17. *Quadruplex Dei regnum in scriptura.*

Primum vniuersale quo ab orbe condito regnat in omnibus rebus à se creatis, omnibus imperat & dominatur, & hoc aduenire non petimus cùm semper fuerit, semper sit, semper futurum sit. 1.

Alterum est regnum spirituale, quo hîc regnat in iustis per gratiam & cœlestia dona sua; & de hoc regno multi Patres hanc petitionem intelligunt, sed minùs conuenienter, tum quia hîc petimus non bonum nostrum sed præcipuè Dei gloriam; tum quia incideret cum petitione sequente, quâ gratiam petimus, vt fiat in terra eius voluntas. 2.

Tertium regnum est, cœleste, quo per gloriam & beatitudinem æternam in Sanctis suis & electis regnat; & de hoc regno etiam multi Patres hanc petitionem accipiunt, & potest sic sumi, sed minus plenè & perfectè. 3.

Quartum Dei regnum est perfectissimum, & plenissimum, quo ipse omnibus inimicis suis subiectis & supplantatis, deuictâ morte, peccato, diabolo, dominatum exercebit, tam in amicos & iustos, quàm in inimicos & impios, quod fiet in Resurrectione generali & die extremi iudicij, quando Deus erit omnia in omnibus. Sic accipiamus cum B. Augustino Concione 20. in Ps. 118. *Prima*, inquit, *tempora Ecclesia ante Virginis partum sanctos habuerũt, qui desiderarent Incarnationis Christi aduentum; ista verò tẽpora, ex quo ascendit in cælum, san-* 4.

sanctos habent, qui desiderent eius manifestationem ad viuos & mortuos iudicandos, quare petimus quotidie, Adueniat regnum tuum.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

Vt hæc petitio intelligatur notandum est ex communi sententiâ Theologorum, voluntatem Dei accipi dupliciter, de quo videndus S. Thom. 1. par. quæst. 19.

18. *Duplex Dei voluntas Beneplaciti & Signi.* Aiunt aliam esse Beneplaciti, quæ clariùs diceretur Absoluta & Efficax, aliam voluntatem Signi, quę potest etiam vocari Conditionata. Non est quod petamus priorem fieri, quia illa semper fit Isaiæ 46. 10. *Omnis voluntas mea fiet.* Esther 13. 9. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Illa enim est immutabilis & inuincibilis.

19. *Intelligitur petitio de voluntate Signi.* Igitur intelligitur petitio de alterâ Dei voluntate, quæ ideo vocatur Signi, quia per illam Deus significat quid à nobis velit fieri, vtpote cùm aliquid præcipit, prohibet, consulit, &c.

Hanc ex animo postulamus impleri, sic vt omnes homines illi se subdant, & voluntatem suam diuinæ voluntati conforment tamquam amussi & regulæ omnis bonæ & honestæ voluntatis. Illa sit nobis Helice & Cynosura, ad quam clauum affectuum nostrorum in hoc caliginoso Oceano dirigamus, illam semper mente intueamur, ad illam actiones omnes nostras collimemus, instar Heliotropij, vel Solisequæ, qui flos semper se ad solis motum obuertit; & quidem tam plenè atque perfectè, sicut voluntas eius perficitur in cœlo, ita vt terra fiat similis cœlo in adimplenda eius voluntate, id est, vt sicut Angeli & beati in cœlo semper promptissimi & paratissimi sunt ad obsecundandum eius iussis & nutui. Sic & terriginæ se animo volenti & liberali offerant ad plenè, purè & perfectè eius præceptis parendum. Præclarè hoc Chrysost. ad hunc locum. *Iubet*, inquit, *hic degentes conuersationem cum cælis habitatoribus habere communem, & antequam superna illa præstetur habitatio, cælum quodammodo vult fieri in terrâ, aliosque nobis Angelos terram monstrare.*

Panem nostrum supersubstantialem (quotidianum) *da nobis hodie.* 20.

Triplicem petimus panem. Certum est nos hîc petere triplicem panem, nempe, Sacramentalem V. Eucharistiæ, Spiritualẽ verbi Dei, & Corporalem sustentandæ vitæ naturali idoneum, vt rectè S. Augustinus. Cùm enim, vt S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiast. homo duabus naturis constet, spiritu & corpore, hinc fit vt panem petamus, qui vtrique naturæ conueniat.

Itaque postulamus hîc omnia necessaria siue idonea ad animi & corporis substantiam alendam & conseruandam, ita vt his adiuti sanctificemus Patris cœlestis nomen, adueniat in nos regnũ eius, & faciamus auxilio gratiæ subnixi eius sanctissimam voluntatẽ.

Aduertendum autem est in Græco pro *panem quotidianum* haberi τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον; quæ vox solùm hîc Matth. 6. & Lucæ 11. v. 22. reperitur, & quidem apud Matth. vertit S. Hieronym. *Supersubstantialem*, interpretes verò apud S. Lucam *quotidianum*, & sic ante S. Hieronym. legerunt etiam apud S. Matth. Patres veteres, & hanc lectionem seruat cum fidelibus Ecclesia, tum in Missa, tum etiam priuatim.

21. *Varia significata vocis ἐπιούσιος quotidianus.* Viri eruditi varias huius vocis adferunt notiones. Quidam capiunt ἐπιούσιον pro περιούσιον, id est peculiarem, eximium, præcipuum electum, & sic pulchrè quadrat in V. Eucharistiam, quę Zacharię 9. vocatur *Frumentum electorum, Panis*, inquam, *Angelorum, qui de cælo descendit.* Aliqui ita dictum volunt, quod sit ἐπὶ, id est, ὑπὲρ, supra omnem substantiam, vt accipiatur ἐπιούσιον vice ὑπὲρ οὐσίαν, vt censeamur petere panem supernaturalem & cœlestem, panem vitæ, nempe vel V. Eucharistiam

ristiam vel diuinam visionem.

Sed dico panem hunc appellatum ἐπιούσιον, quasi ἐπὶ τὴν οὐσίαν ἡμῶν καὶ τροφὴν ἐπαρκοῦντα, id est, panem vel cibum congruentem & sufficientem nostræ naturæ & substantiæ alendæ, quo indigemus quotidie, panem, inquam, non delicatum vel seruientem voluptati, sed accommodatum necessitati & frugalitati, qui rectè dicitur, quotidianus. Syrus vertit panem indigentiæ nostræ.

Porrò sub panis nomine intellige phrasi Hebræis in scripturis vsitata, cibum, potum, vestitum, & quidquid vitæ animæ & corporis est necessarium.

Nostrum, tum quia Dei munere nobis datur, tum quia petimus illum nobis non solis dari, sed nostris domesticis, ita vt illum alijs indigentibus liberaliter dispensemus, tum denique nostrum id est, laboribus nostris, quibus Deus fauet, legitimè comparatum; vnde ait Chrysost. *Qui de iustitiâ acquisitum panem manducat, suum, qui autem cum peccato, alienum manducat.*

Quotidianum. Compescitur hîc omnis luxus & affluentia diuitiarum: qui enim tantum epularum vno die abligurit quantum decem vel pluribus diebus sibi, familiæ, vel pauperibus sufficeret, iam non edit panem quotidianum, sed multarum dierum.

Da nobis. Docemur per hoc mendicitatis nostræ esse memores, panem cùm à Deo petimus, siue diuites simus siue pauperes. E mensa vel manu magni illius Patris-familias (vt Deum S. Franciscus appellabat) victum & amictum speramus & expectamus.

Hodie: nullus enim dies est, hora nulla, nullum momentum, quo benedictione Dei non egeamus. Excluditur hoc verbo immoderata & inordinata sollicitudo de crastino. Diaria est vita nostra, & crastinus dies incertus est. *Sufficit diei malitia sua*, .i. malè & anxiè crucians sollicitudo & cura carniuora & cordiuora. Qui dedit hodie & cras dabit confidentibus in se.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Prioribus quatuor petitionibus postulamus bona ea quæ Deo sunt gloriosa, nobis verò salutaria & necessaria; sequentibus verò mala deprecamur, quorum depulsio diuinæ maiestati etiam sit honorifica, nobis verò conueniens ad vitam æternam obtinendam.

Per debita intelligi peccata adeò manifestum est vt S. Lucas cap. 11.4. pro ὀφειλήματα, debita posuerit ἁμαρτίας, id est, peccata.

Diuersæ autem rationes, cur peccata dicantur debita. 22.

Cur peccata dicantur debita.

1\. Primò, quia hominem constituunt debitorem in foro Dei ob summam iniuriam & quodammodo infinitam in diuinam maiestatem, cui debito soluendo non est, sicut nec ille seruus qui Matth. 18. debebat decem millia talenta, cui summæ satisfacere non poterat, sed quia Dominum rogauerat, debitum illi remissum fuit. Similiter homo obligatus est Deo ob sua peccata & reus est pœnæ æternæ luendæ, nisi Deus ipsi pœnitenti & roganti ob Christi merita, ea remittat, quia ex se ad illa soluenda insufficiens est.

2\. Secundò, quia peccata hominem obstringunt diabolo sicut æs alienum creditori obligat debitorem: vsus enim est huius mundi fluxis bonis, honoribus, diuitijs, voluptatibus, quæ diabolus, qui ab Apostolo Deus huius mundi dicitur, illi indulsit, & tanquam sua essent, concessit; vnde quasi chirographo suo peccator se, animamque illi suam tradidit; quod tamen Christus tulit de medio, affixit illud Cruci, pio cruore detersit, de diabolo triumphauit, nostrumque debitum soluit.

Hinc colligimus omnes mortales

esse

23. esse & peccatores & debitores, & sanctos etiam Apostolos, vt priores petitiones offerunt Deo, ita etiam & hanc humiliter & ex animo pronuntiare debere: *Dimitte nobis debita nostra*; omnes enim peccant, egent remissione, & gloria Dei, non solùm pro alijs, sed pro se, debentque dicere non solùm suppliciter sed & veraciter, *Pater, dimitte nobis* &c. quod fide tenendum contra Pelagianos, vt definiuit Concilium Mileuitanum & Arausicanum.

Omnes, etiam Sancti sunt debitores & peccatores.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sermo est de ijsdem debitis, quæ nobis dimitti oramus, vt videlicet vnusquisque fratri suo dimittat iniurias sibi illatas ex corde & animo, vt omne odium, amaritudinem & vindictam iniustam deponat.

S. Cyprian. de Oratione Dominica. *Addidit legem, certa nos cõditione & sponsione constringens, vt sic nobis peccata dimitti postulemus, secundum quod ipsi debitoribus nostris dimittimus.* Vnde & post hanc Orationem subjcit Christus Matth. 6. v. 14. 15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

24. Porrò apud veteres Christianos solitum fuit ad huius petitionis verba pectus ferire, vt constat ex S. Augustino homil. 10. inter 50.

Olim ad hæc verba pectus tundebant.

Nota, τὸ *sicut* in his verbis non ita accipiendum est, quasi Deus non plura vel maiora nobis remittat debita, quàm nos alijs proximis nostris. Maior enim est misericordia Dei nostrâ erga fratres beneuolentiâ. Remiserat Dominus seruo decem millia talenta, cùm ei conseruus solùm deberet centum denarios. Significat ergo τὸ *sicut* conditionem quam Deus à nobis requirit vt nobis dimittat.

S. Ioannes Eleemon vt virum principem hanc conditionem & pactum non seruantem ad reconciliationem cum inimico induceret, sacrificium Missæ coram eo celebrans, dicensque *Dimitte nobis debita nostra*, de industria statim obticuit; prosecutus est autem Princeps: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tum Ioannes ad eum conuersus: *Vide, ait, in quali terribili hora quid dicas Deo: Quia sicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi*: Qua voce quasi fulmine perculsus princeps ait: *Quæcumque iusseris Domine faciet seruus tuus*, & confestim cum inimico redijt in gratiam. Leontius in vita Eleemosynarij cap. 38. 25.

Nobilis quidam hanc conditionem omittens à S. Ioanne eleemone inducitur ad inimico ignoscendum.

Quidam olim fuerunt, qui orantes conditionem illam *Sicut & nos*, &c. omittebant; quia enim nolebant inimicis recõciliari, mendacij culpam coram Deo effugere satagebant. Ita Cassian. Collat. 9. c. 22. & alij. 26.

Excusantur à peccato mortali qui hæc dicunt sine animo ignoscendi proximo.

Sed dicendum est, non esse detruncandam auream Christi orationem vllo modo.

Deinde oratio illa pronuntiatur nomine totius Ecclesiæ, in qua plures reperiuntur, qui libenter offensas remittunt.

Insuper hæc verba orantibus stimulum infigunt, quo animus molliatur ad ignoscendum, & tacitè etiam auxilium à Deo postulatur, vt sponte quis indulgeat; q. d. Optarem quidem remittere ijs, qui me læserunt, sed quia infirmitas mea præpedit, suggere mihi, *Pater*, gratiam efficacem, quâ illud ex animo præstem.

Et ne nos inducas in tentationem.

Ante omnia notum est τὸ *ne nos inducas*, vel, vt est Græcè, ne inferas nos, accipi non effectiuè, vel directè, sed solùm permissiuè & negatiuè, id est, *Ne permittas nos induci in tentationem.*

Deinde etiam manifestum est hæc non esse accipienda de tentatione siue probatione, quâ Deus etiam explorat & tentat suos electos, vel quâ quis sui ipsius experimentum sumit, vt sui ingenij, 27.

Quæ sit tentatio à qua liberari petimus.

genij, virtutis, industriæ, & quâ Imperator suos milites probat: solùm enim intelligitur de tentatione quæ ad malum allicit, & prouocat, vt in primis κατ' ἐξοχὴν dæmon vocatur tentator, & qui eius sunt satellites homines scelerati, & inimicus noster domesticus praua cupido membris nostris incubans, &c.

28. His positis, duobus modis accipi potest hæc petitio.

Duplex explicatio.

Prima. Primò, vt postulemus à Deo gratiam hoc modo; si nos contingat pulsari aut infestari huiusmodi noxia suggestione vel tentatione, non permittat nos ab ea vinci, vel supplantari, aut trahi ad aliquod illicitum, ne quando dicat inimicus noster: *Praualui aduersus eum*: Et quidem hunc sensum esse verissimum nemo dubitat; sed non videtur adæquatus.

Altera. Secundò ergo dicendum est, quòd quamuis nequaquam dubitemus de diuinâ potentiâ & bonitate, quin pugilibus suis etiam grauissimâ tentatione àb aduersario nostro diabolo impugnatis, possit & velit robur & auxilium gratiæ concedere, quo valeant omnia blandimenta eius eludere, aut impetus eius frangere & superare; attamen cùm simus probè conscij humanæ fragilitatis & naturæ nostræ per primigeniam plagam debilitatæ, ideo flagitamus, ne sinat nos vlla tentatione ad malum prouocante afflari, tangi, aut impugnari, multò minus ab ea prosterni. Siquidem non solùm malum est à malo vinci, sed etiam à malo ad malum incitari. *Fumo enim flamma est proxima.* Vnde nullo modo laudandi sunt qui se vltrò ingerunt in huiusmodi laqueos. *Qui amat periculum peribit in illo.* Et in hanc sententiam multi Patres eunt. Quare rectè S. Cyprian. supra: *Cùm rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat; deinde Dæmonem nihil in nos posse sine Dei permissu, eiusque beneficium esse quidquid à dæmone non patimur.* Hæc S. Cyprian.

Postremò, quia ex nostrâ infirmitate deficimus, & proni sumus ad lapsum, consilium hic nobis à summa Sapientia datur, vt oculos nostros semper ad Dominum dirigamus, & auxilium eius ardenter & continuè imploremus, vt ignita inimici iacula, vel exeamus, vel extinguamus. Pulchrè Chrysologus Sermone 44. *Ad tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.* Sic ille. Scutum abijcit, qui orationem reijcit.

Sed libera nos à malo. 29.

Tripliciter exponitur.

Primò, sic congruè exponere possumus. Libera nos à tentatione. Cùm enim ante petierimus non induci in illam, accedente Coniunctione aduersatiua, petimus ab illa potiùs liberari: q. d. Non finas nos induci in laqueum, quin potiùs ab illo nos libera. *Prima explicatio.*

Secundò, vt Patres Græci, *A malo*, id est, à diabolo, qui & incentor est, & sator sartorque omnis tentationis, & insuper Antonomasticè malus est, & malignus, auctor nimirum omnis malitiæ & nequitiæ, & ita sæpius vocatur in Epistola 1. S. Ioannis cap. 2. & 5. & alibi Ipse enim & malæ cupiditatis faces euentilat, & filios suos homines nequam inflammat ad Dei electos in malum præcipitandum. Græcè hic habetur, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, id est illo malo vel maligno vel egregiè malo. *Altera.*

Tertiò, nihilominus generatim accipiunt Patres Latini, pro omni malo siue aduerso, quod nos, vel ad peccatum inducit & pertrahit, vel bonum virtutis & perfectionem impedit, & à summo bono auertit. Et hanc interpretationem planè seruat Latina Ecclesia, quæ post pronuntiatam dominicam Orationem statim subiungit hanc precem: *Libera nos, quæsumus, Domine* *Tertia præcipua.*

mine ab omnibus malis, &c.

Et videtur hæc expositio genuina, quia sic distinguitur hæc petitio à ceteris præcedentibus, vt hæc sit septima & vltima. Proinde rectè S. Cyprianus suprà: *Quando dicimus, Libera nos à malo, nihil remanet quod vltra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei aduersus malum petimus, quâ impetratâ, contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est?* Concludamus cum S. Augustino Epist. 121. quem sequitur Florus Magister in Expositione Missæ. *Hoc quidem vltimum, quod in oratione Dominica positum est, tam latè, tamque euidenter, & manifestè patet, vt homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus dat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem.*

30. *Nulla alia præter hæc petenda.* Complectitur hæc Magistra oratio omnia, quæ honestè peti possunt: nam alia fluxa & imbecilla bona non sunt à Deo petenda, nisi quatenus ad Dei gloriam celebrandam, pertinent, vel ad salutem nostram conducunt. Denique hæc omnia sunt auctaria, quæ regnum Dei quærentibus adijciuntur.

Amen. Hoc, ait S. Hieronymus, *signaculum est Dominicæ orationis approbantis & optantis, vt ita fiat.* Septuaginta passim vertunt γένοιτο, fiat. Sed de hoc alibi plura.

31. *Cur hîc sacerdos in Missa solus dicit Amen.* Rationem, cur sacerdos solus submissè hîc dicat *Amen*, non minister, vel populus, hanc adfert Catechismus ad Parochos: quia sacerdos qui Dei & populi minister est, respondet, eò quòd spem habeat Deum exoratum esse, populo, & illius precibus consensisse, cùm tamen in alijs precibus *Amen* desiderium & consensum populi significet, non Dei. Ita ille.

32. *Triplex Amen illegitimum.* Notat Baronius tomo 1. Annal. anno Christi 57. & alij ex Angelo Caninio in locis noui Testamenti Apud Hebræos triplex fuisse illegitimum Amen; primum, tum qui Amen respondet non intellexit quid dictum sit, quod dicitur Amen pupillum: Alterum, cùm antequam absoluatur oratio Amen pronuntiatur, quod Amen surreptitium nominatur, quia ex oratione nondum absoluta aliquid surripit: Tertium verò, cùm sic respondens aliquid aliud agit, quod Amen sectile vocatur, quasi dissectum in duas partes, dum audiens aliud agit. Sic illi, Tu Lector vide, vt Amen, quod dicis, sit legitimum.

33. *Expositio Orationis Dominicæ iuxta S. Franciscum.* In Bibliothecâ Sanctorum Patrum tomo 13. editionis vltimæ Coloniensis extat inter opuscula S. Francisci Seraphici oratio siue Expositio eius super Pater noster, quam hîc in gratiam pij Lectoris subijcio. Est autem hæc *Sanctissime Pater noster*, creator, redemptor noster, Saluator noster, consolator noster, *qui es in cælis*, in Angelis, in sanctis illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu es Domine, lux inflammans eos ad amorem tuum diuinum, quia tu Domine amor es inhabitans & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine summum bonum es & æternum bonum, à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum*, Clarificetur in nobis notitia tua, vt cognoscamus quæ sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum, sublimitas maiestatis, & profundum iudiciorum: *Adueniat regnum tuum*, vt regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, vbi est visio tui manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, vt amemus te ex toto corde, te semper cogitando, ex tota anima, te semper desiderando, ex tota mente, omnes intentiones ad te dirigendo & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus nostris, omnes vires,

vires, sensus animæ & corporis in obsequium tui amoris, & non in alia exponendo; & proximos nostros amemus sicut nos ipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus nostris trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini vllam offensam faciendo. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; dilectum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum da nobis in memoria, in intelligentia, & reuerentia amoris quem ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis dixit & sustinuit. *Et dimitte nobis debita nostra.* Per tuam misericordiam, & ineffabilem passionem dilecti filij tui Domini nostri Iesu Christi, per virtutem & beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum intercessiones. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et quia non plenè dimittimus, tu, Domine, da plenè dimittere, vt inimicos propter te diligamus, & pro eis deuotè apud te intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*: occultam siue manifestam, subitam vel importunam. *Sed libera nos à malo*: præterito, præsenti & futuro. *Amen*: spontaneè & gratis. Supradicto modo dicebat B. Franciscus ad omnes horas.

34. *Alia pia expositio.* Habet Gabriel aliam piam expositionem cuiusdam viri religiosi quem non nominat, sub finem Lectionis 69. quam & hîc assigno.

Pater noster, excelse in creatione, suauis in amore, diues in hereditate: *qui es in cælis*, speculum æternitatis, corona iucunditatis, thesaurus felicitatis. *Sanctificetur nomen tuum*, vt sit nobis mel in ore, cithara in aure, iubilus in corde: *Adueniat regnum tuum*: iucundum sine perturbatione, tranquillum sine permixtione, securum sine perditione. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: vt quæ odis odiamus, & quæ diligis diligamus, & quæ præcipis & consulis impleamus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panem materialem, doctrinalem, pœnitentialem, sacramentalem, spiritualem, cœlestẽ & æternalem. *Et dimitte nobis debita nostra*: quæ commisimus contra te Deum, contra nos ipsos & contra proximum. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: iniuriam verborum, verberum & rerum: *Et ne nos inducas in tentationem*: carnis, mundi & diaboli: *Sed libera nos à malo* præsenti, præterito, & futuro. *Amen.* Fiat, & indesinenter perseueret.

Summam orationis Dominicæ breuiter complexus est Tertullian. lib. de Oratione.

CAPVT XXVII.

Embolismus, Libera nos quæsumus Domine &c.

HÆc oratio etiam antiqua est, vt constat ex Alcuino lib. de diuinis officijs cap. de celebratione Missæ.

Solet verò vulgo vocari ἐμβολισμός, Embolismus, quam vocem quidam explicant Excrescentiam, eò quòd in illa Oratio Dominica ampliore expositione excrescat & augeatur. Et quidem rectè quoad rem, sed non quoad vim vocis. Significat ergo *Embolismus* interpositionem vel intercalationem, eò quòd hoc loco interseratur post Dominicam orationem, & in ea exponatur vltima eius petitio, *Libera nos à malo*, quam Minister vel Chorus nomine populi pronuntiarat: quod obseruarunt etiam Amalarius & Innocentius III. 1. *Cur hæc oratio Embolismus vocatur.*

Græci autem post Dominicam Orationem quam Clerus & populus simul recitant, adijciunt vice nostri Embolismi, hanc formulam vel clausulam: *Quoniam tuum est regnum & potentia in multis* 2. *Græci alia interponunt quæ tamen*

textibus Euangeliorum desunt. *& gloria in secula Amen*: quæ verba etiam habentur in Liturgia S. Marci, apud S. Clementem, Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium: quæ tamen verba in Euangelio non continentur, tum quia in multis Græcis textibus non reperiuntur, tum quia veteres Latini Patres Græci sermonis bene periti non legerunt: vnde colligere est ex consuetudine dicendi illa in Liturgia post Orationem Dominicam, in aliquot Euangelij codices irrepsisse: soliti autem sunt Græci in suis precationibus aliqua addere vt v. g. Salutation Angelicæ adiungunt: *Quia tu peperisti Saluatorem nostrum*, &c.

Denique solus sacerdos apud Græcos illa pronuntiat, nec continuat cum Oratione Dominica.

3. *Quis vltimi Embolismi auctor?* Nostram autem Orationem *Libera nos quæsumus &c.* putant aliqui additam à S. Gregorio vt Honor. in Gemmâ animæ, & Radulphus à Riuo; qui ideo existimatur addidisse in illa S. Andream, quia singulari deuotione illi erat addictus. Ita Gauant. in Thesauro Rituum part. 2. tit. 10. Sed meliùs dicunt alij ideo coniunctum SS. Petro & Paulo Andream, quia vocatione primus inter Apostolos etiam Petrum ad Christum adduxit, & insuper, quia non minùs quàm Petrus & Paulus in cruce gloriatus est, & in illa mortuus, cuius mysterium in Liturgiâ celebratur.

4. *Quis sensus.* Porrò illa Oratione copiosiùs explicatur Dominicæ orationis vltima petitio, *Libera nos à malo* Nam extenditur & ad mala præterita, id est, debita vel peccata, vt nobis plenè remittantur; sine metu enim esse nô debemus iuxta illud Siracidæ in libro Ecclesiastici cap. 5. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adijcias peccatum super peccatum*: Extenditur etiam ad præsentia, tum vt affectus ad peccata, quæ nos impugnant, expugnemus, tum vt ea euitemus: Extenditur & ad futura, vt ea caueamus, & eorum periculis imminentibus non exponamur, ne pereamus, iuxta illud S. Ambrosij Sermone 8. in Psalm. 118. *Non solùm præteritis veniam debemus postulare, sed etiam præsentia declinare, & à futuris cauere.*

Petimus igitur liberationem à malis culpæ, item à malis pœnæ, quibus hîc temporaliter affligimur, multis miserijs & flagellis ob iniquitates nostras attriti, similiter ab æternis supplicijs. Præterea petimus securitatem à perturbationibus nostræ saluti noxijs, ad quam impetrandam pax à Deo postulatur additâ præcipuorum quorumdam Sanctorum intercessione.

Porrò iuxta Alcuinũ mala præterita sunt peccata grauiora, quę etsi transierint actu, manent tamen sæpe reatu, nisi ea pœnitentia absterserit: mala præsentia sunt peccata quotidiana: *Septies in die cadet iustus*; præsentia etiam mala sunt afflictiones corporis & animi, calamitates foris ingruentes: futura sunt quæcumque accidere possunt, siue per insidias dæmonum, vel ærumnas seculi. Eadem habet Florus Magister.

Denique pacem petit, vt quietam & tranquillam vitam agamus, vt Ieremiæ 29. v. 7. & 1. ad Timoth. 2. v. 2. Petitur autem duplex pax, vna interior siue animæ, vt semper à peccato simus liberi, altera exterior siue corporis, vt simus ab omni perturbatione irruente securi. Eamdem duplicem pacem flagitat Ecclesia in Missa de pace, in oratione. *Deus à quo sancta desideria* &c. additur verò *in diebus nostris*, id est, toto tempore, quo stabit Ecclesia vsque ad diem Iudicij.

Pronuntiatur verò hæc oratio à Sacerdote sub silentio, excepto die Parasceues, cùm dicitur voce altiore vt præcedẽs Oratio Dominica. Hoc verò silentium signat silentium tempore sepulturæ Domini die sabbati, quo 5. *Cur pronuntiatur secretò?*

vt habetur Lucæ 23. v. 56. *Mulieres siluerunt secundum mandatum.* Ita Rupertus & Innocentius III.

Hanc orationem perorans sacerdos patenam sub Corporali absconditam retegit & manu recipit, quam osculatur & cum eadem sibi signum Crucis format, in altari reponit vt hostiæ partes ea recipiat, cuius ritus rationes mysticas adfert Durand. in Rationali, Amalar. Innocentius, alij. Breuiter dico, absconsionem Patenæ indicare nobis Christi sepulturam sindone munda obtecti, per detectionem verò & eleuationem eius, Christi resurrectionem, postquam Discipulis suis pacem precatus est, quam eamdem communicaturis petit Sacerdos, & vt istius in se ostendat desiderium, ad illa verba *da propitius pacem*, Patenam osculatur, formata sibi ante per eam Cruce, significans Christum Cruce sua eam nobis promeritum, iuxta illud ad Coloss. 1. v. 20. *Pacificans per sanguinem Crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.*

CAPVT XXVIII.

Fractio hostiæ sacræ, eius in calicem immissio cum coniuncta oratione.

1. *Est cæremonia hæc vetustissima.* CÆremonia Fractionis hostiæ antiquissima est: nam eius meminit S. Iacobus in Liturgia, S. Dionys. Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 3. S. Chrysost. Homilia 24. in priorem ad Corint. explicans illa verba cap. 10. *Panis quem frangimus* &c. vbi ait: *Sed quare addit, Quem frangimus! Hoc in Eucharistia videre licet, in Cruce autem minimè, sed omnino contrà, Os enim eius, inquit, non conteretur; Sed quod in Cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit, vt omnes satiet.*

Porrò Fractio illa iuxta S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad 7. mysticè significat diuisionem Corporis Christi in Passione, quod intellige, vel de diuisione & separatione animæ à Corpore, vel de diuulsione carnis, quæ facta est flagellis, spinis, clauis, lanceâ quoad partes similares, sine ossium comminutione. 2. *Eius significatio.*

Addit Suarez suprà, significari insuper hac fractione, quod sicut hæc fit tantùm in speciebus, Corpore Christi manente integro & indiuiso, ita licet Caro Christi exterior in eius passione diuisa fuerit, ossa tamen eius infracta, & robur integrum, atque persona eius omnino intacta permanserunt.

Rursus apprecationis Pacis meminit suprà S. Dionys. S. Clemens 8. Constitut. c. 18. S. August. Chrysost. Optat. Mileuitanus, alij.

Adde, Alcuinum etiam commixtionem indicare sacræ hostiæ in Calice cap. de Celebratione Missæ, vbi ait: *Commiscet Sacerdos Dominicam Oblationem, vt Calix Domini totam plenitudinem contineat Sacramenti: tum per eiusdem mysterij copulationem imprecatur Ecclesia pacem dicens; Pax Domini sit semper vobiscum: cui tamen bonum Ecclesia imprecatur, respondens illi, & cum Spiritu tuo.* Eadem habet Florus Magister. 3. *Etiam commixtio antiqua est.*

Ceterùm de mystica notione fractionis hostiæ sacræ in particulas tres, & vnius in calicem immissione varia feruntur Doctorum Ritualium placita, Recensebo aliqua.

Itaque Stephan. Eduensis de Sacramento altaris cap. 18 hæc habet: *In fractione panis hostia repræsentatur minister legis, qui similaginem particulatim offerebat, & Dominus qui panem fregit in Cœna, & quem hostia in infractione panis cognouerunt discipuli euntes in Emaus, Frangitur hostia & in tres partes diuiditur S. Trinitati dedicata; quarum vna in calicem demissa sanguini immergitur in calicem, pro illa parte Ecclesiæ quæ naufragio huius seculi agitata multis perturbationum passionibus concutitur; aliæ duæ extra calicem sunt pro illis,* 4. *Mysteria tres partes & immissionis vnius in calicem.*

quarum vna igne examinatur, quæ est fidelium, altera est Sanctorum quæ cum Christo regnat in æternum.

Honorius Augusto-Dunensis lib. 1. Gemmæ animæ cap. 63. *Oblata frangitur, quia panis Angelorum nobis in Cruce frangitur, vt fractio peccatorum nostrorum per comestionem ipsius redintegretur.* Et cap. 64. *Pars in calicem missa, est Corpus Domini iam sumptum in gloria: pars à sacerdote veluti Apostolo comesta, est Corpus Christi, id est, Ecclesia adhuc laborans in terra: pars in altari relicta* (quod olim fiebat) *est corpus Domini in sepulcro quiescens, id est, Ecclesia in Christo mortua per vnionem Corporis Christi resurrectura.*

Turrecremata in Can. *Triforme*, de Consecratione d. 2. *Vt nos hic adhuc pugnantes denotemur, & degentes in Purgatorio: (vtrique enim adhuc afflictionibus terimur, vt pars vtraque hostiæ sicca dentibus teritur) & illi qui iam cum Christo regnant, & inebriantur ab vbertate domus Dei, significati particulâ quæ in calice miscetur sanguini.*

Consentit ex parte cum Turrecremata S. Thomas qui ita scribit 3. p. q. 83. art. 5. ad 8. *Sicut Sergius Papa dicit (Et habetur de Consecrat. dist. 2.) Corpus Christi triforme est. Pars oblata in Calicem missa Corpus Christi, quod iam resurrexit, monstrat, scilicet ipsum Christum & B. Virginem, vel si qui alij Sancti cum corporibus iam sunt in gloria. Pars comesta, ambulans super terram, quia viuentes scilicet in terra Sacramento vtuntur, & passionibus conteruntur, sicut & panis comestus conteritur dentibus; Tertia pars (quæ etiam sumitur, licet olim vsque ad finem Missæ remaneret) est corpus in sepulchro, quia vsque ad finem seculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt; quorum tamen animæ sunt in Purgatorio vel in cælo.* Hæc ibi S. Thom. explicans verba Sergij.

Rursus idem Opusculo 59. cap. 7. dicit per partes significari tres in Christo substantias, Diuinitatem, Animam, & Corpus: vel eiusdem Christi triplicem statum, cùm aliquando fuerit mortalis, mortuus, & nunc immortalis. Hæc S. Thomas.

In tanta placitorum diuersitate liberum cuique relinquitur, quod eligat.

5\. *Sensus Allegoricus Fractionis hostiæ, & commixtionis.*

Mihi placet quod subijcio: Cùm certum sit fractione illâ specierum repræsentari Christi passionem; partes illæ confractæ eodem referendæ erunt. Ergo partes illæ maiores ferè æquales designabunt Corpus & animam Christi quorum in morte facta fuit separatio: vel vna significabit animam Christi post mortem descendentem ad inferos; altera verò Corpus Christi, vel mortuum pendens in Cruce, vel mandatum sepulturæ: tertia verò particula immissa in Calicem, secundum omnes ferè, clarè demonstrat eius Resurrectionem, in qua iterum Sanguis Corpori fuit vnitus. Et hic erit sensus Allegoricus.

6\. *Eorum sensus moralis.*

Quoad sensum moralem placet sententia Sergij Papæ cap. 22. *Triforme* de Consecratione dist. 2. prout illam explanat S. Thom. suprà de triplici statu Corporis mystici, quod est Ecclesia: quædam enim eius pars inebriatur vbertate domus Dei & vino nouo, altera adhuc versatur in terra, & pascitur Sacramento Christi; tertia purgatur igne expiationis, & sperat virtute huius sacrificij liberationem.

Triplex etiam denotatur gratia in partium illarum diuisione, quam totum Corpus mysticum participat virtute Christi Passionis, dum primi gloriam, alij iustificationem, postremi pœnæ relaxationem accipiunt.

Quidam etiam per specierum partem, quæ in Calicem mittitur, accipiunt populum fidelem, qui cùm per se aridus sit, coniunctus Christi Sanguini humectatur & inebriatur eius amore.

Sed ad alia progrediamur. Sequitur Pacis apprecatio, quâ ostenditur hoc mysterium esse ad reconciliandos Deo pecca-

peccatores, & Sacramentum concordiæ & caritatis, vt quotquot ex eo participant, veluti vnius corporis membra se diligant.

7. *Quid indicat petitio pacis clara voce cum signo Crucis.*

Auctore autem Ruperto, Sacerdos clara voce dicens, *Pax Domini sit semper vobiscum*, repræsentat Dominum stantem in medio discipulorum, qui dixit illis *Pax vobis*: & hoc satis indicat prima oratio quam idem sacerdos paulò pòst pronuntiat sumpturus V. Eucharistiam: nouit enim pacem & Ecclesiæ & sibi communicaturo maximè esse necessariam; vnde tertiò illam postulat tamquam Deo gratissimam, & fidelibus vtilissimam. Hoc argumentum piè & eruditè elucidat Illustriss. Cameracensis D. Franciscus vander Burch. Dictum est S. Hieronymi in caput 5. Epist. Galatas: *Christi pax est quæ nullis passionibus perturbatur.*

Rursùs Sacerdos *Pax Domini*, &c. pronuntians cum particula hostiæ sacræ ter format Crucis signum super calicem, de quo mysterio sic ratiocinatur Stephanus Eduensis suprà: *Cùm dicitur Pax Domini, fit triplex signaculum Crucis ad honorem S. Trinitatis, quæ misit Agnum qui per Crucem saluauit mundum, & fecit pacem hominum & Angelorum. Trina Crux fit intra ambitum Calicis ad significandum illud gaudiũ irreprehensibile & secretum quod est in fruenda visione S. Trinitatis, per quã data pax nobis venia, pax iustitiæ, pax gloriæ.*

Rursus, secundum Amalarium, Crux formata super calicem cum particula hostiæ sacræ, ipsum nobis corpus ante oculos præscribit quod pro nobis crucifixum est: ideo verò tangit quatuor latera calicis, quia per illud humanum genus per quatuor climata mundi ad vnitatem vnius corporis coniungit, & in pacem Ecclesiæ perducit. Eadem habet Raban. de Instit. Cleric. cap. 3. Vide etiam S. Thom. qu. 83. art. 5. & Micrologum cap. 17. qui putant significari post triduum Christi animam corpori fuisse vnitam. Docent alij hac cæremoniâ Sacerdotem sibi & alijs petere triplicem panem, scilicet cum Deo, siue pacem obedientiæ: pacem secum, per quietem perturbationum sub ratione: pacem cum proximo, per concordiam voluntatum.

Hæc commixtio & consecratio, &c.

Habetur hæc precatio in Ordine Romano apud Micrologum cap. 23. Radulph. de Canon. Obseruant. cap. 23. Algerum l. 1. c. 19. Amalar. & alios.

Triplicem huius inuenio expositionem & quidem probam. 8. *Horum explicatio triplex.*

1. Prima est, vt consecratio antea facta, sit nobis salutaris ad vitam æternam (licet aliqui vt Amalar. & Innocentius τὸ Consecratio non habeant.)

2. Altera est, vt hæc abstracta Commixtio & Consecratio, censeantur accipi pro concretis, hæc commixta & consecrata. Nam in Liturgia S. Iacobi vbi habetur ritus Commixtionis, legũtur hæc verba: *vnitum est, & sanctificatum.*

Dicitur autem fieri commixtio Corporis & sanguinis Christi, non quasi hæc duo prius fuerint separata, cùm etiam antea in Calice fuerit Corpus Christi, sed solùm, quia fit permixtio secundum species Sacramentales, sub quibus Corpus & Sanguis Christi continentur. Rectè enim Gabriel Lect. 8. & Durant. lib. 2. cap. 52. num. 7. quia specierum Sacramentalium fit in Calice commixtio, sub quibus Christus continetur, dicitur hîc fieri commixtio rerum contentarum. Frequenter enim multa quæ ad species pertinent, vsus loquendi tribuit contentis sub speciebus: Sicut enim Christus ratione specierum dicitur videri, tangi, frangi, ita & permisceri.

3. Tertiam indicat Bellarm. de Missa suprà, scilicet, vt censeatur quædam noua consecratio fieri ex commixtione specierum: hæc autem consecratio nihil aliud est quàm quædam noua signifi-

gnificatio Sacramentalis (consecrari enim est nouam significationem Sacramentalem accipere). Vt autem omnes, qui de Ritibus scribunt, docent, signatur per illam permixtionem Resurrectio Christi, in qua iterum eius Caro cum Sanguine suo fuit coniuncta. Itaque in illa commixtione noua fit Consecratio mystica: ante enim species quæ separatæ mortem repræsentabant Christi, nunc inter se coniunctæ eiusdem significant Resurrectionem. Itaque Consecratio hîc non significat confectionem Sacramenti, sed accipitur pro noua significatione, quam species Sacramentales sumunt illa commixtione.

9. *Hæc commixtio non fuit prohibita à Iulio Papa.* Nota hîc hanc commixtionem non prohibitam fuisse à Iulio Papa, Can. *Cum omne* de Consecrat. dist. 2. vt omnes docent, sed aliam, quam olim aliqui faciebant, cum V. Eucharistiam populo porrigebant, intingendo scilicet Corpus Sanguini Christi in Calice.

CAPVT XXIX.

Deprecatio Agnus Dei, & Osculum Pacis.

1. *Antiquitas precis Agnus Dei &c.* Hanc orationem plures adscribunt Sergio Papæ, qui Ecclesiæ præfuit anno Christi 688. Ita Alcuinus, Amalarius, Strabo, Rupertus, & alij. Vide Baron. an. 701. Sed antiquiorem Sergio tenent alij, S. Chrysostom. homil. 41 in caput 15. prioris ad Corinth. huius meminit hisce verbis: *Nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro illis Agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes.* Sic ille. En tibi hæc oratio insinuatur, & quidem post memoriā mortuorū. Indicat & S. Iacobus in Liturgia.

Obserua hac oratione primò comprehendi veram S. Eucharistiæ confessionem, cùm Agnum Dei appellamus: secundo humilem ad Christum præsentem supplicationem: tertiò piam Latriæ adorationem, quia, vt ait S. Augustin. in Psalm 98. *Nemo Christi carnem manducat nisi prius adorauerit*: postremò sinceram peccatorum & infirmitatis nostræ, & contra diuinæ misericordiæ & potentiæ protestationem & obsecrationem. 2. *Eius explicatio.*

Congruè Paschasius libro de Corpore Christi cap. vltimo: *Docuit vt prius Agnus Dei inuocaretur, fidesq; calesceret, quàm eius caro immolata comederetur vt tollat peccata mundi.*

Obserua 2. olim in illa prece tertiò repetitum fuisse *miserere nobis*, vt Albertus Magnus, & Guilielmus Durandus testantur: postea verò, vt auctor est Innocent. lib. 6. Myster. Missæ cap. 4. irruentibus varijs persecutionibus & erroribus, cœpit ferè vbique tertio loco dici, *Dona nobis pacem.* 3. *Quare dicitur 3. loco,* Dona nobis pacem.

Obserua 3. In Missa pro defunctis nec dici *Miserere nobis*, nec, *dona nobis pacem*: item non circumferri tabellam pacis, nec subsequentem recitari precationem, quâ pax petitur: non quod misericordiâ Dei non egeant &c. sed quòd, vt ait Alexand. Alensis, Missa pro defunctis specialiter celebretur, vt cessatio à pœnis & requies æterna illis indulgeatur: ideoque tertio loco additur: *Dona eis requiem sempiternam*; temporali autem pace non egent. 4. *Cur in Missa pro defunctis pax non datur.*

Adde illos esse extra aleam & periculum amittendi pacem vel cum Deo vel secum, vel cum proximo: ideoque dicuntur dormire in somno pacis; vnde petitur pax Ecclesiæ; ipsis verò requies & cessatio à pœnis.

Ceterùm Christus varijs de causis dicitur Agnus Dei siue filius, quia scilicet à Deo missus, & pro nobis immolatus. Clemens Alexandrin. lib. 1. Pædagogi cap. 5. *Quoniam*, ait, *Scriptura pue-* 5. *Quare Christus dicitur Agnus &c.*

ros

ros & infantes Agnos vocat, Deum, qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocabat Agnum Dei, filium Dei, infantem Patris. Sic ille.

Verè Christus Agnus innocens & dulcis in pueritia, mansuetus & patiens in Cruce, misericors & gloriosus in cælo.

Agnus qui propria rubefecit sanguine vellus
Castis visceribus quod texuit integra Mater.

Præclarè S. Paulinus Epistola ad Florentium. Idem Agnus & pastor reget nos in secula, qui nos de lupis oues fecit, earumque nunc ouium pastor est, ad custodiam, pro quibus agnus fuit ad victimam.

Sequitur *Osculum Pacis*; de quo hæc nota.

6. *Vsus dandæ pacis antiquissimus.* Audiendi non sunt qui osculi sancti vel pacis vsum, eiusque institutionem tribuunt vel Leoni 2. vel Innocentio 1: præbere enim illud ante Communionem ritus est antiquissimus, meritoque, ait Florus Magister in Expositione Missæ; *Ex traditione Apostolorum hoc seruat Ecclesia, cui frequenter ab Apostolis dicitur: Salutate inuicem in osculo sancto, id est, pacifico, vero, columbino, non ficto, non subdolo, vt Ioab Amasam, Iudas Christum. Illi ergo osculo sancto salutant inuicem, qui non diligant verbo, nec linguâ, sed opere & veritate.* Ante hoc dixerat S. Chrysostom. lib. 1. de Compunctione. *Osculum pacis porrigere tempore quo Sacramenta celebrantur in vsu Ecclesiæ est.* Osculabantur autem viri viros, feminæ feminas.

S. Paulus 2. ad Corinth. 13. v. 11. *Pacem habete, & Deus pacis* (auctor, præses, remunerator) *erit vobiscum*, & mox subijcit: *Salutate inuicem in osculo sancto.* v. 12. Eodem etiam tempore olim dexteras iungebant teste S. Paulino Carmine ad Cytherium:

Tunc ambo nexi ad inuicem dextras simul
In osculo pacis sacro.

Congruè autem, ait Micrologus, *daripacem ante communionem, quia iudicium sibi manducat qui non priùs fratri reconciliatus fuerit, iuxta illud Christi: Si offers munus tuum ad altare* &c. 7. *Quare detur pax?*

Porrò scitum est olim gentiles, cùm sibi mutuo obuiarent, mutuo præbito osculo in pignus amoris se salutasse. Idem mos increbuit apud Iudæos, vt ex scriptura liquet.

Rursus idem solemne fuit apud primos Christianos, tum aliàs, tum ante sacram Synaxin, vt se amicè complecterentur & mutuo dicerent, *Pax tecum*, quod erat communicaturis omnis iniuriæ remissio, & sanctæ caritatis indicium, vt docet S. Cyrillus Catechesi 5. Mystagogicâ, vbi hæc habet: *Quia per os nostrum ingreditur Christi Corpus, illud osculamur, perinde ac ianuas osculamur, per quas in Ecclesiam ingredimur*: vnde probat nos hoc os custodire debere ab obscœnis, & Dei laudibus dedicare.

Tertullian. lib. de oratione vocat hoc osculum Symbolum Orationis.

Adhuc ritus ille osculum figendi perdurat in quibusdam Ecclesijs inter sacerdotes: propter nequitias tamen & fraudes in locum osculi oris venit osculum tabellæ pacis; licet possit honestis de causis pro consuetudine regionum illud præstari, vt in signum reconciliationis, Catholicæ communionis, &c.

Fusè & præclarè de hoc ritu agit Baronius Annale 1. Christi anno 45. 8. vbi hunc ritum astruit ex Iustino, Athenagora Chrysost. homil. 30. in 2. ad Corinth. cap. 13. vbi agens de more Christianorum templi aditus & vestibula osculandi reuerentiæ causâ, de quo suprà etiam Cyrillus, dicit per oris portas Christum ad nos ingredi cùm communicamus, eaque de causa tunc mutua oscula iungi. *Audiant*, ait, *qui obscœnè osculantur.* *Olim Christiani templi ostia osculabantur.*

S. August. Sermone 81. de diuersis, hoc osculum vocat signum pacis. *Quomodo*

modo, inquit, *labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde illius non recedat*, &c. Vide etiam de hoc Durant. lib. 2. cap. 54.

CAPVT XXX.

Orationes, quæ ante & post sumptionem Sacramenti dicuntur.

1. *Non sunt orationes illæ valde antiquæ.* PReces illæ tres quæ ante sumptionem Sacramenti pronuntiantur, non sunt valde antiquæ; ideoque qui de sacris Ritibus scripserunt, & ordine Missæ, earum non meminerunt, nisi pauci, vt Gabriel Biel Spirensis; qui vixit circa annum 1490. & diu Tubingæ docuit, qui eas piè & fructuosè dilucidat Lect. 81. 82. 83. in Canonem: S. verò Bonauent. tantùm duas recenset, & breuiter perstringit in Expositione Missæ: Micrologus autem cap. 18. ait Antiquum Ordinem Missæ eas non præscripsisse, sed deuotionem religiosorum inuexisse.

2. *Earum sensus.* In prima oratione sacerdos se humiliter agnoscit peccatorum, vt etiam initio Missæ, & non habere tantam fidem quantam requirit hoc V. Sacramentum: vnde cupit vt Deus potiùs Ecclesiæ quàm suam respiciat, & pacem eidem concedat.

In secunda, prout obseruat S. Bonauentura, tria petit, à peccatis liberationem, Dei præceptorum obeditionem, numquam ab eodem separationem.

In tertia verò postulat ex sacra communione in se promanare fructus, quos illi percipiunt qui dignè ad magnum hoc Sacramentum accedunt: vt videlicet nec animæ, nec corporis poenam incurrat, sed euadens condemnationem protegatur hîc ab omnibus malis, sicut quondam Exodi 12. Hebræi, quorum vestibula domorum Agni Paschalis sanguine aspergebantur, ab Angelo percutiente immunes erant: similiter medicamentum præsentissimum sumat contra omnes huius vitæ infirmitates, pij Pellicani Iesu Christi cruore delibutus. His absolutis dicit: *Panem cælestem accipiam & nomen Domini inuocabo.* Videtur tamen olim his verbis præmissa supplicatio, *Domine non sum dignus*, quæ iam postponitur.

Hæc autem verba, *Panem cælestem accipiam* piè & copiosè dilatat Gabriel suprà Lect. 82. cuius summam hîc habes. 3. *Explicatio, Panem cœlestem accipiam, &c.*

Panem cælestem accipiam, non factum de terræ frumento, sed de sanguine virgineo, non pistum in fornace per ardorem ignis, sed coctum per feruorem dilectionis in ara Crucis: panem cælestem reficientem Angelos in beatitudine, accipiam, sperans in bonitate Domini, qui solus potest mundum facere de immundo conceptum semine: accipiam & ego sacerdos à Domino adhuc in hoc mundo peregrinus panem cælestem, vt in ipsius fortitudine ambulem vsque ad montem Dei: accipiam ego infirmus panem cælestem cor hominis confirmantem, vt à morbis cunctis merear preseruari. Et nomen Domini inuocabo, cum Christo cœnam faciens in pane isto cælesti, vt misericordiam mihi exhibeat nunc habitans in cælis, quemadmodum exhibuit secum cœnantibus habitans in terris, qui dixit (Apocal. 3.) *Si quis mihi aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo. & ipse mecum.* Hæc & plura Gabriel.

Deinde accepto Corpore Christi se inclinans ter sibi pectus percutiens dicit *Domine non sum dignus*, ex ritu antiquo communi omnibus Sacramentum percepturis, de quo posteà.

Ergo sacerdos sciens summam dignitatem eius ad quem accedit (qui in altis habitat, & tamen non alta sed humilia respicit, ad quem nonnisi humilitate peruenitur) vt ad dignam sumptionem exaltari mereatur, seipsum humi-

humiliat cum Centurione: imò cum S. Ioanne Baptista, qui contremuit, & ausus non fuit tangere sanctum Christi verticem, sed clamauit, *Ego à te debeo baptizari*: Et cum S. Petro: *Exi à me quia homo peccator sum, Domine*: Dicat ergo: non sum dignus ex mea iustitia, ex mea præparatione valde exigua: scio quia non delectaris habitare in tabernaculis peccatorum, sed potiùs in tui dilectoribus & Patris tui voluntatem facientibus: nihilominus quia peccatores non spernis, & cum illis hîc in terris manducasti, vt eos sanares, ideò me peccatorem ne projicias à facie tua, sed tantùm dic verbo, qui Verbum es Patris coæternum, dic verbo virtutis tuæ, & sanabitur anima mea à morbis spiritualibus vitiorum. Igitur sacerdos considerans se secundum se in corde suo verè indignum se proclamabit, sed attendens quid sit in corde Dei, qui se magnificauit, redemit, dilexit, se dignum sperare poterit non dignitate suâ, sed illius dignatione.

Explicatio precis, Domine non sum dignus.

S. Augustin. serm. 6. de verbis Domini, loquens de Centurione sic ait: *Dicendo se indignum præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret.* Et S. Ambros. serm. 89. *O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consueuisti! Ecce Centurio ad accipiendam salutem fit dignior, dum se profitetur indignum.*

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

5. Pia huius precis explicatio hæc esse poterit. Hic cœlestis & diuinus cibus sit mihi antidotum muniens & præseruans contra peccati venenum, medicamentum sanans omnes infirmitates meas, panis cor meum confirmans & arcens omnes animi languores, præsidium aduersus omnes insultus & tentationes mundi, carnis, & diaboli: denique viaticum perducens me per huius seculi desertum in loco peregrinationis meæ in supernam patriam & vitam æternam.

Expositio.

Siquis quærat, quid hæc pretiosi Corporis sumptio mysticè significet, non abs re quis dixerit denotare Christi sepulturam. Mandamus enim illum terræ cordis nostri velut granum frumenti, vt repullulans & resurgens multum in nobis fructum adferat, sic vt mortui peccato in posterum iustitiæ viuamus, copiosam messem bonorum operum germinantes, iuxta illud Apostoli ad Roman. 6. *Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius* (ad similitudinem mortis & sepulturæ eius) *simul & resurrectionis erimus.* 6.

Mysticè quid sumptio Corporis notet.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Meritò certè hic versus hoc loco intersеritur, quia V. Eucharistia non solùm Domini est beneficium, sed viua omnium eius beneficiorum repræsentatio & commemoratio, iuxta illud Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Est hoc sacrificium & Sacramentum compendium & Anacephalæosis omnium Dei operum excellentissima. 7.

V. Eucharistia est beneficiorum Dei compendium.

Non me teneo, quin aliquas ex S. Bernardo huc pertinentes inseram sententias. Sic igitur scribit lib. de diligendo Deo: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus. Nam qui me semel & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura: nec tantùm dura sed & indigna. Quid retribuam Deo pro se! Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Vberiùs hoc tractat Sermone de quadruplici debito, vbi inter plurima, eaque lectu dignissima, hæc habet. *Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem, cum illâ, dignior,* 8.

Nihil dignum pro beneficijs Deo rependere possumus.

dignior, ista miserior esse non possit. Cùm ergo ei donauero quidquid sum, quidquid possum; nónne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? &c.

Vberrimè verò hoc argumentum versat Serm. 2. de Pentecoste. Pauca delibo. Inter plurima sic scribit: *Verbum Dei in sublimi constitutum, vt ad nos descenderet propria benignitas inuitauit, misericordia traxit, veritas, quà se promiserat venturum, compulit, puritas vteri virginalis saluâ virginis suscepit integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, charitas verbis & miraculis manifestauit. Illa bona ineffabilia sunt, quis (vt breui verbo cuncta concludam) nihil melius inuenire potuit vnde nos redimeret Sapientia Dei in omni sapientia sua.* Vide reliqua. Adde his: vt autem hæc omnia menti nostræ insculpta manerent, quæ nulla deleret obliuio, & eorum fructus semper nouus existeret, etiam seipsum nobis dedit in edulium, & dulcissimum epulum, quo omnium beneficiorum ante memoratorum recenti vigore & efficacia quotidie spiritum nostrum reficit, nutrit, inebriat, impinguat, fecundat. Meritò ergo dicit Sacerdos, hoc percipiens Sacramentum, *Quid retribuam Domino,* &c.

Calicem salutaris accipiam. Accipiam, inquam, calicem hunc sitibundus & exsuccus defectu diuinæ gratiæ & cœlestis benedictionis, ne peream ex negligentia accedendi & hauriendi de fontibus Saluatoris: Accipiam, inquam, calicem salutaris, id est Saluatoris, ex quo scaturit aqua, ex qua qui biberit non sitiet in æternum.

Et nomen Domini inuocabo. Vt Sanguis ille in se salutaris, fiat & proficiat mihi in salutem.

Laudans inuocabo Dominum; offerens illi calicem suæ Passionis animo grato, & illam rememorando, magnificum hoc sumendo beneficium & Sacramentum.

Et ab inimicis meis saluus ero. Parasti enim in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me: ita vt saluus sim ab interno hoste, carne scilicet: ab inimico externo, mundo & à diabolo inaspectabili aduersario.

Nullum sacerdos Deo digniorem, salubriorem hoc calice offerre potuit, quo accepta beneficia compensaret.

Accipe S. Paulini pios aliquot versiculos ex Natali 9. S. Martyris Felicis Nolani.

Vita Deus noster ligno mea vita pependit
Vt staret mea vita Deo. Quid vita rependam
Pro vitâ tibi Christe meâ? nisi fortè salutis
Accipiam calicem, quo † te mea dextra propinet, († aliàs, me tua.)
Et sacro mortis pretiosæ proluar haustu.
Sed quid agam? neque si proprium dem corpus in ignes
Vilescamq; mihi, nec sanguine debita fuso
Iusta tibi soluam, quia me reddam tibi pro me.

Hæc ille vir sanctus, & plura.

Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam Amen.

Sicut Christus *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta,* ad Hebr. 9. sic & ego fiduciam habeo in introitu Sanctorum in sanguine eius (ibid. c. 10.)

Pie Pellicane Iesu Domine me immundum munda tuo Sanguine; cuius vna stilla saluum facere totum mundum posset omni scelere. Pellicane benignissime me pullum tuũ fame satiscentem, sanguine tuo sana, sæpius à tartareo serpente percussum lateris tui sanguine persana. O Sanguis, hircino potentior & efficacior! cor meum adamantinum emollj & confringe. O sanguis murice Tyrio rubicundior! ignea tua caritate spiritum meum tinge & purpura. O sanguine vuæ & mori suauior! mentem meam cœlesti amore imbue & inebria. O sangui-

sanguinis aspersio melius loquens quàm Abelis (ad Hebr. 12.) prouocans non vindictam sed misericordiam! peccatoris ad te confugientis miserere.

Sequuntur duæ precatiunculæ quas sacerdos recitat dum purificat calicem & digitos abluit: *Quod ore sumpsimus*, &c. *Et Corpus tuum, Domine*, &c. quibus petit primò bona spiritualia sibi conferri, v.g. illustrari intellectum, inflammari voluntatem, purgari memoriam, deinde abstergi minimas etiam peccatorum reliquias, v.g. inclinationes ad malum, & omnes prauos affectus.

9. *Cur calix, digiti, &c. abluuntur?* Porrò ratio, cur patena, calix, digiti extergantur & abluantur, duplex adfertur: prima, ne quid fortè incautè ex Sacramenti reliquijs remaneat vel adhæreat; non verò quod quidquam immundum ex contactu V. Eucharistiæ sacerdos contraxerit; quin potiùs, vt suam indignitatem commemoret, qui se indignum tantis Sacramentis celebrandis iudicet.

Altera est, quia absurdum & minus congruum videtur, vt manus ad res humanas & communes tangendas accedant donec studiosè lauentur. Est

10. *Primi Christiani panem etiam communem reuerenter tangebant.* hoc venerationis indicium. Sic scribit Tertullian. primos Christianos, suæ scilicet ætatis, ob V. Eucharistiæ memoriam panem etiã mensalem & vsualem nonnisi reuerenter attrectasse, & ægrè humi decidere passos esse: hinc est fortè quod Flandri præsertim pueri à maioribus docentur panem in terram casu lapsum cum osculo honoris indice recipere.

Aduerte hîc, primò, ex ritu Ecclesiæ vt constat Extrauag. de Celebratione Missarum cap. *Ex parte*, sacerdotem os sumpto Sacramento abluere vino, & eodem perfundere digitos, idque ob reuerentiam, vt obseruat S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad decimum, quæ ablutio repeti poterit, quoties opus fuerit remanentibus in ore reliquijs, vt Nauar. cap. 25. Enchiridij 11. 89. & Sà V. Missa n. 35. estque decentius, quàm ori digitum inserere, vel particulam calici inhærentem digito attrahere, vt Nauar. & Sà suprà & alij contra Scotum.

Aduerte 2. Doctores passim rectè docere, vt Caiet. Sotum, Azorium, Suarez, post sumptam purificationem, si reliquiæ adhuc in Corporali inueniantur, licere sacerdoti eas absumere quamdiu fuerit in altari, siue paruæ illæ fuerint, siue etiam magnæ: tum quia ad idem sacrificium pertinent: tum quia nondum suum compleuit ministerium. Si autem sacro finito in Sacristiâ repererit aliquod fragmentum in calice vel patena non debet illud sumere, quia tum officio suo fuit perfunctus. Quod si post ipsum nullus esset sacerdos celebraturus, qui illud accipiat, & ibi non asseruetur in Ciborio V. Eucharistia, tunc sacerdos non ieiunus potest illud fragmentum deglutire ne pereat. Ita Diana V. Eucharistia in Compendio ex Suarez & alijs. 11. *Post ablutionem possunt sumi remanentes in Corporali reliquiæ sacræ.*

Tempore quo Sacerdos V. sumit Sacramentum cantatur à Choro vel post Communionem legitur versus, qui dicitur Communio, & cantatur cum iubilatione & lætitiâ, vt conueniat cum illo Psalmi 41. *In voce exultationis & confessionis sonus epulantis*: Item cum illo Lucæ 15. cùm pater occidisset vitulum saginatum audita est symphonia & chorus in signum gaudij. Deinde denotat cantus ille lætitiam Apostolorum, quam de Christi Resurrectione perceperunt: ita Beda, Innocent. 12. *Cantus post Communionem.*

Sequuntur mox Orationes & Collectæ quæ vocantur Post-communio, quia dicuntur post communionem, & quidem eo ordine & numero quo initio Missæ dictæ, excepto, quod in ferijs ieiunij Quadragesimalis in fine Liturgiæ additur oratio super populum, 13. *Collectæ post Communionem.*

 quæ

quæ ſic vocatur in Sacramentario S. Gregorij: Amalar. lib. 3. cap. 37. appellat hanc alteram Benedictionem, vt & Microlog. cap. 51. Distribuebatur enim olim panis benedictus populo in fine Miſſæ, & quia hoc non licebat in Quadrageſima, ob ieiunium, pro pane dicta eſt alia oratio ſuper populum, vt Honor. in Gemma lib. 1. cap. 61. Vide Gauantum parte 2. theſauri rituum tit. 11.

Vocatur hæc pars vltima Miſſæ gratiarum actio; de qua videndus S. Dionyſius Eccleſ. Hierarch. c. 3. S. Ambroſius lib. de Sacrament. 6. cap. vltimo. Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum, S. Thom. 3. p. q. 83. art. 4 in Corpore.

Eccleſia in hac gratiarum actione imitatur Chriſtum, qui peractâ vltimâ Cœnâ hymnum cecinit. Eſt autem hymnus auctore S. Auguſtino, Laus Dei cum Cantico. Vide S. Hieronymum ad illud Matth. 26. *Hymno dicto.*

14. *Quid ſignificent hæ Orationes.* Dicuntur autem hæ Collectæ in dextera parte altaris ad indicandum Reliquias Iudæorum in fine mundi Chriſti fidem ſuſcepturas, quæ primum ab illis progreſſa ad gentes tranſierat. Vt enim dictũ eſt prius, Aquilonaris pars ſeu ſiniſtra Gentes, Meridionalis ſeu dextra Iudæos ſignificat: Chriſtus verò per Altare repræſentatus lapis eſt angularis, in quo gentes & Iudæi iunguntur.

Iuxta quoſdam ſignificant hæ Orationes Apoſtolos poſt Chriſti Aſcenſionem in orationibus vnanimiter perſeueraſſe. Cæterùm Sacerdos in ijſdẽ pro perceptis muneribus gratias agit, deinde petit ipſius Communionis perfectionem & fructum. Eſt autem ille duplex, vna gratia in via, altera gloria in patria. Pſalm 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Poſtremò vouet impetrare eum effectum, quem intendit in ipſo Sacrificio.

Hoc facile eſt obſeruare in omnibus illis Orationibus. v. g. Sic oramus in Poſtcommunione Sabbati quatuor temporum Septembris: *Perficiãt in nobis Domine quæſumus, tua Sacramenta quæ continent, vt quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus*: id eſt, vt Corpus & Sanguis Chriſti, quæ ſub ſpeciebus panis & vini hîc teguntur, à nobis in manifeſta viſione, ſicut reuera ſunt, quandoque capiantur. Vide plura apud Durandum in Rationali lib. 2. cap. 56. & 57. & Gabrielem Lectione vltima 89.

Myſticè, teſte Hugone de S. Victore, Miſſa oratione concluditur, vt populus diſceſſurus oratione muniatur, ne iterum huius vitæ irretiatur illecebris. Auctore verò Ruperto cap. 19. inſinuat Chriſtum ad dexteram Patris ſedentem interpellare pro nobis, ad Roman. 11.

CAPVT XXXI.

Ritus olim in perceptione diuinæ Euchariſtiæ obſeruati.

PRofert hos Baronius Annale primo, anno Chriſti 57 Stephanus Durantus lib. 2. de Ritibus cap. 55. Ioannes Baptiſta Scortia lib. 4. de Miſſa cap. 29. §. 9. Nos de ijs breuiter pro inſtituto.

Primum itaque, vt alibi memini, populus panem & vinum ad Eccleſiam ferebat, & certo loco ponebat, qui dicebatur Gazophylacium: inde Diaconus ad altare Sacerdoti ea deferebat: poſtea præmiſſis precibus & cæremonijs, quæ in antiquis Liturgijs habentur, Sacerdos Chriſti perſonam gerens & eius verbis vtens ea benedicebat & conſecrabat, ſacrificiumque conficiebat, de quo Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. *1. Populus offerebat panem & vinum.*

Cor.10.v.16. *Calix benedictionis, cui benedicimus nónne communicatio Ságuinis Christi est?*

Vlteriùs in altum eleuato Sacramento, vt omnes illud adorarent, prius Presbyter, ac mox populus de oblato sacrificio participat, iuxta Apostolum suprà; *Panis quem frangimus nónne participatio Corporis Domini est?* De hoc S. Augustinus egregiè de verbis Euangelij: *Quando*, inquit, *manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & postea quod manducemus non inueniamus: manducetur Christus; viuit manducatus, quia surrexit occisus; nec quando manducamus partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento sic fit: & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Vnusquisque accipit partem suam; vnde & ipsa gratia partes vocatur; per partes manducatur, & manet integer totus, per partes manducatur in Sacramento, & manet integer in cælo, & manet integer totus in corde tuo.* Hæc ille.

2. *V. Eucharistiam percipiebant per buccellas vel particulas.*

Dixi suprà ob id causæ Eucharistiam quæ populo diuidebatur vocatam fuisse buccellas vel particulas, vt nos formulas vel paruas hostias appellamus.

3. *Apponebantur communicaturis tabellæ vel mensulæ.*

Insuper sacram Synaxim sumpturis tabellæ apponebantur quasi mensulæ quædam, sicut hodie linteis mappulis instratæ communicaturis parantur, de quibus agit S. Chrysost. Homil. 61. ad Populum.

4. *Dicebatur eisdem;* Sancta Sanctis.

Præterea Præco, sacerdos videlicet vel Diaconus communicaturus & alios ad Communionem vocaturus clamabat: *Sancta Sanctis*, vt testis est Chrysostomus suprà, vbi inter alia: *Cùm dixerit Sancta Sanctis, hoc dicit: Siquis non est sanctus non accedat. Non simpliciter dicit à peccatis purus, sed sanctus, non peccatorum tantùm liberatione, sed spiritus præsentiâ.* Idem tradit S. Cyrillus Catechesi 5. Mystagogicâ. Vide Nicolaum Cabasilam in Expositione Liturgiæ cap. 36.

Porrò moris fuisse Sacramentum percepturis dicere, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*, &c. tradit Origenes Homilia 5. in diuersa Euangelij loca, hisce verbis: *Quando sanctum illum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipsum imitare hunc Centurionem & dicito, Domine non sum dignus. Vbi enim indignè ingreditur ibi ad iudicium ingreditur accipientis.* Quam formulam hodieque obseruat Ecclesia, sed dicitur à Sacerdote.

5. *Et* Domine non sum dignus.

Deinde sacerdos sacram Synaxim præbens, quid daret testabatur, dicens, *Corpus Christi*; accipiens verò respondebat *Amen*, profitens id ipsum verum esse. Sufficit de hoc unus S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. in fine: *Ergo, ait, non otiosè tu dicis Amen, iam in spiritu confitens quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi, & tu dicis Amen, hoc est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Postea tamen inualuit mos vt diceretur, *Corpus Domini nostri Iesu Christi, &c.*

6. *Item,* Corpus Domini nostri &c.

Ceterum viri porrectam V. Eucharistiam manu accipiebant (vt suprà dixi à Christo in Cœna datam Apostolis) dexterâ superpositâ sinistræ & cancellatâ in modum Crucis, vnde & manus ante lauabant; fœminæ verò manu velata linteo mundo, quod inde Dominicale vocabatur. S. Cyrillus suprà, *Accedens*, inquit, *ad Communionem non expansis manuum volis accede, neque disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subijcias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concauâ manu suscipe Corpus Christi dicens, Amen. Sanctificatis ergo oculis tam sancti Corporis contactu communica; caue ne quid excidat tibi: quod enim amittes hoc tamquam ex proprio membro amiseris: nam siquis aurea ramenta tibi daret, nónne magna cum diligentia ea teneres, cauens nequid ex illis periret, damnumque sustineres? & non multò magis*

7. *Viri olim manu V. Eucharistiam accipiebant fœminæ velo lineo.*

magis ac diligentius, de hoc quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis? Hactenus S. Cyrillus.

Sed & Sexta Synodus hæc statuit Can. 3. *Eucharistiam accepturus manus in Crucis formam figurans accede. Eos enim qui ex auro vel alia materia quadam, loco manus, receptacula efficiunt, ad diuini muneris susceptionem minimè admittimus, vt qui inanimatam, subiectamque materiam Dei imagini præferunt.*

De feminis verò sic sanxit Concil. Antisiodorense Can. 39. *Vnaquæque mulier quando communicat, Dominicale suum habeat; quod si non habuerit, vsque in alium diem Dominicum non communicet.*

8. *S. Hilaria ante martyrium è theca V. Eucharistiam depromptam sumpsit.*

S. Hilaria cùm sub Numeriano Cæsare duceretur ad supplicium, rogauit tantulum sibi moræ concedi, donec oratiunculam recitaret, quâ obtentâ, flexis genibus è sinu paruulam extraxit thecam, in qua sacram asseruabat & secum semper deferebat Eucharistiam, eamque summa cum deuotione consumpsit, & manibus in cœlum elatis exspirauit. Ita Espencæus lib. 2. de Adoratione V. Eucharistiæ cap. 7. & alij.

9. *Tempore persecutionis etiam sub specie vini V. Eucharistiam sumebant.*

Acceptam manu sua Eucharistiam vnusquisque ori suo inserebat, scil. sub specie panis, eamque ieiunus quotidie sumebat. Tempore tamen persecutionis etiam V. Sacramentum sub specie vini sumebant, vt per susceptionem Sanguinis Christi magis accenderentur ad proprium sanguinem pro Christo in Martyrio effundendum. Sic 1. Machabæor. 6. v. 34. elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori ad acuendos eos in prœlium. Patet ex Actis Martyrij S. Laurentij. Vide S. Cyprianum Epist. 56. ad Thibaritanos.

Postea tamen Ecclesia instituit, ne laici manu sanctam Eucharistiam acciperent, sed à sacerdote ori eorum imponeretur: vetuitque ne eam domum deferrent, sed in templo sumerent. Et hæc quidem omnia ad maiorem venerationem.

10. *Canebatur olim in distributione V. Eucharistia Psalmus Benedicam Dominum &c.*

Postremò, dum sacrum epulum distribuebatur, pronuntiabatur Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore,* &c. vt iubetur in Constitut. Apostolicis lib. 8. cap. 20. apud. S. Clementem, quia plures de V. Eucharistia in eo sermonem esse docent, vt S. Augustinus, Cassiodorus & alij, quos citat Lorinus noster in primæ S. Petri cap. 2. v. 3. ad illud: *Si tamen gustastis quoniam suauis est Dominus.*

Putant aliqui hunc Psalmum pertinere ad nostrum sacrificium propter Panes propositionis, qui erant typus V. Eucharistiæ, quos Dauid accepit ab Achimelech, cùm faciem suam coram eo immutauit. Sed fefellit eos titulus Psalmi, vbi Achimelech ille coram quo Dauid vultum suum mutauit stultitiam simulans, non est Achimelech sacerdos, sed Achis Rex, 1. Reg. 20. v. 13.

Postea institutum fuit, vt dum Sacramẽtum percipitur cantetur versus, (Antiphonam olim vocabant) qui de Communione nomen accepit, cui olim Psalmus subiungebatur ex quo versus ille desumptus fuerat cum Doxologia *Gloria Patri* &c. de quo videndus Micrologus cap. 18.

Rursus quondam etiam canebatur loco versus Communionis ex Liturgia S. Jacobi, & ex Cyrillo Catechesi quinta mystagogica illud Psalmi 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, &c.*

CA-

CAPVT XXXII.

A quibus, quando, & quâ mensurâ fructus huius Sacramenti percipiantur.

1. *Olim V. Eucharistia dabatur infantibus.* DIcendum primò, etsi quondam infantibus V. Eucharistia data fuerit recepto Baptismo & Confirmatione, vt constat ex antiquis Patribus; quæ consuetudo postea ab Ecclesia ob periculum irreuerentiæ sublata fuit; si nihilominus illis præbeatur, fructum gratiæ percipient, cùm Charactere Baptismali sint insigniti, & vita spirituali viuant: quæ dispositiones hominem eius efficiunt capacem, nec quidquam aliud requiritur; & ita multi Doctores tenent; nullo tamen præcepto ad V. Sacramentum sumendum obligantur.

2. *Nulla absolutè in homine iusto est præparatio necessaria vt fructum percipiat Sacramenti.* Dicendum præterea, in homine iusto, vt in sumptione Sacramenti accipiat fructum vel augmentum gratiæ, nullam actualem præparationem vel deuotionem absolutè esse necessariam; quamuis illa & sanctissima, saluberrimaque sit, & omnino suadenda & procuranda.

Est ferè communis sententia Doctorum, S. Thomæ 3. p. q. 79. art. 8. Soti, Victoriæ & aliorum contra Caietanum. Ratio huius præcipua est, quia ipsum Sacramentum per se & naturâ suâ est efficax gratiæ in homine non ponente obicem vel impedimentum; talis autem est iustus, etiam si in perceptione distractiones patiatur, & actu nullum pii affectus motum sentiat.

Vnde etiam asserendum est, peccatum veniale commissum in susceptione V. Eucharistiæ, v. g. vanæ gloriæ, negligentiæ in repellendis inutilibus cogitationibus commissæ, non impedire gratiæ infusionem, vt inter alios docet Gabriel Lectione 89. in Canonem.

Non est tamen negandum deuotionis & attentionis absentiam esse peccatum veniale, si ex negligentia proueniat: quia non minorem mentis præsentiam requirit tam præcellentis Sacramenti sumptio quàm horarum Canonicarum recitatio, sed multò maiorem; non tamen per hoc impeditur effectus Sacramenti, quem vi sua & ex opere operato confert: acciperet tamen copiosiorem gratiam etiam Sacramentalem, si illâ negligentiâ caruisset: quòd si distractio fuerit inuoluntaria, nullâ gratiâ ordinariâ priuabitur. 3. *Est tamen attentionis absentia ex negligentia in sumptione Sacramenti peccatum veniale.*

Petes; quando Sacramentum hoc confert fructum gratiæ? Respondeo, omissis variorum Doctorum sententijs; conferre videtur vel in principio manducationis, quæ vocatur deglutitio vel attractio, quando scilicet ipsis speciebus imprimitur impetus ab instrumentis vitalibus, quo traijciuntur in ventriculum: vel certè in termino manducationis, quando iam pertingit in stomachum; tūc enim completur manducatio: vel denique immediatè post primum instans manducationis; tunc enim dicitur primum Corpus Christi manducari, non autem in instanti primo vel vltimo. Nam manducari est vitali actione transmitti in stomachum, ac proinde includit motum: nihil autem mouetur in primo vel vltimo instanti motus, sed solùm in medio: ergo in primo & in vltimo instanti non propriè dicitur manducari: atqui Christus Ioannis 6. soli manducanti promittit vitam gratiæ: ergo illa conceditur quamprimum verè & propriè dici potest V. Sacramentum manducari: ac proinde post primum instans manducationis. 4. *Quando conferatur gratia in sumptione V. Eucharistiæ.*

Aduertè hîc primò, si post manducationem vel sumptionem crescant a- 5. *Sumpto Sacramen-*

 ctus

te si crescat deuotio, crescet etiam gratia, quamdiu species non non fuerint consumptæ. ctus pij deuotionis, caritatis &c. valde probabile est etiam augeri effectus gratiæ quamdiu species nondum sunt consumptæ. Ita Gabriel suprà, & recentiores Suarez, Coninck, aliiq;.& ratio est, quia promissio gratiæ in hoc Sacramento consequendæ maximè facta est propter Christum manducatum, vt Ioan. 6. *Qui manducat me viuet propter me*: & probatur ex Analogia & similitudine cibi corporalis, qui non tantùm prodest in comestione, sed etiam post: ergo etiam hic cibus spiritualis nouum adferet fructum si noua vel melior & intentior fuerit deuotio & dispositio.

Aduerte tamen 2. si in sumptione desit necessaria vel legitima dispositio, vt si subiectum peccato mortifero fuerit obnoxium, cuius non habet saltem attritionem cum bona fide vel opinione contritionis; tunc nullum fructum conferet Sacramentum, vt per se patet: quia potiùs iudicium sibi manducat & damnationem.

6. *Siquis in peccato mortali sumpserit Sacramentum, & adhuc speciebus remanentibus pæniteat, probabiliter gratiam consequatur.*

Aduerte 3. valde probabile esse hoc Sacramentum conferre gratiam, si impedimentum peccati mortiferi tollatur dum adhuc supersunt species. Ita enim multi docent, vt Caietan. 3. p. quæst. 79. art. 1. quem sequitur Suarez & alij: & ratio est, quia Sacramentum tum adhuc est in hominis stomacho, ergo ablato impedimento poterit suum effectum producere. Sic contingit escam corporalem, si humorum noxiorum abundantia grauet stomachum, obesse, quâ remotâ statim prodest.

7. *Plus accipit gratiæ qui Sacramentaliter & spiritualiter communicat, quàm qui solùm spiritualiter.*

Dicendum insuper multo plus gratiæ eum percipere qui spiritualiter & Sacramentaliter sumit V. Eucharistiam, quam is qui solo spiritu, id est, voto & desiderio suscipit. Et ratio in promptu est: quia etsi actio exterior nihil addat interiori bonitatis ex opere ipsius operantis, multum tamen, per omnem modum, gratiæ superaddit ex opere operato, id est, vi ipsius Sacramenti, vt hîc cernitur.

8. *Per se loquendo tantum accipit gratiæ qui sub vna specie accipit, quàm qui sub vtraque ceteris paribus.*

Dicendum postremò, eum qui Sacramentum sumit sub vnâ specie, tantum gratiæ recipere, quantum is qui sub vtraque, nisi fortè contingat eum qui posteriore modo sumit, vt puta sacerdotem meliùs & deuotiùs esse dispositum, quàm erat, cùm Corpus Domini sub specie panis reciperet.

Priorem partem ex professo & ampliter docet Bellarminus lib. 4. de V. Eucharistia cap. 23. Propositione vltima. Et est hæc sententia communis & conformis Concil. Trident. sess. 21. cap. 3. estque S. Thomæ 3. part. quæst. 80. art. vltimo, Bonauenturæ, Gabrielis, Caietani, Soti, Coninck & aliorum.

Rationes multæ adferri possunt: sed præterquam quod hæc sententia magis impugnet hæreticos, qui vtraque sub specie Sacramentum laicis concedi volunt, & magis satisfaciat & faueat Catholicis laicis sub vna dumtaxat specie communicantibus, adiungo hoc argumentum.

Gratia huius Sacramenti promittitur sumentibus Christum; atqui qui sumit sub vna specie Sacramentum, tam perfectè Christum sumit atque is qui duabus sub speciebus; ergo suscipiet parem gratiam, si æquè fuerit paratus.

Deinde vtraque species sumitur per modum vnius communionis, & est moraliter vna sumptio: ergo eamdem & non distinctam conferet gratiam. aliud foret si diuersæ species diuersis temporibus reciperentur, & non simul: esset enim tunc aliud conuiuium à priore tempore distinctum.

9. *Statim hæc gratia con-*

Hinc licet inferre cum Ægidio Coninck nostro, hanc omnem gratiam conferri statim cùm Christus sub alterutra

fertur cùm Christus sub vna specie sumptus fuerit. terutra specie receptus est in stomacho, nec eam augeri postea nisi dispositio recipientis fiat perfectior: quia etsi physicè vtraque sumptio fiat diuerso tempore, moraliter tamen, & ex acceptatione Dei fieri simul censetur: sicut quando quis in eadem communione plures hostias vel diuersas eius partes sumit. Alia de his, Scholasticis relinquimus.

CAPVT XXXIII.

Formula, Ite Missa est &c.

1. *Ite Missa est, idem est, atque Missio conceditur.* DE hac sic Alcuinus scribit libro de diuinis officijs cap. de celebratione Missæ, quem sequitur Florus Magister in expositione Missæ. *His peractis*, aiunt, *astanti populo absolutio datur inclamante Diacono: Ite Missa est: Missa enim nihil aliud intelligitur quàm dimissio, id est, absolutio, quam, celebratis omnibus, tunc Diaconus esse pronuntiat, tcùm populus à solenni obseruatione dimittitur: vnde & Missam Catechumenorum Canones dicunt, quoniam post lectionem Euangelij Diacono clamante Catechumeni mittebantur foras.*

Sic in Regula S. Benedicti, vbi de publicis precibus dicitur, *finiantur*, cap. 10. & *Compleantur*, cap. 13. pro eo dicitur cap. 17. *Missa sint, & fiant.* Idem ergo est, Ite Missa est, atque, Missio conceditur.

2. *Antiquissima est consuetudo finita Liturgia populum dimittendi.* Hic mos obtinuit ab ipsis Ecclesiæ primordijs, vt peractis Liturgiæ mysterijs populus dimitteretur, sicut constat ex S. Clemente lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 15. his verbis: *Diaconus dicat, Ite in pace.*

In Liturgij, S. Iacobis Basilij, Chrysostomi, peracta Liturgia similia verba proferebat Diaconus: v.g. *Ite in pace, In pace Christi eamus*, & respondetur: *In nomine Domini.* Plures qui de Ritibus scripserunt, Missam vocatam volunt, quia Hostia vel legatio pro salute mundi Missa est ad Patrem, quâ cœli ostium apertum est, vel hostia salutaris ad nos ab eo Missa ad eundem est remissa. Sed de hoc plura dixi cap. 1. lib. 3.
1. huius tractatus, vbi, alijs reiectis, asserui vocatam Missam à populi Missione. Amalar. Fortunatus lib. 3. de Ecclesiast. officijs cap. 37. sic piè obsecrat: *O vtinam quando audimus à Diacono, Ite Missa est, mens nostra ad illam patriam tendat, quo caput nostrum præcessit, vt ibi simus desiderio, vbi desideratus cunctis gentibus nos expectat cum suo trophæo.* *Vocata Missa à populi Missione.*

Micrologus de Ecclesiasticis Obseruat. cap. 20. *Sacerdos populum post communionem benedicit, cui tamen prius, vt ipse discedat, per Ite Missa est, denuntiat, in figuram Angelorum, qui discipulis, discedente Domino dixerunt, Viri Galilæi, &c. Quo audito discipuli adorantes Dominum reuersi sunt Hierusalem cum gaudio magno; sicut & populus relata Deo gratiarum actione ad propria cum gaudio reuertitur.* 4. *Mysticè quid hæc Missio significet.*

Plura etiam habet Gabriel Lectione vltima in Canonem. Nota verò quibusdam diebus etiam Dominicis per Aduentum, & à Septuagesima etiam vsque ad Pascha dici *Benedicamus Domino*: quia tempus est luctus & mœroris, non lætæ dimissionis: non quod ad illorum temporum Missas populus non conueniat, sed soli monachi & religiosiores, vt vult Micrologus cap. 46. & 47. 5. *Cur aliquando dicatur,* Benedicamus Domino.

Istorum tamen magis proprium est Domino benedicere & perpetuò in diuinis laudibus occupari, ad quod per *Benedicamus Domino*, inuitantur.

Obseruanda verba Micrologi cap. 46. *Conuenienter illis religiosioribus denuntiatur, vt post Missam non statim discedant, sed potiùs vt Dominum benedicant*, & subiungit, *Cum Ite Missa est, ad populum conuertimur, quem discedere iubemus; cùm autem dicimus, Benedicamus Domino, non ad populum, sed ad altare, id est, ad Dominũ vertimur.* Hęc ille.

In Missis verò pro defunctis dicitur *Requiescant in pace*, & quidem versus Altare; & rectè, cùm enim Altare, vt alibi memini, Christum notet, meritò ad illum Liturgus se vertit mortuis in Christo eiusdem meritis veniam deprecans.

Porrò sacerdoti vel Diacono proferenti, *Ite Missa est*, respondet chorus vel minister nomine populi, *Deo gratias*, &c. Meritò. Agit siquidem Deo gratias pro V. Eucharistiæ Sacrificio & Sacramento maximo Dei dono percepto, & alijs beneficijs in nos collatis.

S. Chrysost. ex verbis S. Matth. 26. v. 30. *Hymno dicto, &c.* Colligit neminẽ è Missa ante gratiarum actionem quæ fit in Collectis post Communionem) discedere debere. Adde nec antequam per formulam legitimam dimittatur, & sacerdotis accipiat benedictionem.

6. *Completur Missa per gratiarum actionem.*

Præterea notum est ex S. Dionysio Eccl. Hierarch. c. 3. & Auctore operis Imperfecti in Matth. Homil. 82. & alijs semper compleri Liturgiã solitam per gratiarum actionẽ. Adfert Auctor Imperfecti suprà, exemplum Christi: *Gratias, inquit, egit, antequam dedit discipulis suis, vt & nos gratias agamus, Gratias agit, & hymnum dixit postquam dedit, vt & nos hoc ipsum faciamus.* Item S. August. Ep. 59. ad Paulin. quæst. 5. ait. *Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.*

7. *Commendatur gratiarum actio.*

Est hæc clausula dignissima totius Liturgiæ; quæ etiam est sacri Musæi Dauidis, cùm post persolutam Psalmorum suorum Hecatonpentecontadem ex penitissimis præcordijs insonat illud: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Vide a nobis hac de re dicta lib. 1. de Horis Canon. cap. 15. & 18. vbi ostendimus etiam apes, & alaudas vel Cassitas Dei laudes septies in die cantillare: quod etiam nobis inculcat sæpius Apostolus, vt ad Ephes. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri*: & 1. ad Thessalonicenses 5. *In omnibus gratias agite*, &c.

8. *Homo nomine totius mũdi Deo gratias agere debet.*

Rectè Scortia explicans formulam *Deo gratias* scribit: vt inutile esset Horologium cum omnibus suis instrumentis, rotis, ponderibus, si deesset campana, quæ populo stato tempore mallei ictu, instar vocis humanæ, horas personaret & significaret, ita mundi fabrica immobilis & muta staret, nisi ratione prædita natura, cuius id munus proprium est, eius loco Deo gratias & laudes persolueret.

9. *Quid significet oratio: Placeat tibi sancta Trinitas.*

Sequitur mox oratio secreta nec valde antiqua: *Placeat tibi sancta Trinitas* &c. quæ clara est & tempori conueniens, per quam oblatum Sacrificium Deo commmendamus, vt placatus accipiat, & nobis salutare esse concedat: hanc orationem religiosè & copiosè Lectione vltima explicat Gabriel; videtur tamen oratio illa dicta post sacerdotis Benedictionem, vt ex eodem apparet, & ex Micrologo de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 22. qui etiam illam collocat post datam populo benedictionem, qui ritus à Durando capite 59. commendatur tamquam adhuc vsitatus. Sed nostra cæremonia videtur potior, quia vt inquit Gauantus parte 2. tit. 12. docet noua oratione prius petere à Deo efficaciam proximæ futuræ benedictionis.

CA-

CAPVT XXXIV.

Benedictio sacerdotis, & Euangelium S. Ioannis.

POstremò, sacerdos populo benedicit, & in aëre signo Crucis expresso, quo omnia benedici solent, ait: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus.*

1\. *Ritus benedicendi populo antiquus.*

Est hic ritus admodum vetus, vt patet ex Liturgia S. Petri, & alijs antiquis Græcorum, & Clemente in lib. 8. Constit. Apostol cap. 23. & meminit S. Hieronymus Epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, vt notauit Micrologus cap. 21.

Constat præterea ex Concil. Agathensi Can. 47. & habetur de Consecrat. dist. 1. C. *Missas*, vbi sic legitur: *Missas secularibus die Dominico totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat: Quod si fecerint ab Episcopo confundantur;* Idem sanxerunt alia Concilia.

Quod autem Micrologus, tum cap. 21. tum 51. dicit hanc benedictionem antiquitus non fuisse vsitatam, sed hanc successisse in locum Communionis, vt qui non communicatus recederet, saltem sine hac non abiret, non satis capio, cùm de antiquitate huius ritus satis constet. Ponit autem hîc duplicem benedictionem: alteram scilicet, orationes post Communionem, & in ferijs Quadragesimæ orationem quæ dicitur super populum, vt & Amalarius lib. 3. cap. 36.

Nota verò ex consuetudine Ecclesiæ sacerdotem non benedicere populo nisi Episcopi permissione, intellige ipso præsente, sed in hoc sequendæ Rubricæ Missalis, quidquid olim fuerit, qua de re plura Micrologus cap. 21.

Porrò videtur ritus benedicendi populo profluxisse ex lege veteri, vt tradit Isidorus lib. 2. de Ecclesiast. Officijs cap. 17. Sic enim habemus benedictionem Aaronis Num. 6. v. 23. & sequent. *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filijs eius: sic benedicetis filijs Israel; & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te.* (largiatur tibi omnium bonorum copiam) *Ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui* (fauorem & beneuolentiã suam tibi exhibeat & declaret.) *Conuertat Dominus vultum suum ad te & det tibi pacem* (sit tibi propitius & omne bonum tibi conferat.) *Inuocabuntq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis* (concedam quod illa benedictione petitur.

2\. *Profluxit hic ritus ex lege veteri.*

Cæterùm aduertere licet ter repeti nomen Domini, vt tunc temporis esset SS. Trinitatis inuocatio implicita, cùm lex obtineret vmbram futurorum bonorum, quæ iam in noua lege, discussis vmbris, & personis nominatis, clara est & explicita. Dum igitur in illa benedictione ter Dominus dicitur, & indicatur Deus esse ex quo, in quo, per quem sunt omnia bona, quod manifestius explicuit Dauid Psalmo 66. vbi forma hæc benedictionis sacerdotalis repetitur, & ita Psalmus concluditur, *Benedicat nos Deus* (Pater) *Deus noster* (filius Emmanuel) *benedicat nos Deus* (Spiritus sanctus) Clarissimè autem hoc ostenditur in nostra benedictione in fine Missæ de qua agimus.

3\. *Indicatur in vetere benedictione SS. Trinitatis mysterium.*

Præterea maximè conueniens proposito nostro, vt nostræ benedictionis typus, est benedictio Aaronis exhibita populo, peracto sacrificio Leuit. 9. v. 22. quem Liturgi nostri in ritu benedicendi sequuntur; sic autem ibi legimus: *Extendens Aaron manum ad populum benedixit ei*: quem imitatus est Ecclesiastici cap. 50. 22. Simon Oniæ filius sacerdos

4\. *Alij typi nostræ benedictionis in lege antiqua.*

vt cum Regina Esther cap.5. v.2. osculata est summitatem virgæ aureæ Assueri Regis; videat sacerdos accedens ad osculum Altaris, ne odio aliquo vel rancore à proximo dissideat, ne, cum tanta audacia & impudentia Domino appropinquans & altare exosculans audiat cum Iuda; *Osculo filium hominis tradis?* Tu igitur *vade prius reconciliari fratri tuo.* Ita Stephan. Durant. lib. 2. de Ritibus cap. 57.

8. *Monet S. Cæsarius non discedendum è sacro ante Benedictionem.* Denique extat inter homilias S. Cæsarij Arelatensis Episcopi homilia 12. quâ monet populum vt diebus Dominicis & festiuis ab Ecclesiâ non discedat, nisi Missam integram audiuerit, & benedictio data fuerit. Legi homiliam illam diligenter, in qua etiam ostendit quantum bonum consequantur, qui diligenter sacrificio assistunt, & quantum damnum incurrant, qui antequam sacra mysteria compleantur, ab illis se subducunt. Vixit autem Cæsarius anno 499. & habetur tomo 5. Bibliothecæ Patrum parte 3. Ex quo etiam constat antiquitas Benedictionis sacerdotalis in fine Missæ, de qua agimus. Vide vitam eius apud Surium cap. 12. August. 27.

9. *Idem facto suo ostendit S. Ioannes Eleemosynarius.* Notum etiam factum S. Ioannis Eleemosynarij, qui, vt testatur Leontius in eius rebus gestis cap. 41. cum Alexandrini templo egressi essent non absolutâ Liturgiâ etiam cum illis exijt sacris vestibus indutus: illis verò admirantibus dixit: vbi oues ibi & pastor; ingredimini & ego etiam introcedam; quòd si extra maneatis & ego hîc hærebo. Ego filij propter vos ad Ecclesiam descendo: nam mihi ipsi in Episcopio Missas facere poteram.

10. *Cur legitur Euangelium S. Ioannis.* Non ita pridem legi cœptum est post datam benedictionem initium Euangelij secundum Ioannem, &, vt quidam aiunt contra nocturnam Lemurum intemperiem. Nullus, quod sciam, Ritualis scriptor illius meminit. Videtur tamen olim data benedictione aliquid lectum fuisse, vt ostendit Gauantus par. 1. titul. 3. lit. R. & memini puer à quibusdam recitari solitum finem Euangelij secundum Marcum.

Quidquid sit, congruè legitur Initiũ huius Euãgelij, quod est totius fidei cõpendiũ, vt pro Incarnationis beneficio gratias agamus: Seruit etiam ad hoc, vt qui prius Euangelium non audierit, audiat saltem posterius. Ita Suarez Disput. 83. sect. 1. vide etiam Durand. lib. 4. cap. 24.

Illustriss. Cameracens. vander Burch tres adfert rationes cur hoc legatur: prima est, vt agnoscamus grati, quantus sit ille quem specie panis & vini obtectum accipimus, nempe Verbum æternum Dei Patris, per quod omnia facta sunt. Secunda, vt consideremus quòd hoc verbum caro factum sit, nec simpliciter vt habitaret nobiscum, sed, eo modo, vt per V. Eucharistiam habitaret in nobis plenum gratiâ & veritate, & sic de plenitudine eius acciperemus omnes. Tertia, vt inculcetur fructus prouenens ex digna eius sumptione, nempe potestas, vt filij Dei simus, nimirum iam non tantùm spiritu Dei imbuti, sed & vnigenito filio eius incorporati & coniuncti. Hæc ille, qui etiam breuem, sed claram & eruditam, eiusdem Euangelij subijcit Ecphrasin & expositionem.

11. *Cur lecto Euangelio dicitur* Deo gratias. In fine Euangelij additur *Deo gratias*, vt actione gratiarum tanquam sigillo Liturgia obsignetur, & ad differentiam prioris Euangelij, cuius clausula erat, *Laus tibi Christe*, quod prædicationem Christi significat, hoc verò prædicationem Apostolorum, ait Gauantus par. 2. tit. 12. Adiungit & Cameracensis suprà, Sacerdotem lecto priore Euangelio osculari librum, non autem perlecto posteriore, fortè ne par vtrique prædicationi reuerentia deferatur.

Quia

LIBER TERTIVS.

DE SACROSANCTI MISSÆ SACRIFICII FRVCTIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Vnicum nouæ legis sacrificium omnes formas siue species veterum sacrificiorum complectitur.

1. *Missa est sacrificium propriè dictum.* PRÆSVPPONO hîc primò, tamquam fidei Catholicę dogma, Missam esse propriè dictum sacrificium (quod ante breuiter ostendimus, & fusiùs confirmare non est modò nostri instituti) cuius essentia formaliter consistit in ipsa consecratione, quâ ponitur Corpus Christi & eius pretiosus sanguis sub speciebus panis & vini separatim ex vi verborum, Corpus quidem sub specie panis in mundo linteo siue Corporali, Sanguis autem quasi effusus sub specie vini in sacro calice, licet simul sint per cōcomitantiam & reipsa; ipsa tamen vtriusque sumptio pertinet ad aliquam sacrificij integritatem & perfectionem, quatenus à sacerdote offerente Corpus Christi manducatur, & sanguis eius bibitur, quæ omnia copiosè explicantur à Doctoribus Scholasticis & Dogmaticis, dum docent in Liturgia Christum mysticè immolari.

2. *Tres in veteri lege* Præsuppono secundò, in antiqua Iudæorum Lege (immo etiam apud Gentes, quæ vanâ superstitione aliquos Deos coluerunt quamuis falsos) tres fuisse generatim sacrificiorum species siue formas. *Species sacrificiorum.*

3. *1. Holocaustum.* Primum genus dicebatur Holocaustum, quod totum ad honorem diuinæ maiestatis igne comburebatur (vt vox ipsa Græca significat) & resolutum in vaporem sursum surrigebatur & ascendebat: cuius finis, saltem primarius & intrinsecus, erat Deum tāquam rerum omnium Dominum, principium & finem agnoscere, colere & honorare, & propriè dici poterat λατρευτικόν, siue seruitutis infimæ erga supremi Numinis excellentiam & eminentiam, à quo omnia habemus, obsequium.

4. *2. Hostia pacifica.* Alterum erat hostia pacifica, quæ partim cremabatur, partim comedebatur, tum à sacerdotibus, tum ab ijs qui obtulerant vel donauerant.

Erant porrò duo pacificorum sacrificiorum genera, vnum offerebatur ad salutare aliquid à Deo impetrandum, nempe de hostibus victoriam, pacem, prosperam valetudinē, fœcunditatem, felicem negotiorum exitum, &c. Hæc autem à Septuaginta dicuntur σωτήρια,

salutaria, vnde illud Psalmi 115. 13. *Calicem salutaris accipiam* &c. Aliud verò offerebatur ad gratias agendas prò beneficijs iam à Deo acceptis, vnde duplex erat finis huiusmodi sacrificij: vnum enim exhibebatur ad beneficium aliquod obtinendum, & dicebatur hostia salutaris vel absolutè pacifica, quasi pacem faciens & concilians, id est, omnia bona impetrans: aliud ad gratias pro accepto agendas, & appellabatur hostia vel sacrificium laudis, & dici potest εὐχαριστικὸν, gratiarum actionis.

5. *3. Hostia pro peccato.* Tertium erat sacrificium pro peccato, id est, quod offerebatur pro peccatorum expiatione & remissione, & varium illud erat pro diuersitate vel peccatorum, vt pro periurio & alijs, vel personarum, vt pro Pontifice, pro Rege, pro hominibus priuatis.

His ita præmissis dico Sacrificiũ non solùm cruentũ Crucis, sed etiam nouæ Legis incruentũ siue Liturgiam Christianorum habere simul omnem rationem & vim, quam separatim habebant omnes illæ veterum sacrificiorum formæ, idque modis infinities perfectioribus & excellentioribus.

6. *Sacrificium Missæ est Holocaustum.* Primum enim ex opere operato & vi sua siue per se, habet virtutem infinitam ratione hostiæ oblatæ, Deum honorandi & colendi, estque perfectissimè λατρευτικὸν & nobilissimum holocaustum: cùm sub speciebus panis & vini in Dei honorem ponatur verum Corpus & sanguis Filij Dei, & etiam consumatur, non igne (hoc enim esset contra dignitatem hostiæ oblatæ) sed manducetur, ore quidem sacerdotis, sed manducatus non consumatur, nisi secundum symbola & species. Est ergo holocaustum, quia totus Christus offertur.

Vnde verba consecrationis sunt instar cultri victimarij vel gladij immolantis: Corpus autem Christi positum sub specie panis, & sanguis sub specie vini, se habent vt Corpus & sanguis victimæ, v.g. agni immolati: species autem panis & vini non offeruntur Deo in sacrificio, sed solùm sunt quid necessarium ex parte termini Consecrationis, vt scilicet Corpus & sanguis possint seorsim poni, vt partes hostiæ mactatæ.

Secundò est etiam hoc sacrificium infinitè efficax, & maximè idoneum ad Deo gratias agendum pro innumerabilibus beneficijs, non solùm humano generi vniuerso, sed etiam toti mundo collatis ideoque nomen accepit, vt vocetur Eucharistia, id est actio gratiarum κατ' ἐξοχὴν, quæ Deo non potest non esse aceptissima, cùm Deo ipse Deus offeratur. 7. *Est etiam Eucharisticum.*

Multum itaque differt hæc hostia à priscis legis victimis, quæ solùm Deo placebant ex opere operantis, siue ex deuotione offerentis, quæ interdum valde exigua erat & semper limitata: sacrificium verò nostrum infinitam habet dignitatem & efficaciam Deum colendi, laudandi, eique gratias agendi ex pretio & valore hostiæ oblatæ, ideoque ex opere operato, & ipsius rei naturâ. Sicut enim sacrificium Crucis ad ea infinitam vim habuit ratione ipsius victimæ, ita & incruentum hoc, cum vtrobique eadem sit hostia, idemque sacerdos & offerens, tantumque sit diuersus modus & ratio immolationis: in eo quidem fuerit effusio sanguinis realis; sed in hoc mystica fuit & Sacramentalis. Tantum ergo hîc colitur Deus, quantum & coli postulat, & meretur. Tantum illi laudis & gratiarum actionis tribuitur, quantũ requirit, & dignus est: & quantum in gratificando, & celebrando Numine deficit, & succumbit humana infirmitas; tantum excedit & præualet augustissimi sacrificij maiestas & dignitas.

Quia verò rursus hîc mentio incidit

8. *Charistia apud Romanos prolusio nostræ V. Eucharistiæ pluribus de causis.*

dit V. Eucharistiæ, sciendum est, quod ante nos aduertit Noster Salmeron tomo 9. in Euangelia Tractatu 28. huius Sacrificij prolusionem aliquam vmbraticam & rudem sciographiam præcessisse in Paganorum profanis festis & superstitiosis sacris, quæ ipsi vocarunt χαρίστια, Charistia, de quibus scribit Valer. Max. lib. 2. cap. 1. his verbis: *Conuiuium solemne maiores instituerunt, idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, vt, si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Amplius etiam de his canit Ouidius Fastorum lib. 2. Romanorum dies festos describens mensis Februarij, his versibus.

Proxima cognati dixêre Charistia cari;
Et venit ad socios turba propinqua Deos.
Scilicet à tumulis, & qui periêre, propinquis
Protinus ad viuos ora referre iuuat.
Postq; tot amissos, quidquid de sanguine restat,
Aspicere, & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant, procul hinc, procul impius iste
Frater, & in partus mater acerba suos.
Dis generis date thura boni: concordia fertur
Illo præcipuè mitis adesse die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris
Nutriat intinctos missa patella cibos.

Ex his auctoribus colligere est apud Romanos Gentiles fuisse sacrum & conuiuium solemne inter sanguine iunctos institutum ad simultates abolendas, quæ inter illos exortæ fuerant, adhibitis pacis conciliatoribus. In illo symposiaco sacrificio vltro citroque apophoreta & munuscula amoris fouendi gratiâ missitabantur, & vita functorum memoriâ recolebatur, scelerati verò licet propinqui & affines ab eodem arcebantur.

Quamuis autem asserere nolim maiores nostros, dum Liturgiam nostram Eucharistiæ nomine donarunt, à Charistijs profanis originem sumpsisse, vel eò respexisse; dico tamen non paruam inter illorum Charistia, & nostram V. Eucharistiam esse Analogiam & similitudinem. Et quidem, si de nomine agatur, vt illi dixerunt χαρίστια, Charistia, sic antiqui Patres Græci Sacrificium nostrum appellarunt, non solùm εὐχαριστίαν nomine singulari generis feminei, sed etiam numero multitudinis generis neutrius, τὰ εὐχαρίστια, solâ additâ voculâ εὐ, ad indicandã conuiuij & sacrificij præstantiam & dignitatem: vtrumque verò deriuatur à Græco χαρίζεσθαι, quod gratificari, gratiam præstare, ignoscere significat.

Quod si rem ipsam penitiùs inspicimus, vtrumque conuiuium imprimis in hoc conuenit, quòd, vt illud inibatur inter sanguine iunctos, vt omnis inter eos animorum dissensio sopiretur & tolleretur, ita multò magis hoc, vt inter Christianos Christi fratres, omni inimicitiâ sublatâ, caritas instauretur, foueatur, nutriatur, firmetur. Hoc sæpe orat Ecclesia in ipsa Liturgia: *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, vt quos vno pane cælesti satiasti, tua facias pietate concordes.* Hinc multoties sacerdos pacem omnibus Christo credentibus apprecatur, quam etiam symbola panis & vini demonstrant: *Vnus*, inquit, Apostol. 1. ad Corinth. 10. 17. *panis vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Hoc ipsum indicant voces Communio, Synaxis &c. Ibi præsidebat Dea Concordia; hîc verò Christus Deus pacis, pax nostra, qui facit vtraque vnum: adsunt & sacerdotes concordiæ & consensionis conciliatores, fautores, administri. Spiritus vitâ functorum illic adesse credebantur; hîc hostia salutaris offertur, quâ mortuorum in Domino animæ expientur, recreentur, reficiantur.

Ab antiquis Charistijs amouebantur

tur impij & grauibus sceleribus contaminati; à sacro nostro conuiuio pelluntur publici peccatores, qui suorum criminum maculas dignâ Exomologesi non abstersrunt, vel fratribus suis recõcilliari recusarũt. Postremò illic prælibatæ dapes & Apophoreta ad amicos absentes mittebantur; sic etiam olim V. Eucharistia ex sacra mensa ad fideles absentes mittebatur, & nunc etiam pro infirmis viatico diuino pascendis eadem asseruatur. Hæc ferè Salmeron, plura suprà.

9. *Est sacrificium nostrum impetratorium.* Tertiò, est etiam sacrificium nostrum hostia salutaris, & pacifica, habens infinitam vim impetrandi salutem & pacem, id est, omnia bona spiritualia & corporalia, temporalia & æterna, pro quibus obtinendis etiam offerri solet, vt suo loco dicetur: est enim victima pretij infiniti, & sacerdos primarius, qui offert, infinitæ dignitatis & auctoritatis, & qui etiam semper exauditur pro sua reuerentia, quam ipse Deo Patri defert, & Deus Pater ipsi

10. *Similiter & propitiatorium.* Quartò, est idem sacrificium victima pro peccato valoris etiam infiniti, propitiatorium, inquam, pro peccatis, non nostris tantùm, sed etiam totius mundi. Unde offertur Deo pro condonatione peccatorũ venialium, & pœnarum temporaliũm, quæ soluẽdæ supersunt pro mortiferis etiam culpis alias remissis. Valet insuper ad remissionem ipsorum letalium, quia obtinet à Deo auxilium gratiæ præuenientis, & donum pœnitentiæ, quo peccata illa immediatè deleantur.

Vnde notanda hîc quędam ex Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 2. *Quoniam*, inquit, *in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit; docet Sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, vt, si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius, quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit, vna enim eademq; est hostia, idem nunc offerens qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur, tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & alijs necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Rursus sic definit Canone 3. ibidem.

Siquis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit. Sic ibi.

Rectè S. Gregor. Homil. 37. in Euangelia. *Quoties ei* (Christo) *hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.*

Vnde meritò de V. Eucharistia scribit V. Beda, *sacerdotem non legitimè impeditum, & se à Sacrificio abstinentem, priuare quantum in se est, SS. Trinitatem laude & gloria* (est enim Latreuticon, laudis & adorationis) *Angelos lætitiâ, peccatores veniâ* (est etiam propitiatorium) *iustos subsidio & gratiâ* (cùm sit Impetratorium) *animas in Purgatorio detentas refrigerio, S. Ecclesiam spirituali Christi beneficio, seipsum verò medicinâ & remedio.*

CA-

CAPVT II.

Cur Christus Missæ sacrificium instituerit, & institutum iterari voluerit.

1. *Rationes institutæ Missæ.* EX ijs quæ capite proximo attulimus quatuor ducuntur rationes huius institutionis, & quotidianæ iterationis, vt colligere in promptu est.

1. Prima, vt Ecclesia Christiana toto orbe diffusa, imò & quilibet fidelis eius ciuis ad manum haberet præstantissimum & Deo gratissimum modum & ritum, quo magnum illud Numen, cuius munere subsistit & gubernatur, à quo processit & ad quod tendit, colat, adoret & inuocet.

2. Altera, vt pro immensis, & innumeris eius meritis & beneficijs, quæ singulis prope momentis in populum suum vberrimè deriuat, dignas referat gratiarum actiones.

3. Tertia, vt in quotidianis necessitatibus, infirmitatibus, miserijs, tentationibus, afflictionibus ad altare Dei properaret à quo opportunum impetraret & acciperet subsidium, non solùm ad omnia mala euadenda, sed etiam ad omnia bona obtinenda.

4. Quarta, vt quia in hac vitæ imbecillitate peccata peccatis accumulamus, & grauiter indies Deum offendimus, promptam habeamus piacularem hostiam, quâ ipsum placemus, & propitium nobis reddamus. Ad has rationes omnes reduci possunt quas passim suggerunt Patres & Doctores. S. Tho. opuscula 58. tres adfert, alij duplo plures.

2. *Iterati sacrificij causa.* Nos ad duas potissimas, præter eas quas diximus, reuocare possumus: ita vt prima sit, nimirum, vt quotidianâ &

3. *Prima, vt* jugi augustissimæ Liturgiæ iteratione fructus Passionis, Crucis, & mortis Christi nobis perpetuò applicetur. *fructus Christi Passionis nobis applicaretur.* Cant. 7. v. 8. *Dixi ascendam in palmam & apprehendam fructus eius*, ait Ecclesia sponsa. Est hoc sacrificium & Sacramentum lignum vitæ in medio Ecclesiæ, de quo Apocalypſ. 22. v. 2. afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum; quos sigillatim non est hîc opus enumerare. Sufficiat dixisse, vti gustato fructu arboris viuificæ & vitalis, humidum radicale restaurabatur deperditum; sic vires spiritus concupiscentiæ alieno igne debilitatæ reparantur, & rursus calore gratiæ & caritatis mens roborata noxios humores vitiorum concoquit & consumit.

Eusebius Emissenus, vel potiùs Eucherius Lugdunensis, vel Cæsarius Arelatensis, vel quicumque alius auctor Homil. 5. de Paschate: *Ideo*, inquit, *quia corpus assumptum ablaturus erat Dominus ab oculis nostris, & sideribus illaturus; necessarium erat, vt nobis Sacramentum Corporis & Sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratiâ, verè vnica & perfecta hostia, fide æstimanda non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu.* Algerus lib. 1. de V. Eucharistia cap. 16. *Licet oblatio in Cruce semel facta fuerit ad omnium salutem & redemptionem, quotidie etiam est tamen necessaria ad muniendam & medendam humanam fragilitatem, quæ quotidie labitur & tentatur. Non solùm enim hac singulari victima peccatorum absolutionem à Deo consequimur, sed & contra tentationes munimur: quia cùm perceptione tanti mysterij viderit aduersarius ostium nostrum occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligens locum illum includi per Christum fugiet ac recedet.* Sed de hoc plura alibi.

Altera ratio, vt iuge extaret in Ec-

4\. *Altera causa. Vt iugis in Ecclesia extaret Christi memoria.*

clesia Christi monimentum, & imago clarissima, primum, eximij sui erga homines amoris.

Hinc dictum est à Discipulo, quem ipse diligebat Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, vtique vsq; in vitæ finē & finem amoris, id est dilexit eos summo, extremo, & perfectissimo amore, vt accipiatur τέλος finis pro τελειότης id est, perfectio; quod demonstrauit legans suis pignus, testamentum, argumentum & ideam maximæ caritatis, seipsum, Corpus & sanguinem suum sub symbolis panis & vini in iuge sacrificium.

Deinde, in quo recolatur memoria suæ Incarnationis: sicut enim sanctissimæ Virginis pauculis verbis prolatis: *Fiat mihi secundum verbum tuum* in eius castissimus visceribus semel Incarnatum est verbum, & *homo factus est*; ita ad sacerdotis totidem verba: *Hoc est enim Corpus meum*, sistitur in altari Deus homo, verbum caro, non dissimili prodigio.

Tertiò, præbetur nobis in hac oblatione exemplar totius vitæ eius, *quâ in terris visus & cum hominibus conuersatus est*. Licet enim cum illo in Liturgia agere, colloqui, miserias, necessitates, infirmitates nostras proponere, in tentationibus & periculis ad illum confugere, negotia nostra commendare, in dubijs consilium petere, &c.

Quartò, sicut vitæ ipsius periodus multis est nobilitata miraculis, quorum initium fuit aquæ in vinum conuersio; ita ad vitæ suæ vesperam veniens mundo exhibuit miraculorum à se factorum maximum mirabili metamorphosi & transsubstantiatione panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum mutando.

Postremò, cuius maximè nos meminisse voluit, manifestam nobis in Missæ sacrificio expressit Passionis & mortis suæ effigiem, cùm secundum externa symbola specierum, & vim verborum, seorsim posuit in altari Corpus suum quasi mortuum & exsangue sub figurâ panis, & sanguinem suum quasi effusum in calice sub specie vini, licet reipsa sint coniuncta, vt fides docet. *Hoc facite*, inquiebat, *in meā commemorationem* q. d. quoties hunc sacrificij à me instituti ritum facietis, toties subeat animum amoris mei erga vos recordatio, Incarnationis meæ, conuersationis meæ, passionis præcipuè & mortis meæ viua memoria & renouatio.

Dicat igitur quilibet Christianus cum pio scriptore Thoma à Kempis lib. 3. de Imitatione Christi cap. 10. *O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo potero tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquam contabui & perij?*

Veniant in mentem illa ex Ieremiæ Threnis cap. 3. v. 19. quibus personam Christi in se repræsentans lamentabundus vates ingeminat: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.*

Renouetur in mente tua, ô sacerdos Christiane, quoties in altari facis, memoria paupertatis meæ, humilitationis, nuditatis in Cruce, trāsgressionis, id est cōtradictionis Iudæorū contra me, vel translationis delictorum tuorum, quibus mea præcepta transgressus es, in me & corpus meum, absynthij etiam & fellis, id est amaritudinis, quâ in Cruce potatus fui.

An non quilibet ex animo respondeat quod sequitur ibidem v. 20.

Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea.

Quæ verba S. Thom. transtulit in Officium V. Sacramenti ad matutinum Responsorio quinto. Vbi cùm Christus dixisset: *Hoc facite in meam commemorationem* in versu subiungitur:

Memoriâ memor ero &c. q. d. fidelis anima verè semper iugi & recenti memoria recordabor passionis tuæ amarissimæ & misericordissimæ, ita vt anima mea amore tui tabescat & liquefiat in visceribus igne caritatis tuæ.

Additur v. 21. *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Certè quoties recolo quæ pro me passus es, & amorem quo illa passus es, & quanta mihi inde bona promeritus, toties, & ideo spero assequi omnia bona in hac præsenti vita & futura.

CAPVT III.

Quinam sunt, qui hoc sacrificium offerunt?

1. *Christus in hoc sacrificio primarius est sacerdos.*

PRimò, certò statuendum est Christum Dominũ in hoc sacrificio primarium esse sacerdotem offerentem, & verè ac propriè hoc semper & vbique offerre.

Est contra quosdam Doctores, qui videntur asserere Christum solum offerre remotè, per accidens, & denominatione extrinseca, quia eius nomine sacerdos illud offert.

Sed probatur primò, quia in scriptura Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedec, quod propriè illi non conueniret, si reipsa non offerret, sed solùm sacerdos ipsius minister ex ipsius institutione, voluntate, vel iuxta ritum quem ipse ordinauit, vel vim tantùm haberet ex ipsius meritis, vt aliqui voluerunt. Sic enim dici posset sacerdos in æternum secundum ordinem Aaron, quia ex merito Passionis eius omnia sacrificia & Sacramenta virtutem sumpserunt.

Deinde nisi Christus dicatur propriè sacrificare non aliter diceretur offerre, quàm per ministrum baptizantem baptizare, vel aliud Sacramentum conferre: quia illa omnia efficaciam accipiunt ex eius meritis, & ex eius præcepto & institutione conferuntur, quod repugnat communi fidelium sensui, & rationi.

Accedit Tridentin. cap. 2. sess. 22. vbi ait, *Vna eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Idem habent antiquiora Concilia.

Sic etiam passim asserunt Patres. Vnus sat est Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Qui tunc in illa Cæna confecit, ipse nunc quoque operatur.* Et homil. 60. ad populum: *Cùm videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* Idem ostendunt miracula, quibus monstratum est Christum, vel simul cum sacerdote, vel per se solum consecrasse.

Cùm S. Vdalricus Augustanus Episcopus ipso die Paschæ Missam celebraret, visa est diuina quædam manus, quæ omnes sacerdotales functiones vnà cum ipso obiret, siquid Episcopus benediceret, ipsa etiam benedicebat, siquid aliud ageret circa sacram hostiam agebat & ipsa. 2. *Christus sacrum offert cum S. Vdalrico.*

Ita Surius in vita ipsius cap. 2. Iulij 4. Simile fere habetur in vita S. Euortij Aurelianensis Episcopi apud eumdem cap. 8. Septembr. 7.

Ratio est; quia sacerdos cùm in Liturgiæ decursu varijs ritibus & precibus vtatur tamquam Ecclesiæ minister, ad consecrationem accedens vsurpat verba Christi, quæ protulit in vltima Cœna, idque in personâ non Ecclesiæ, sed ipsius Christi, quasi ipse esset Christus. Non enim dicit, hoc est Corpus Christi, sicut S. Baptista: *Ecce Agnus Dei*: sed *hoc est Corpus meum*: cùm cõtra in aliorum Sacramentorum administratione in propria persona dicat: *Ego te Baptizo, Confirmo, Absoluo.* Sic olim Angelus referens personam Dei dicebat promulgans Decalogum: *Ego sum* 3. *Ratione ostenditur Christum verè Liturgiam offerre.*

4. *Altera causa. Vt inzis in Ecclesia extaret Christi memoria.*

clesiâ Christi monimentum, & imago clarissima, primum, eximij sui erga homines amoris.

Hinc dictum est à Discipulo, quem ipse diligebat Ioan. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, vtique vsq; in vitæ finē & finem amoris, id est dilexit eos summo, extremo, & perfectissimo amore, vt accipiatur τέλος finis pro τελειότης id est, perfectio; quod demonstrauit legans suis pignus, testamentum, argumentum & ideam maximæ caritatis, seipsum, Corpus & sanguinem suum sub symbolis panis & vini in iuge sacrificium.

Deinde, in quo recolatur memoria suæ Incarnationis: sicut enim sanctissimæ Virginis pauculis verbis prolatis: *Fiat mihi secundum verbum tuum* in eius castissimus visceribus semel Incarnatum est verbum, & *homo factus est*; ita ad sacerdotis totidem verba: *Hoc est enim Corpus meum*, sistitur in altari Deus homo, verbum caro, non dissimili prodigio.

Tertiò, præbetur nobis in hac oblatione exemplar totius vitæ eius, *quâ in terris visus & cum hominibus conuersatus est*. Licet enim cum illo in Liturgia agere, colloqui, miserias, necessitates, infirmitates nostras proponere, in tentationibus & periculis ad illum confugere, negotia nostra commendare, in dubijs consilium petere, &c.

Quartò, sicut vitæ ipsius periodus multis est nobilitata miraculis, quorum initium fuit aquæ in vinum conuersio; ita ad vitæ suæ vesperam veniens mundo exhibuit miraculorum à se factorum maximum mirabili metamorphosi & transsubstantiatione panem & vinum in Corpus & Sanguinem suum mutando.

Postremò, cuius maximè nos meminisse voluit, manifestam nobis in Missæ sacrificio expressit Passionis & mortis suæ effigiem, cùm secundum externa symbola specierum, & vim verborum, seorsim posuit in altari Corpus suum quasi mortuum & exsangue sub figura panis, & sanguinem suum quasi effusum in calice sub specie vini, licet reipsa sint coniuncta, vt fides docet. *Hoc facite*, inquiebat, *in meā commerationem* q. d. quoties hunc sacrificij à me instituti ritum facietis, toties subeat animum amoris mei erga vos recordatio, Incarnationis meæ, conuersationis meæ, passionis præcipuè & mortis meæ viua memoria & renouatio.

Dicat igitur quilibet Christianus cum pio scriptore Thoma à Kempis lib. 3. de Imitatione Christi cap. 10. *O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo potero tui obliuisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquam contabui & perij?*

Veniant in mentem illa ex Ieremiæ Threnis cap. 3. v. 19. quibus personam Christi in se repræsentans lamentabundus vates ingeminat: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.*

Renouetur in mente tua, ô sacerdos Christiane, quoties in altari facis, memoria paupertatis meæ, humilitationis, nuditatis in Cruce, trāsgressionis, id est cōtradictionis Iudæorū contra me, vel translationis delictorum tuorum, quibus mea præcepta transgressus es, in me & corpus meum, absynthij etiam & fellis, id est amaritudinis, quâ in Cruce potatus fui.

An non quilibet ex animo respondeat quod sequitur ibidem v. 20.

Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea.

Quæ verba S. Thom. transtulit in Officium V. Sacramenti ad matutinum Responsorio quinto. Vbi cùm Christus dixisset: *Hoc facite in meam commemorationem* in versu subiungitur:

Memoriâ

Memoriâ memor ero &c. q. d. fidelis anima verè semper iugi & recenti memoria recordabor passionis tuæ amarissimæ & misericordissimæ, ita vt anima mea amore tui tabescat & liquefiat in visceribus igne caritatis tuæ.

Additur v. 21. *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Certè quoties recolo quæ pro me passus es, & amorem quo illa passus es, & quanta mihi inde bona promeritus, toties, & ideo spero assequi omnia bona in hac præsenti vita & futura.

CAPVT III.

Quinam sunt, qui hoc sacrificium offerunt?

1. *Christus in hoc sacrificio primarius est sacerdos.* PRimò, certò statuendum est Christum Dominū in hoc sacrificio primarium esse sacerdotem offerentem, & verè ac propriè hoc semper & vbique offerre.

Est contra quosdam Doctores, qui videntur asserere Christum solum offerre remotè, per accidens, & denominatione extrinseca, quia eius nomine sacerdos illud offert.

Sed probatur primò, quia in scriptura Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedec, quod propriè illi non conueniret, si reipsa non offerret, sed solùm sacerdos ipsius minister ex ipsius institutione, voluntate, vel iuxta ritum quem ipse ordinauit, vel vim tantùm haberet ex ipsius meritis, vt aliqui voluerunt. Sic enim dici posset sacerdos in æternum secundum ordinem Aaron, quia ex merito Passionis eius omnia sacrificia & Sacramenta virtutem sumpserunt.

Deinde nisi Christus dicatur propriè sacrificare non aliter diceretur offerre, quàm per ministrum baptizantem baptizare, vel aliud Sacramentum conferre: quia illa omnia efficaciam accipiunt ex eius meritis, & ex eius præcepto & institutione conferuntur, quod repugnat communi fidelium sensui, & rationi.

Accedit Tridentin. cap. 2. sess. 22. vbi ait, *Vna eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Idem habent antiquiora Concilia.

Sic etiam passim asserunt Patres. Vnus sat est Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Qui tunc in illa Cæna confecit, ipse nunc quoque operatur.* Et homil. 60. ad populum: *Cùm videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.* Idem ostendunt miracula, quibus monstratum est Christum, vel simul cum sacerdote, vel per se solum consecrasse.

Cùm S. Vdalricus Augustanus Episcopus ipso die Paschæ Missam celebraret, visa est diuina quædam manus, quæ omnes sacerdotales functiones vnà cum ipso obiret, siquid Episcopus benediceret, ipsa etiam benedicebat, siquid aliud ageret circa sacram hostiam agebat & ipsa. 2. *Christus sacrum offert cum S. Vdalrico.*

Ita Surius in vita ipsius cap. 2. Iulij 4. Simile fere habetur in vita S. Euortij Aurelianensis Episcopi apud eumdem cap. 8. Septembr. 7.

Ratio est; quia sacerdos cùm in Liturgiæ decursu varijs ritibus & precibus vtatur tamquam Ecclesiæ minister, ad consecrationem accedens vsurpat verba Christi, quæ protulit in vltima Cœna, idque in personâ non Ecclesiæ, sed ipsius Christi, quasi ipse esset Christus. Non enim dicit, hoc est Corpus Christi, sicut S. Baptista: *Ecce Agnus Dei*: sed *hoc est Corpus meum*: cùm cōtra in aliorum Sacramentorum administratione in propria persona dicat: *Ego te Baptizo, Confirmo, Absoluo.* Sic olim Angelus referens personam Dei dicebat promulgans Decalogum: *Ego sum* 3. *Ratione ostenditur Christum verè Liturgiam offerre.*

sum Dominus Deus tuus:& Legatus nomine & auctoritate Regis profari solet. *Hæc dicit Rex*. Præterea sicut Dominus per famulum etiam iniquum dans eleemosynam, maximè si ipso vidente & annuente detur, censetur principalis illius auctor, &, si ipse iustus sit, per famulum eleemosyna non inquinatur; ita & in præsenti Christus primarius est offerens.

4. *Christus in vltima Cæna & etiam nunc omnia sacrificia Deo Patri offert.*

Vnde valde probabiliter quidam docent Christum cùm in Cœna hoc sacrificium instituit, omnia & singula sacrificia quæ vsque ad mundi finem per sacerdotes offerenda erant, æterno Patri tunc obtulisse actu, cùm illa tunc præuiderit; imò, quod amplius est, asserunt etiam nunc Christum in cœlo omnia sacrificia quæ modò à Liturgis offeruntur, simul etiam sua intentione reipsa offerre, per illa Deum Patrem colere, gratias agere, placare, exorare: Sic enim propriè dicetur interpellare pro nobis, ad Hebr. 7. 25. & hoc modo vel maximè reuerentiam erga eum demonstrat, & erga sponsam Ecclesiam perpetuam caritatem, & φιλοστοργίαν, quâ illam diligit. Quæ autem Sacerdotis interpellatio, efficacior & Deo acceptior esse potest, quàm hoc sacrificium, in quo non carnes taurorum aut hircorum, aut thymiama adolêtur, sed ipse Dei filius excelsior cœlis factus seipsum offert, simulque viuam imaginem exhibet suæ passionis, solùm vtens ministerio sacerdotum vicariorum suorum, non verò successorum, cùm in sacerdotio nullus ei succedat, & maneat in æternum? Vide Baptistam Scortia lib. 2. de Sacrificio Missæ cap. 3.

5. *Post Christum sacrificant omnes sacerdotes ritè ordinati.*

Secundò, post Christum primarium sacerdotem & offerentem, qui offerunt sunt ipsius ministri sacerdotes ritè ordinati. Hi enim soli & omnes, quamuis hæretici, Schismatici, excommunicati & ab Ecclesia præcisi, vt validè consecrant Corpus & sanguinem Christi, ita & validè sacrificant, si adsit debita intentio, materia & forma Sacramenti & sacrificij; licet sacrilegè & illicitè hoc ministerio fungantur.

Dixi, quod soli, propter hæreticos æui nostri, qui cùm non agnoscant proprium in Ecclesia sacrificium, sic etiam negant germanum sacerdotium.

Dixi quod omnes, quia cùm potestas consecrandi & offerendi fundetur in Charactere & Ordine, nō potest ab Ecclesia tolli, cùm sacrificent in persona Christi: dicitur tamen illud sacrificium Ecclesiæ, quia secundum ritum Ecclesiæ ordinatur, & ad Ecclesiam pertinet ratione characteris.

6. *Remotè etiam sacrificant omnes fideles maximè præsentes.*

Postremò dici possunt omnes fideles hoc sacrificium offerre saltem remotè, modò non sint ab Ecclesia præcisi, quia sunt vnius corporis mystici membra. Sacerdos autem illud offert nomine totius populi Christiani, & in persona Ecclesiæ tamquam publicus illius minister & Legatus: est enim sacrificium cultus publicus & solemnis totius populi, quo Deum colit per sacerdotem, cui hoc munus committitur ab Ecclesia.

Hinc sæpius in sacra Liturgia sacrificium hoc ostenditur esse toti populo commune: vt cùm dicit Sacerdos: *Orate Fratres, vt meum & vestrum sacrificium*: Et in Canone dicitur: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: *Hanc oblationem cunctæ familiæ tuæ*. Et, *offerimus præclaræ maiestati tuæ &c.*

Sic in veteri lege, dicebatur etiam populus sacrificare per sacerdotem. Sufficiat vnus locus Exodi 5. v. 1. *Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto.*

Certum tamen est, proximius censeri offerre illos qui sacrificio ministrant, vel eidem assistunt, eidem aliquo actu cooperantur, stipendium sacerdoti persoluunt, cereos, panem, vinum offerunt, my-

mystam ad sacrificandum inducunt, &c.

CAPVT IV.

Quinam sunt, pro quibus hoc sacrificium offertur?

1. *Propriè non offertur pro beatis sacrificium.* DIcendum primò: pro beatis, propriè loquendo, hoc sacrificium non offertur: cùm nullus fructus directè illis accedere possit ex eius oblatione: potest tamen impropriè & per accidens censeri offerri, quia dum in memoriam eorum Deo offertur, gaudium accidentale inde percipiunt in honore Deo exhibito in ipsorum commemorationem, & gratissimum illis est agere nos Deo gratias pro illorum glorificatione, & nos ad similes palmas & coronas obtinendas excitari.

Deinde, honorificum illis est eorum memoriam fieri in tam augusto sacrificio, & nos in eo eosdem colere & inuocare tamquam patronos, & apud Deum intercessores, & nos per ipsorum merita & preces velle apud Dominum adiuuari, & eorum adiungi consortio: quæ omnia constant ex Canone nostro & ante & post consecrationem cùm eorum agitur commemoratio, & etiam ex Oratione quæ dicitur post oblationem panis & vini, quâ petimus vt *illis sacrificium prosit ad honorem, nobis autem ad salutem*; quæ verba adducuntur & probantur à Tridentino sess. 22. cap. 3. vbi ait: *sacerdos pro illorum victoria gratias agens eorum patrocinia implorat, vt pro nobis intercedere dignentur in cœlis quorum memoriam facimus in terris.*

2. *Pro damnatis non offertur.* Dicendum secundò, non offertur, nec offerri potest pro damnatis, sicut nec pro infantibus sine baptismo mortuis: tum quia non sunt capaces sacrificij Crucis, quod per sacrificium Eucharistiæ applicatur: tum quia nec actu nec potentiâ sunt membra Ecclesiæ, cui per ministros suos hoc sacrificium ad applicandum datum est pro suis membris, & ad se pertinentibus.

Nec obstat quod S. Augustin. libro Enchiridij cap. 110. dicat quibusdam prodesse hoc sacrificium, vt tolerabilior ijs fiat damnatio; quia per damnationem accipit supplicium, punitionē, & vindictam, quâ afficiuntur etiam illi qui in locis Purgatorijs detinentur: quibusdam enim virtute huius sacrificij conceditur plena remissio pœnarum & liberatio, alijs solùm pœnarum mitigatio, & acceleratio ad gloriam.

Dicendum tertiò: generatim hoc sacrificium offerri pro vniuersa Ecclesia militante & omnibus eius membris, etiam infantibus baptizatis, & omnibus illis prodest, modò non sint ab Ecclesia præcisi. Licet autem sacerdos non teneatur singulis membris in particulari illud applicare, non potest tamen aliquem ab eo excludere, cùm sit bonum commune à Christo donatum. 3. *Offertur pro vniuersa Ecclesia.*

Vnde dicendum quartò: offerri, & prodesse plurimum fidelibus viuis, prò quibus offertur, vt patet ex Tridentino sess. 22. cap. 2. & Can. 3. & manifestum est ex Missæ Canone, in quo dicitur, *Et pro omnibus Orthodoxis* &c. nam pro his est institutum, & per ministros Ecclesiæ membris applicatur. Quamuis autem aliqui eorum in statu sint peccati letalis, sunt tamen membra eiusdem Reipublicæ, & ideo capaces sunt quorumdam sacrificij fructuum: licet enim non prosit illis ad satisfactionem pœnarum, valet tamen illis ad impetrationem gratiæ præuenientis, & protectionem ne in peccatis moriantur, & ne sibi nectant longiores scelerum funes, quibus in interitum sempiternum rapiantur. 4. *Prodest fidelibus viuis, pro quibus offertur etiamsi sint in statu peccati mortalis.*

Præcipuè verò prodest iustis qui

sunt illustria membra Catholicæ Ecclesiæ. Sicut enim caput, cerebrum, cor, iecur, pectus, & aliæ corporis naturalis nobiliores partes amplius de cibo à ventriculo concocto percipiunt, sic etiam plus fructuum huius sacrificij participant, qui in Ecclesiâ sunt sancti & pij. In sacris litteris Ecclesia cum Luna confertur. Notum porrò est partes Lunæ magis dispositas plus lucis à Sole mutuari: similiter & iusti, vtpote aptiores, plus virtutis ex Missæ hauriunt sacrificio.

5. *Offertur etiam pro Catechumenis.* Potest etiam quintò offerri hoc sacrificium pro Cathecumenis, & quidem prodest iuxta communem sententiam, per modum impetrationis; non tamen ex opere operato, quia Baptismus est ianua Sacramentorum, & ingressus ad omnem fructum, qui modo Sacramentali confertur, qualis est sacrificij oblatio, quod est bonum Ecclesiæ pro suis membris relictum.

Vnde etiam pro illis defunctis offerri potest, si non constet in statu peccati mortalis obijsse. Vide Fagundez de primo Ecclesiæ præcepto lib. 3. cap. 12. n. 18.

6. *Dubium, quo modo illis defunctis prosit.* Porrò difficultas est inter Doctores, quo modo illis defunctis in statu gratiæ prosit, an solùm per modum impetrationis, an etiam ex opere operato. Posterius negant Suarez & Azorius: At verò Henriquez & Bellarminus distinguunt duplices Cathecumenos, alios vocant tantùm Audientes, qui Catechismum audiunt, sed Baptismum non petunt, & illis aiunt non prodesse ex opere operato: alij sunt competentes, quia iam Baptismum petunt, & illis dicunt ex opere operato prodesse, quia sunt viua Ecclesiæ membra: & ita videtur sentire S. Ambrosius oratione de obitu Valentiniani.

6. *Prodest infidelibus per modum impetrationis.* Sextò, pro infidelibus, qui numquam fuerunt in Ecclesia, vt sunt idololatræ, Turcæ, Iudæi licet offerre sacrificium, & prodest illis per modum impetrationis.

Probare hoc facile est ex scriptura vt ex Apostolo 1. ad Tim. 2. vbi iubet fieri obsecrationes pro Regibus & Principibus, qui tamen tunc erant Ethnici: hoc autem olim maximè fiebat in Sacrificio, vt constat ex Tertulliano libro ad Scapulam, *Sacrificamus*, inquit, pro salute Imperatoris.

Idem fiebat in veteri testamento: Offerebant enim victimas pro Dario rege Persarum & filijs eius 1. Esdræ 6. pro Spartiatis, pro Heliodoro 2. Machabæorum 3. Nec vmquam Ecclesia hoc prohibuit.

7. *Prodest etiam hæreticis & excommunicatis si pro illis offeratur, quod tamen non licet in persona ministri publici.* Septimò, prodest etiam Missæ sacrificium ab Ecclesia præcisis, vt Hæreticis, Schismaticis & Excommunicatis, quando pro illis offertur directè vel indirectè. Nota hic primò, non licere quidem pro huiusmodi sacrificium offerre in persona ministri publici, hoc enim prohibitum est ab Ecclesia, vt patet cap. *A nobis*, 2. de sententia Excommunicationis; si tamen quis offerat, fructum percipient: & Ratio est, quia Ecclesia non potest suo præcepto tollere vim sacrificij quam habet ex opere operato, sicut nec impedire potest vim Sacramentorum: vnde etsi contra præceptum Ecclesiæ applicetur, vim habebit. Pari modo, non potest tollere vim impetrandi quam habet quatenus offertur in persona Christi, vel vt offertur à ministro publico Christum repræsentante: nam hæc virtus nullo modo pendet ab Ecclesia, sed ab ipsa præstantia sacrificij, & à principali offerente: grauiter tamen peccat minister scienter & prudenter faciens contra Ecclesiæ mandatum.

9. *Licet tamen alijs modis pro illis offerre.* Nota 2. duobus modis licitè posse pro his sacrificium offerri: primò, indirectè, agendo tamen personam publicam, vt quando sacerdos orat & offert

sacrifi-

ſacrificium pro Eccleſiæ vnitate & propagatione, fidei Catholicæ augmento & exaltatione, hæreſum extirpatione: nam ſic indirectè orat pro conuerſione hæreticorum & Schiſmaticorum. 2. directè, vt perſona priuata, orando & repræſentando Deo ſacrificium pro huius vel illius hæretici conuerſione, vel in genere pro hæreticorum ad Eccleſiam matrem reductione: tum quia hoc nullo iure eſt prohibitum: tum quia per ſe eſt valde pium. vnde non eſt dubium in *Memento* licere pro illis orare (vt tenent Couarruuias, Sotus, Nauar. & alij) licet etiam ſint denuntiati.

10. *Præſertim quando non ſunt denuntiati.* Nota 3. non eſſe improbabile licitum eſſe offerre pro Excommunicatis etiam notorijs, modò non ſint denuntiati, aut publici percuſſores Clericorum. Nam Eccleſia non vetat cum eis communionem aut conuerſationem, ergo nec pro eis orationem, cùm oratio ſit communio quædam cum eo pro quo oratur. Eſt hodie communis ſententia Doctorum.

Nota 4. non licere ſacerdoti tamquam publico Eccleſiæ miniſtro preces ab eâ Sacrificio appoſitas Excommunicatis applicare, cùm Eccleſia illas priuet publicis & communibus ſuis ſuffragijs.

11. *De quibus Excommunicatis hæc intelligantur.* Hoc tamen non videtur intelligendum de illis, quorum Excommunicatio nititur falſa præſumptione, de qua apertè conſtat: quia eo caſu ſententia eſt nulla, & ſolum, vt tollatur ſcandalum & Eccleſiæ contemptus, ſeruatur. Similiter non videtur accipiendum de illis, quorum excommunicatio eſt occulta, ſi moriantur in gratia: quia non videtur Eccleſia hos velle priuare communibus ſuis ſuffragijs, quos Deus ſuâ gratiâ non excludit, cauendum tamen hîc ſcandalum.

Hinc ſequitur, Eccleſiæ preces & communia ſuffragia nullis Excommunicatis ſiue à Iure, ſiue ab homine profutura, cùm nullis ipſa Excommunicatis velit præſtare hunc fauorem, nec valere illis ſi contra illius mentem & voluntatem applicentur.

Octauò, fidelibus defunctis, qui locis purgatorijs detinentur, plurimum prodeſt ad pœnarum mitigationem & ſolutionem. 12. *Fidelibus defunctis miſſa prodeſt.*

Eſt de fide, & conſtat ex Tridentino ſeſſ. 22. Can. 3. & confirmatur ex Scriptura 2. Machabæor. 12. vbi Iudas Machabæus offerri iuſſit ſacrificium pro cæſis in bello, & ſcriptura eius factum his verbis commendat: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.* Idem conſtat ex vſu Eccleſiæ, quæ in omnibus Liturgijs ſemper orauit pro defunctis, eſtque hæc Traditio Apoſtolica, vt habent Concil. & Patres.

Denique ratio idem perſuadet. Sacrificium namque eſt bonum commune totius Eccleſiæ, cùm eius nomine à publico miniſtro offeratur: atqui bonum commune debet eſſe tale, vt poſſit diſtribui & prodeſſe ſingulis membris eius, maximè ſi indigeant: ergo cùm fideles in Purgatorio ſint vera & viua membra Eccleſiæ vnita ei per fidem, ſpem, & caritatem, & maximè opus habeant auxilio alieno, cum ſeipſos iuuare nequeant; oportet vt fructus huius ſacrificij etiam ad eos proueniat. Lucas Pinellus lib. 2. de Miſſa cap. 7. Dubio 3. multis probat vtilius eſſe homini ſi curat exequias vel ſacrũ funebre pro anima ſua ſibi celebrari dum adhuc viuit, quàm poſt mortem, & dicit hunc morem obtinuiſſe in Lotharingia. Sed hunc morem mecum viri docti non probant, nec hoc factum fuiſſe inuenio in Hiſtorijs. Solum reperi apud Famianum Stradam in hiſtoria ſua Belgica ſub initium, Carolum Auſtrium Imperatorem quintum funebre Sacrum ſibi fieri curaſſe anno

vno ante obitum, cui interfuit.

13. *Prodest illis per modum impetrationis & etiam ex opere operato.* Aduerte autem hoc sacrificium illis prodesse, & per modum impetrationis, de quo nemo Catholicorum dubitat; & etiam ex opere operato, quod quamuis Doctores quidam videantur negare, tamen dicendum est hoc sacrificium in illis habere effectum infallibilem ex opere operato, vt plures sentiunt.

Colligitur manifestè ex forma sacerdotij, in qua sine distinctione dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis & defunctis in nomine Domini*: Eodem quoque modo loquitur Tridentinũ supra cap. 1. cùm ait, offerri pro viuis & defunctis: & rationes pro hoc sunt validissimæ: tum quia possunt illi à nobis iuuari, ad quod Sacrificium ex se habet sufficientissimam efficaciam à Christo: tum quia modus applicandi est commodissimus, cùm non applicetur pro infusione gratiæ vel ipsius augmento, sed solùm per extrinsecam ordinationem, sicut oratio, idque ad effectum condonationis extrinsecæ.

14. *Non prodest ex opere operato nisi illis quibus sacrificans applicauerit.* Postremò addendum, hoc sacrificium non prodesse ex opere operato nisi illis quibus sacrificans intendit applicare, licet alijs possit prodesse per modum impetrationis.

Prius hoc modo explicatur, quia sacrificium ex se dum offertur non determinat personam, cui fructus est conferendus, quia tantum tendit ad Dei cultum, sicut hymni & laudes Dei: ergo hæc determinatio iure diuino naturali relicta est arbitrio sacerdotis offerentis, qui illud penes se habet.

15. *Dubium, quid censendum, quando sacerdos nulli applicat?* Porrò dubium est, quid futurum, si sacerdos nulli applicet: dicunt quidam, sed non satis probabiliter, sacerdotem posse fructum illum applicare peracto sacrificio: sed non admittendum: sicut enim Sacramentum consistens in actione solum potest applicari dum fit à ministro, tunc enim solùm est in eius potestate; ita etiam sacrificium solùm potest applicari, dum fit, vnde eius effectus non potest suspendi.

Quocirca affirmandum videtur quando sacerdos hunc fructum alteri non applicat, tunc censetur implicitè, moraliter, & secundum communem existimationem sibi ex opere operato adiungere.

Quòd si hoc non cupiat, vel non habeat debitum pœnæ temporalis; tunc sacrificium non habebit ex opere operato effectum remissionis pœnæ, sicut cùm applicatur, ei qui non est capax: manet tamen tunc satisfactio illa, quam sacrificium applicatum contulisset, in thesauro satisfactionum Christi: vnde tunc nihil inde depromitur, nihilque accedit, sicut ferè fit in Sacramento, cùm eius vis irrita redditur propter indispositionem suscipientis.

Aduerte tamen, posse sacrificium prodesse per modum impetrationis sine applicatione sacerdotis; nam adiunguntur illi orationes Ecclesiæ pro varijs causis, necessitatibus & personis, quæ per hoc sacrificium à Deo exaudiuntur.

CAPVT V.

Quos fructus confert hoc sacrificium?

Certum est primò, sacrificium hoc conferre fructus communes operibus bonis à viris iustis debitè factis, qui sunt augmentum gratiæ habitualis, gratiæ præuenientes, quos meretur ex opere operantis, satisfactio & impetratio. 1. *Confert fructus communes operibus bonis iustorum.*

Certum est secundò, hoc sacrificium conferre fructum aliquem ex opere operato independenter à bonitate & deuotione ministri, ratione operis externi Deo grati, vt colligitur ex Euangelio 2. *Confert etiam aliquem fructum ex opere opera-*

to independenter à bonitate ministri. gelio S. Lucæ cap. 22. vbi in Græco dicitur Sanguis fundi, vtique, in remissionem peccatorum, vt habet S. Matth. cap. 26. vt ante dictum est, quod intelligitùr de effusione mysticâ in Sacrificio: ergo hoc sacrificium habet adiunctam promissionem remissionis peccatorũ, & confert illam ex vi promissionis diuinæ, & consequenter ex opere operato: Conferre enim ex opere operato nihil est aliud quam cõferre ex vi operis externi, quæ vis nihil est aliud quàm institutio & promissio ipsi operi annexa.

3. *Confert ex opere operato remissionem pœnæ temporalis ex peccato debitæ.* Dicendum primò: hoc sacrificium ex opere operato confert remissionem pœnæ temporalis ex peccato debitæ, idq; immediatè & infallibiliter, & quidem statim post peractum sacrificium. Iam probatur: Quia, si habet effectum aliquem ex opere operato, qui nullo modo pendet à bonitate ministri, vt habet communis Ecclesiæ sensus, certè maximè erit is remissio pœnæ, pro qua nullum propriè est Sacramentum institutum per se primò & directè, & qui conferri potest absentibus, & nihil de ea cogitantibus, & sine vllo pio animi motu, per solam extrinsecam condonationem: quare commodissimè meritum Christi per hoc sacrificium ad hunc effectũ potuit applicari.

Nota verò hunc effectum vel remissionem pœnæ tantam fore, quantam Christus primarius offerens constituerit ex suâ misericordiâ. Quamuis enim sacrificium sit pretij infiniti, est tamen limitati valoris, quatenus offertur à nobis, qui sumus finiti, & etiam quatenus pendet à Christi instituentis voluntate.

4. *Confert etiam auxilium gratiæ præuenientis ex opere operato.* Dicendum secundò: Valet etiam hoc sacrificium ex opere operato ad auxilium gratiæ præuenientis saltem sufficiens, quo excitetur homo ad contritionem & pœnitentiam peccatorum.

Colligitur ex Tridentino Sess. 22. cap. 2. vbi ait: *Huius sacrificij oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et paulò pòst insinuat hanc vim habere, vt est actio Christi, ac proinde ex opere operato.

Confirmatur ex forma Consecrationis calicis, vbi promittitur remissio peccatorum; quod non est accipiendum de immediata remissione, sed mediante contritione per auxilium gratiæ.

Dicendum tertiò: Per modum impetrationis, confert hoc sacrificium auxilium præueniens, tum sufficiens, tum efficax, proinde contritionem, remissionem peccatorum etiam mortalium, iustificationem, condonationem culparum venialium, pœnarum temporalium, denique varia beneficia alia, vt sunt, pax & tranquillitas Ecclesiæ, extirpatio hæreseon, concordia principum, pestis & morborum, sterilitatis, & bellorum sublatio, & quidem independenter à sanctitate & bona dispositione ministri: vnde quidam volunt hæc conferri ex opere operato; sed quæstio est de modo loquendi. Ratio dictorum est: Quia hæc omnia petuntur in oblatione huius sacrificij: sentit ergo Ecclesia hoc sacrificium ad omnia ista impetranda valere. 5. *Per modũ impetrationis confert plurima bona spiritualia & temporalia.*

Deinde hoc sacrificium valet ad omnia ad quæ valet oratio: quatenus enim proficiscitur ex intentione impetrandi, est realis quædam oratio multò efficacior ad flectendum Deum, quàm oratio verbalis; cùm hoc sacrificium sit opus præstantissimum, & maximè idoneum ad mouendum diuinam bonitatem, & orationi adiungatur. Hanc autem vim habet, non solùm quatenus est actio ministri, sed etiam quatenus est actio Christi, cuius statui non repugnat, vt nobis aliquid impetret, item rursus quatenus est sacrificium Ecclesiæ.

Ceterùm sciendum hæc bona impetra-

6. *Non pendet vis impetrandi à bonitate ministri.* petrari non solùm quando minister est in statu gratiæ, sed etiam quando inuolutus est peccatis mortalibus, & nihil sua deuotione confert: quia non offert hoc sacrificium vt persona priuata, sed vt repræsentat Ecclesiam, estque eius ad Deum legatus, immo vt repræsentat ipsum Christum in cuius persona offert. Itaque Deus non tam eius sanctitatem spectat, quàm dilecti filij sui, eiusque carissimæ sponsæ: sicut Rex aliquis non tam respicit legatum Principis mittentis, quàm ipsum à quo mittitur. Idem dicendum de orationibus Ecclesiæ, quas nomine Ecclesiæ recitat: habent enim vim impetrandi, etiam si minister peccator sit: alioqui non satis esset consultum Ecclesiæ, cùm plures eius ministri sint peccatores: Iuuat tamen multum ministri sanctitas ad impetrandum per hoc sacrificium, & Ecclesiæ orationes: sicut legatus facilius à Rege, ad quem mittitur, quod ab ipso petit, impetrat, qui priuatim etiam eidem carus est.

7. *Qua ratione melior sit Missa boni sacerdotis eâ quæ à peccatore offertur.* Hinc sequitur Missam boni sacerdotis non solùm ratione orationum Ecclesiæ esse meliorem Missâ peccatoris, sed etiam ratione ipsius sacrificij & oblationis.

Addunt aliqui multum minui valorem orationum Ecclesiæ, quas sacerdos ab ea per censuram præcisus eius nomine recitat: quia Ecclesia non vult illum habere ministrum, vel suo nomine orare. Vide Suarez Disp 77. sect. 2. & Scortia lib. 2. cap. 5. §. 3.

8. *Per hoc sacrificium non remittitur immediatè peccatum mortale nec confertur gratia.* Dicendum quartò: neque ex opere operato, neque per modum impetrationis conferri immediatè per hoc sacrificium gratiam iustificationis, vel peccata mortifera remitti, vel concedi gratiæ augmentum; sed solùm mediatè, quatenus impetrat ad hæc auxilium præuenientis gratiæ, vt constat ex Trident, Sess. 22. cap. 2.

Probatur etiam ex eodem, in Prooemio Sess. 7. vbi non agnoscit aliud ad hæc remedium à Christo institutum, quo immediatè detur prima iustificatio; vel amissa reparetur, vel gratia augeatur, quàm remedium Sacramentorum: *Per illa enim omnis iustitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur.*

Deinde, mirum foret sacrificium Missæ hæc immediatè conferre, cùm ne quidem Sacrificium Crucis sine applicatione hæc contulerit immediatè. Denique, si hoc sacrificium immediatè iustificat attritum, quid opus foret Sacramento Pœnitentiæ? Non enim credibile est Christum duo remedia per se sufficientia ad eumdem effectum instituisse.

Dicendum postremò: Probabilius est hoc sacrificium non habere vim culpæ venialis immediatè delendæ absque vlla hominis dispositione, sicut potest debitum pœnæ huius peccati remittere. 9. *Nec etiam per hoc remittitur immediatè peccatum veniale iuxta plures.*

Ratio est, tum quia non videtur conueniens, vt peccatum libero arbitrio commissum remittatur sine eiusdem pio aliquo motu, quo retractetur; tum quia peccatum illud maculam aliquam animæ infert; vnde sequitur mentis nitorem mutatione aliqua voluntatis esse restituendum. Aliud est de condonatione pœnæ peccato debitæ, quæ nullam mentis requirit mutationem, sed per extrinsecam remissionem tollitur.

Nota, quidam, vt Suarez Disput. 75. sect. 5. Azorius & alij tenent, si illi, pro quibus offertur sacrificium, aliquo etiam modo offerant pro venialium remissione, v. g. si curent pro hoc fieri sacrificium, consequi immediate illorũ remissionẽ, cùm non careant voluntate repugnante culpis illis: si verò pro illis solùm offeratur, ipsis nihil de hoc cogitantibus, non consequi illorum remissionem, nisi mediante aliquo actu, quo de illis doleant. Non est tamen im-

improbabile etiam per sacrificium Missæ immediatè remitti venialia, sicut per aspersionem aquæ benedictæ & alia Sacramentalia, idque quasi ex opere operato: ita enim docent plures Doctores. Vide Fagundez de 1. præcepto Ecclesiæ lib. 4. cap. 4.

CAPVT VI.

Vtrum hoc sacrificium sit valoris infiniti?

1. *Est sacrificium infiniti valoris in genere sacrificij, vt per illud applicentur Christi merita.*

DIco primò: Non est dubitandum hoc sacrificium esse infinitæ dignitatis in genere sacrificij, quo nec esse, nec cogitari vllum præstantius potest, cùm illud offeratur in persona Christi filij Dei Vnigeniti, ipsius voluntate, institutione, verbis, quod ipse etiam actu quotidie offert, non minùs quàm fecit in vltima cœna, & præsens actu adsit quibuslibet oblationibus à sacerdotibus factis, ipse etiam sit hostia infinitæ præstantiæ: vnde etiam est infiniti valoris, tum ad conferendum fructus ex opere operato, tum per modum impetrationis, ratione meritorum Christi, & personæ ipsius, tum offerentis, tum hostiæ oblatæ: cùm ipse simul sit offerens & victima, sacerdos & hostia. Ex quo sequitur posse conferre semper fructus plures & perfectiores in infinitum Syncategorematicè, similiter & pluribus personis.

2. *Non tamen applicantur in eo Christi merita ad effectum infinitum obtinendum.*

Dicendum tamen secundò: non applicari per hoc sacrificium Christi merita ad effectum infinitum obtinendum, sed voluit Christus hunc effectum esse determinatum & proportionatum orationi paruæ vel magnæ, quæ adiungitur sacrificio, ne tardiores & segniores fierent homines in petendo: & hoc colligitur à posteriore, quia videmus in Ecclesia pro vno defuncto plura offerri sacrificia: similiter pro aliquo beneficio impetrando plures celebrari Missas: debent enim sacrificia & orationes, quæ illis adiunguntur, beneficijs, quæ petuntur aliqua ratione adæquari: vnde maiore feruore & conatu postulanda est conuersio magni peccatoris quàm parui, & sic de ceteris est ratiocinandum.

3. *Probabilius est sacrificium pro multis oblatum minus prodesse, quàm si pro vno offerretur.*

Dicendum est tertiò: probabilius esse sacrificium hoc oblatum pro pluribus, non tantùm prodesse, neque ex opere operato, neque per modũ impetrationis, singulis, quãtum si pro illis solis offerretur: sicut oratio fusa pro pluribus minus singulis prodest, quàm si pro vno solo ex illorum numero offerretur: debent enim illa & quoad magnitudinem & quoad multitudinem rebus quæ petuntur, vel personis pro quibus petuntur proportionari. Vnde Missa pro pluribus defunctis celebrata minus valet illis quàm si pro vno solo celebraretur. Idem dicendum de auxilijs gratiæ præuenientis, quæ pro viuis in Missa impetrantur.

4. *Hoc autem intelligendum nisi pro multis orationes multiplicentur.*

Dicendum tamen quartò: si tempore Sacrificij vel in *Memento* affectus & orationes pro pluribus multiplicentur, multitudo eorum pro quibus offertur non minuet quidquam in singulis de fructu impetrationis: quia tum augentur affectus, & orationes, & sunt etiam plures oblationes.

5. *Non licet fructum sacrificij vni debitum applicare alteri.*

Dicendum quintò: ex dictis sequi non licere sacrificij fructum vni debitum applicare alteri, & ab illo stipendium accipere: quia, cùm sententia illa quæ tenet sacrificium pluribus applicatum tantum prodesse singulis quantum si pro paucioribus offerretur, sit dubia, fraudaretur vnus magno fructu sacrificij sibi debiti, si falsa esset.

6. *Quâ ratione fructus sacrificij, vni debitus*

Dicendum sextò: sacerdotem etiam obligatum pro aliquo celebrare, optimè facturum, si applicationem modo quodam multiplicet: v. g. celebrat aliquis pro defuncto, consultum est intendere,

possit etiam alteri applicari. tendere, vt sacrificium prosit alteri defuncto, si prior non est capax, vel non indigeat: item vt prosit tertio, si secundus non egeat. Et quia defuncti solùm indigent remissione pœnæ, sacrificium quoad gratias præuenientes obtinendas & alia beneficia potest sine illorum damno alijs applicari, quod est consilij.

Idem proportione dicendum quando celebrat pro viuo: scilicet, posse remissionem pœnæ alteri sub conditione applicari, si fortè is pro quo celebratur nullam habeat pœnam persoluendam, vel si non sit dispositus, vt eius remissionem consequatur, & sic de ceteris.

7. *Applicatio sacrificij anticipata est inualida & prohibita.* Dicendum septimò: non videri validam applicationem fructus sacrificij factam ad intentionem illius, qui postea primò vel secundò illud petet: quia sicut effectus Sacramentorum non suspenduntur, sed dantur in ipsa collatione, si subiectum sit dispositum; sic etiam fructum sacrificij non potest minister suspendere, sed statim prodest illi, pro quo offertur sacrificium: vnde hoc ad praxim non est trahendum, & talis applicatio anticipata prohibita fuit à Paulo quinto die 5. Nouembris, 1605. vt Gauant. p. 3. tit. 12. Vide Steph. Fagundez lib. 3. de 1. Ecclesiæ præcepto cap. 9. n. 10.

8. *Singulis iustis qui sunt in Ecclesia non confertur fructus particularis.* Dicendum octauò: probabilius esse, non prouenire aliquem fructũ ex operato opere iustis qui sunt in Ecclesia ex eo quod pro omnibus Orthodoxis in genere offeratur, sed solùm aliquẽ per modum impetrationis (qui non est infallibilis): sic vt detur aliquid, quod ad omnes pertineat, vt est tranquillitas Ecclesiæ, extirpatio hæresum &c.

9. *Concurrentibus ad sacrificium quis fructus ex opere operato respondeat, & an possit alijs applicari.* Dicendum nonò: valde verisimile esse concurrentibus ad sacrificium prouenire aliquem fructum ex opere operato independenter ab applicatione sacerdotis, & quidem eò maiorem, quò præstantiùs concurrunt, & maiore deuotione. Talis concurrens, primò est sacrificij minister, secundò qui audit, tertiò qui curat fieri sacrum datâ eleemosynâ.

Nota verò hunc fructum non minui ex plurium concursu, quia si hoc fieret, fructuosius foret audire sacrum priuatum, cui pauci adessent quàm solemne & publicum; cum tamen melius reipsa sit adesse publico, quàm priuato propter multiplicatas plurium orationes.

Nota 2. hunc fructum verisimiliter non posse alijs applicari, sicut nec remissio pœnæ quæ confertur per satisfactionem Sacramentalem, aut per Indulgentias, alijs applicari potest, nisi id expressè concedatur quoad Indulgentias: & ratio est, quia id quod ex opere operato vim habet non tam est opus nostrum quàm Christi; vnde non est in nostra potestate illo nos priuare quando nobis applicatur, sicut possumus fructum nostrarum satisfactionum in alium transferre.

Nota 3. Sacerdoti facienti conferri fructum ex opere operato ex duplici capite, siue ratione. 10. *Sacerdoti duplex fructus confertur celebranti.*

Primò, quidem vt est minister publicus offerens in persona Christi, & hic fructus confertur illi non pro se determinatè, sed pro ijs quibus ipse decreuit applicare sacrificium; vnde est in eius potestate hunc applicare sibi vel alteri, vt ante dictum est; vnde hæc applicatio quam alijs facit sacerdos non requirit in ipso statum gratiæ, cùm non detur illi pro se, sed pro Ecclesia: neque est maior vel minor ob maiorem vel minorem sacerdotis sanctitatem (loquimur autem de fructu qui est ex opere operato.)

Secundò, sicut diximus de alijs personis ad sacrificium aliquo modo concurrentibus, ita etiam ratiocinandum de sacerdote, quatenus est persona priua-

priuata sua deuotione ad sacrificium concurrens: huic enim pro se datur etiam fructus tamquam personæ priuatæ: vnde requirit in ipso statum gratiæ, estque maior vel minor pro maiore vel minore ipsius dispositione.

11. *Quæ requirantur vt prosit alicui sacrificium ex opere operato.* Dicendum decimò: vt sacrificium ex opere operato alicui prosit, requiritur vt sit baptizatus, & membrum Ecclesiæ, & nondum planè in termino, vt sunt qui tenentur in Purgatorio: vnde, vt obtineantur ex opere operato gratiæ præuenientes, sufficit vsus rationis cum Baptismo & statu viæ.

Dicendum vndecimò: Homini iusto remittitur aliquid pœnæ ex peccato condonato relictæ, quamuis non habeat aliquam aliam dispositionem; quia ad hunc effectum non requiritur innouatio voluntatis, & hæc remissio non crescit ex deuotione vel bona dispositione illius cui applicatur. Loquimur autem de eo pro quo sacrificium offertur, non verò quatenus ipse est aliquo modo offerens v.g. Missam audiendo, illi ministrando &c. nam hic fructum accipiet maiorem vel minorem iuxta suam dispositionem.

Dicendum postremò; ad obtinendum fructum per modum impetrationis ex sacrificio, non requiritur Baptismus; cùm possit hoc sacrificium offerri pro non baptizatis, vt ante dictum, etiam ad aliquem effectum spiritualem consequendum.

CAPVT VII.

Quando sacerdos teneatur sacrum facere absque stipendio, & quando possit illud accipere.

PRæmitto hic: Sacerdotem posse vario ex capite sine titulo obligari ad sacrificandum pro altero, vt ex voto, ex regula sua, ex simplici promissione, ex obedientia & præcepto Superioris, ex caritate, ex iustitia, pacto, &c.

Præmitto secundò: obligationem sacrum faciendi ex iustitiâ pro altero posse prouenire, vel ex beneficio quod annexum habeat onus Missam dicendi ad alterius intentionem, vel ex stipendio quod alicui persoluitur vt pro altero faciat. Iam

Dicendum primò: Nullum beneficium simplex obligat ad celebrandum sacrificium ad certam intentionem, nisi sub illa conditione fuerit institutum, vt ferè Capellaniæ, & huiusmodi beneficia minora fundata sunt, & multis in locis ob id Altaria vocantur, in quibus certum est obligationem esse rigidam ex iustitia celebrandi pro determinatâ intentione; quia beneficium datur propter officium ad quod instituitur, & mens eorum, qui Ecclesiæ tales census contulerunt, fuit, vt talis conditio adiungatur. 1. *Quædam beneficia instituta sunt cum obligatione Missam celebrandi, alia verò non.*

Contrà verò, huiusmodi obligatio celebrandi ad certam intentionem non inuenitur in multis Canonicatibus, portionibus, præstimonijs, & etiam Dignitatibus Ecclesiasticis (& si fortasse aliquibus annexum sit onus cantandi, vel dicendi sacrum in tali Ecclesia) nisi vel ex statuto aliquo, vel saltem ex consuetudine Ecclesiæ constaret peculiarem aliquam intentionem habendam esse: & ratio est, quia prædicta beneficia dantur propter officium solemne, vel ob munus alio modo Ecclesiæ inseruiendi: beneficium autem tantùm obligat ad officium propter quod datur.

2. *Parochi nō tenentur omnia sacra facere pro suo populo.* Dicendum secundò: nec etiam Parochi obligantur omnia sua sacrificia pro suis ouibus facere; vt docent Doctores; Maior in 4. dist. 45. quæst. 3. Dub. 3. Nauar. in Enchiridio cap. 25. num.

num. 140. Corduba lib. 1. Quæstionum quæst. 4. Contra Sotum lib. 6. de Instit. quæst. 3. art. 1. & in 4. dist. 13. art. 2. qui putat Parochos ad hoc quotidie teneri.

Ratio est, quia neque ex iure, neque ex consuetudine colligi potest huiusmodi obligatio, imò vbique consuetudo est contraria.

Circa hoc quædam veniunt notanda.

Etsi quidam Doctores, vt Sylu. & alij doceant, quòd licèt Parochus debeat Dominicis & festis, quibus populus tenetur audire Missam, celebrare per se vel per alium, non tamen teneri pro populo Missas applicare, ac proinde posse sine scrupulo stipendium pro
3. illis Missis accipere, contrarium tamen definitum iam est à Sacra Congregatione Concil:j Tridentini, die 1. Septembr. ann. 1629. vt videre est apud Diana, & Gauantum in Thesauro Rubricar. p. 3. tit. 12. num. 5. vbi dicitur Parochos, quibus diebus tenentur Missam celebrare, non posse manualem eleemosynam recipere pro illa. Nihilominus etiam post decretum illud Congregationis sententia contraria plurium Doctorum probabilis est, posse videlicet Parochum illis diebus quibus in Parochia ad commoditatem populi celebrare tenetur, aliunde stipendium accipere; quia, vt explicat Card. Lugo Disput. 21. sect. 1. Congregatio solùm loquitur de Sacerdote volente vnâ Missâ satisfacere obligationi celebrandi pro duobus, non verò de eo, qui debet celebrare vt alij audiant Missam, relicta sibi facultate Missam applicandi pro altero qui det ei stipendium.

Non possunt Parochi stipendium accipere pro Missis quas pro populo tenentur celebrare.

4. Deinde certum videtur Episcopos & Parochos aliquando Sacrificium offerre debere pro suis ouibus, vt clarè ratio docet, & expressè habet Trident. Sessione 23. cap. 1. statim sub initium, vbi dicit illos pro ouibus suis sacrificare debere. Quoties autem ad hoc teneantur, iudicio prudentum relinquitur. Putant aliqui ad hoc obligari præcipuis festis Domini, & Dominicis diebus, aut saltem semel in hebdomada; de quo Bonacina quæst. vltima puncto 7. Iudico ego teneri illos pro populo suo sacrificium offerre quoties is Missam audire obligatur, & existimo hanc esse praxim piorum sacerdotum. Non enim hæc beneficia solùm instituta sunt, vt oues à Pastoribus pascantur doctrinâ & Sacramentis, sed etiam vt pro illis apud Deum intercedant, quod efficacissimè præstatur per sacrificia: his enim vis maior tribuitur spirituali ipsarum regimini, vt colligitur ex Epist. 1. Apostoli ad Tim. c. 2. sub initiū, & ad Hebræos c. 5. etiam in principio, vbi dicitur debere offerre pro populo.

Debent Episcopi & Parochi aliquando pro populo facere.

Præter hæc, seruanda est consuetudo loci, & decretum cuiusque Episcopatus, & peculiaris institutio cuiusque beneficij attendenda; & in dubio standum Episcopi iudicio.

Dicendum tertiò: ratione persoluti stipendij obligari potest sacerdos ex iustitia ad celebrandum ad peculiarem intentionem stipem dantis. 5.

Obligatur sacerdos ad celebrandum ratione accepti stipendij.

Ratio clara est, quia sicut beneficium datur propter officium, ita stipendium propter opus præstitum. Et talis est intentio dantis, & recipientis, & consequenter mutuus consensus & contractus quidam innominatus, nimirum, do, vt facias; ergo est obligatio ex iustitia: & declaratur; quia si quis promitteret stipendium sacerdoti, teneretur ex iustitia soluere si hic iam Missam celebrasset: ergo sacerdos similiter obligatur si prius stipendium accepisset.

Nota verò, sacerdotem ratione stipendij teneri ad applicandum ei, pro quo celebrat, specialiter illum fructum sacrificij, qui illi vt ministro publico ad applicãdum commissus est, de quo suprà, vnde non sufficit generali dũtaxat inten-

intentione pro eo sacrificare vel applicare ei fructum, quem ipse vt priuata persona consequitur.

6. *Laudabilius est gratis sacrificare.* Nota secundò, etsi licitum sit absolutè pro sacrificio stipendium sustentationis accipere, vt constat, tum ex scriptura, tum ex ratione; laudabilius tamen est gratis illud præstare, vt ex supererogatione quidam Regulares faciunt, & inter eos, sacerdotes Societatis Iesu, qui, si stipendium acciperent, in re graui, peccarent mortaliter, non quia delinquunt contra Regulam vetantem, quæ ad peccatum eos non obligat, sed quia peccarent contra votum paupertatis, vt probabiliter censent Doctores eiusdem Societatis.

7. *Vltra stipendium legitimum nihil iure exigi potest, nec minus dari quàm taxatum sit.* Dicendum quartò: Si alicubi huiusmodi stipendia statuta & taxata fuerint legitimè à Superiore, non poterunt iure maiora exigi, quia sunt iusta pretia legitima, vel saltem seruanda est proportio & æqualitas, sicut in iustis pretijs, in quibus Respublica potestatem habet taxandi, præsertim cùm ex rei natura nihil certi statui possit.

Hæc autem potestas respectu totius Ecclesiæ est in Pontifice, & in Episcopo respectu cuiusque Diœcesis, & pro huiusmodi taxa in dubio iudicandum est sicut de pretijs rerum legitimis.

Dicendum quintò: sicut lege statui potest, vt sacerdos, non ampliùs quàm taxatum sit, exigat, ita & definiri potest integrum stipendium, vt alij non minùs dent.

Sequitur ex dictis: Et videtur frequenter expedire, ne pauperes sacerdotes quasi cogantur à laicis se ob exiguum stipendium ad sacrificandum obligare, vt notat Corduba lib. 1. Qu. quæst. 4. Nec hinc colligi potest, quod aliqui Doctores volunt & inferunt; quòd si summum pretium determinaretur, esset obstaculum quo minus fideles maiora conferrent stipendia; 8. *Per legitimum stipendium non impeditur liberalitas, vel misericordia populi vel sacerdotis.* quia possunt fideles gratis duplicata vel triplicata stipendia soluere, si libuerit, & per liberales donationes vel eleemosynas pauperibus sacerdotibus benefacere, sicut sacerdos non obstante contraria lege circa pretium infimum, poterit ex misericordia vel pietate pro minore stipendio celebrare.

Vnde docet S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 2. non esse licitum in aliqua Ecclesia legem ferre, vt pro nemine fiant suffragia nisi tanto stipendio datò, quia aliàs præcluderetur via gratis impendendi pietatis officium; quod moraliter loquendo verum est, si præsertim respectu singulorum lex illa conderetur: nam respectu communitatis aliquando huiusmodi statutum non esset illicitum; immo & in multis Ecclesijs in vsu sunt talia statuta, ad congruam nempe sustentationem totius Ecclesiæ & expensarum, quæ in ea fiunt: numquam tamen per huiusmodi decreta quisquam impeditur à celebratione sine tali stipendio, quando pietas aut misericordia id postularent.

Dicendum sextò: Vbi nulla lege determinatum est stipendium, standum est consuetudini & communi æstimationi loci: sic enim seruatur æqualitas in pretijs aliarum rerũ: propter periculum tamen irreuerentiæ & scandali cauendum est, ne sacerdos, sicut in alijs rebus venalibus contingere solet, cum strepitu & clamore contendat cum fidelibus de summo pretio, & si semel de stipendio infimo vel mediocri conuenerit, non poterit postea palam vel clam summum accipere, v.g. pauciora sacra faciendo. Hinc multa inferuntur corollaria. 9. *Vbi nullum statutum est stipendium, loci consuetudini standum.*

Primum: Non potest sacerdos vltra adæquatum stipendium pro vna Missa aliquid accipere, siue ab vno, siue à pluribus, vt communiter tradunt Doctores: Ratio est, quia vltra iustum pretium 10. *Pro vna Missa non potest quid accipi vltra iustum stipendium.*

pretium non licet accipere in quibuscumque mercibus.

Præterea, suprà diximus, Missam pro multis oblatam non tantùm valere, quantum valeret oblata pro vno: vnde priuaretur quis maiore fructu sibi debito ex ipso sacrificio.

Vlteriùs, licet diceremus vnam Missam tantum valere pro pluribus oblatam, atque pro vno tantùm; sacerdos tamen non dicitur dignus mercede ratione fructus sacrificij, quem alijs applicat: quia eum vendere non potest, sed ratione sustentationis, cuius si accepit stipendium, non potest accipere secundum: non enim datur stipendium pro valore Missæ (quod esset Simoniacum) sed in subsidium sustentationis.

11. *Non debet hoc stipendium necessariò respondere toti sustentationi sacerdotis.* Secundum: Non est istud stipendium determinatum iuxta quantitatem necessariam ad congruam sustentationem sacerdotis, vt quidam Doctores sentire videntur, quasi Missa integrum esset illius ministerium, & consequenter integra eius sustentatio illi responderet: contrarium enim patet ex communi praxi Ecclesiæ, quæ obseruatur in taxandis stipendijs: rarò autem tanta sunt vt sufficiant ad integram sustentationem: nec hoc mirum, cum ipsamet actio sacrificandi nonnisi paruam diei partem occupet: nec etiam sit solum sacerdotis ministerium. Exercet enim alias actiones sacras, pro quibus habere potest, vel pensiones Ecclesiasticas, vel alias fidelium eleemosynas & donationes: deinde poterit labore manuum vel alijs honestis medijs reliquum sustentationis acquirere. Denique sacerdos ordinatus est titulo patrimonij vel beneficij sufficientis ad victum, vt rectè Bonacina, & alij.

Tertium: Maius stipendium accipi potest pro sacro solemni, quàm pro priuato, sicut pro sacro funebri cui annecti solet Officium defunctorum: Hoc enim & vsus Ecclesiæ & ratio docet: maior enim & diuturnior in illis est occupatio.

Quartum: Sacerdos iure accipere potest hoc stipendium licèt aliàs diues esset ex bonis patrimonij & non indigeret: & quamuis hoc minus decens sit, non tamen est iniustum; cùm æquale bonum præstet sicut sacerdos pauper; & quamuis aliunde habeat vnde viuat, non tenetur tamen gratis altari deseruire, sicut miles non tenetur proprijs stipendijs militare licet fuerit opulentus. Sic etiam Sacerdos patrimonio diues potest gaudere bonis ex beneficio Ecclesiastico prouenientibus. Est communis Doctorum. Similiter ratiocinandum de eo, qui Beneficium possidet ad sustentationem sufficiens & etiam abundans, dummodo ex speciali ipsius institutione non teneatur ad certam intentionem celebrare quotidie. Quamuis autem aliquando ex caritate possit teneri eiusmodi stipendia erogare pauperibus, non obligatur tamen ex iustitia, quia verè acquirit dominium, quidquid aliqui dixerint. 12. *Etiam sacerdos diues hoc stipendium accipere potest.*

Quintum: Sacedos qui ratione Sacellaniæ sic institutæ debet omnia sua Sacra ad certam intentionem celebrare, non potest aliud stipendium pro illis accipere, quia sic iniuriam faceret, vel Fundatori, vel danti stipendium, quem deciperet, si nihil fructus illi applicaret. Si autem solùm sic teneretur celebrare certis diebus, poterit aliunde pro sacrificijs liberis integrum stipendium accipere. 13. *Qui tenentur ratione beneficij singulis diebus ad certam intentionem celebrare non possunt ab alijs stipendium aliud accipere.*

Sextum: Similiter & Parochi integrum stipendium possunt accipere pro Sacris, quando non tenentur pro ouibus suis celebrare: quando verò tenentur non possunt aliud stipendium accipere, siue à subditis, siue externis, nisi tamen offerentibus stipendium significent

cent se aliam habere obligationem, vel hoc ipsis satis constet ex consuetudine, vel publico mandato omnibus noto. Si enim hoc non obstante adhuc stipendium obtulerint, voluntariè cedunt iure suo, & tantùm videntur velle vt pro illis offerant sacrificium prout possunt absque detrimento prioris obligationis.

14 *Non possunt sacerdotes pauperes plura iusta accipere stipendia pro missa.* Septimum: non possunt sacerdotes pauperes nomine paupertatis plura iusta stipendia accipere pro vna Missa. Ita plerique omnes Doctores antiqui & noui. Nauar. cap. 25. n. 92. Corduba suprà quæst. 4. Dub. 2. Suarez disp. 86. sect. 4. Vasquez Disput. 234. cap. 3. & alij, & hoc tempore videtur certa propter definitionem Cardinal. de qua postea.

Rationes patent ex ante dictis: quibus adde; Quia paupertas non dat facultatem sine iusto titulo occupandi res alienas; non enim miles aut mercenarius potest aliquid vltra stipendium iustum exigere, nisi foret extrema necessitas; alioqui facienda esset restitutio.

Nec refert quod Sotus, Canus & alij quidam aliter sentiant, docentes posse pauperes sacerdotis duplex vel etiam triplex accipere stipendium, quando vnum non sufficit ad integram sustentationem diei, non solùm quoad victũ & vestitum propriæ personæ, sed etiam ad familiam suam alendam; qui etiam alia addunt. Verùm cùm eorum rationes non conuincant, & Romæ contrarium definitum sit, non videtur eorum sententia sequenda. Vide de Lugo disput. 21. Sect. 2. vbi etiam adfert decreta Cardinal. & explicat, quæ hîc subijcio.

Sunt tamen Doctores qui hanc sententiam admitti posse censent, quando stipendia non essent integra, vt nimirum tot accipere possint, quot ad integrum stipendium sufficiunt: quia cùm illis fiat iniuria, possunt se indemnes seruare. Ita Suarez & alij. Idem dicunt quidam habere locum si stipendium sit valde exiguum, & planè insufficiens ad moderatum victum.

Porrò plura circa prædicta definita sunt à sacra Congregat. Concilij Trident. 21. Iunij 1625. quorum aliqua hîc appono, 15. *Definita circa stipendia Missarum à Congregatione Cardinalium auctoritate Vrbani Octaui.*

Primò. Qui à pluribus stipendia minora iusto accipit, vt ex ijs, constituto stipendio iusto, vnam Missam celebret, peccat: tum quia promittens cuique Missam tenetur dare totam; tum quia ex decreto illo, tot Missæ dici debent, quot sunt eleemosynæ datæ etiam incongruæ & exiguæ, siue ab vno siue è pluribus dentur, quod ibi præcipitur sub obtestatione diuini iudicij, sub peccato mortali, & cum obligatione restitutionis, reuocatis quibuscumque priuilegijs.

Secundò. Sacerdos qui tenetur alicubi celebrare pro cultu Dei vel commoditate populi tantùm, absque applicandi sacrificium obligatione, cùm iam accipiat stipendium, non potest pro illius applicatione aliud stipendium accipere: Quia cùm stipendium detur pro labore, qui est pretio æstimabilis, vna Missa non meretur nisi vnicum stipendium, Ita Sacra Trident. Concilij Congregatio in declaratione decreti de Celebratione Missarum sub Vrbano VIII. Dicit tamen contrarium non esse improbabile Diana allatis auctoribus etiam post decretum Vrbani & Lugo suprà disp. 21. sect. 1.

Addit interim Gauant. in Thesauro Rubric. p. 3. tit. 12. Notent hoc, ait, Canonici & Curati qui tenentur celebrare Missam Conuentualem seu Parochialem in proprijs Ecclesijs ratione Canonicatus vel Rectoriæ, quia ad eam tenentur ratione beneficij: secus quando ex merâ consuetudine seu statuto Canonicali ad maiorem Eccle-

siæ decorem, Missas priuatas in propria Collegiata vel Parochiali Ecclesiâ celebrant, non ratione beneficij, neque Capellæ, neque legati, neque salarij, qui soli quatuor tituli in prædicto decreto prohibentur.

Tertiò, qui acceptis duobus stipendijs iustis pro duabus Missis vnam celebrat applicando vni Sacrificium vt propitiatorium, alteri vt impetratorium peccat, eò quòd vterque stipendium soluens totum fructum prætendit. Ita Suarez & alij apud Bonacinam quæst. vltima puncto 8. num. 15. & Gauant. suprà n. 37. Et sacra Congregatio suprà damnat hanc distinctionē.

Quartò. porrò quòd aliqui docent sacerdotem plura accipientem stipendia pro Missis celebrandis, quæ postea alijs sacerdotibus distribuit, retenta sibi aliqua parte, sic tamen vt singulis iustum, licet infimum soluat stipendium; quod, inquam, dicunt hoc licere quando sacerdos ille sit stipendiorum Dñs, & non tantùm dispensator & curator, hãc limitationem etiam sustulit eadem sacra Cõgregatio in decreto, de quo suprà, in quo absolutè prohibet sacerdoti qui Missam accepit celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retentâ celebrandam committat, & intelligi debet, etiamsi illi detur stipendium iustum, quia in eodem decreto iubentur dici Missæ pro eleemosyna tenui & pingui æqualiter: *Omne*, inquit, *damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens*.

Quintò Eadem sacra Congregatio declarauit etiam eleemosynam maiorem solitâ dari, tribuendam esse integram absolutè Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ab aliquo retineri posse, nec permittendum esse ait, vt Ecclesiæ ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam etiam minimam portionem retineant; ratione expensarum, quas subeunt in celebratione Missarum, nisi cùm Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum, erogare licitè possint: & tunc quam portionem retinebunt nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio sunt necessariò subeundę: & nihilominus eo etiã casu curandum esse, vt ex pecunijs quæ supersunt (expensis vt suprà deductis) absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosynam. Ita Gauant. supra n. 36.

Octauum. Sacerdos, qui quotidie tenetur celebrare, vel per se, vel per alium, peccat, si vel semel per hebdomadam facere omittat, & per alium fieri negligat: quòd si per se solum hoc onus præstandum illi est, tum non peccat, si semel per hebdomadam prætermittat, non potest tamen eo die pro altero celebrare accepto stipendio. Item poterit aliquoties per annum ex aliqua necessitate pro se ipso facere, vel pro aliquo amico. Hæc enim non videntur menti fundatoris & honestati contraria. Ita Bonacina & alij: qui addunt, sacerdotem eumdem, si morbo impeditus non possit quotidie celebrare, excusari, neque teneri postquam conualuerit omissa sacrificia supplere, nisi vltra mensem vel etiã duos menses ęgrotet, modò reliquo anni tempore diligens fuerit in sua functione obeunda, & modò in fundatione beneficij aliud non expressum fuerit. Vide plura apud Lugo disp. 21. sect. 2. 16. *Quando sacerdos, obligatus quotidie celebrare, excusari possit ne celebret.*

Nonum. Sacerdos differens ad longum tempus celebrare Missas ad quas tenetur, peccat mortaliter, ait Bonacina; quidam tamen docent sacerdotem posse se obligare ad facienda sacra 50. vel 60. vt Ledesma & alij: Rursus quãdo sacerdos notabiliter differt Sacrificium, 17. *Quando sacerdos peccet diu differens Missas dicere ad quas tenetur.*

cium, quod celebrare debet ad aliquid à Deo impetrandũ, & Missam dicit elapso necessitatis tẽpore peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem iuxta Petrum à Nauarra lib. 2. de Restitut. cap. 2. n. 366. Hoc etiam locum habere potest quãdo plurimæ Missæ suscipiuntur celebrandæ pro defunctis, quibus vt quis satisfaciat tempore longissimo opus est: quod etiam prohibetur in Sacra Congregatione, in qua vetantur Sacerdotes noua stipendia pro Missis dicendis accipere, nisi antea impositis ita satisfecerint, vt noua tutò possint admittere, vel saltem vt infra breue tempus omnibus satisfacere valeant, vel, nisi is qui tribuit stipendium pro nouis sacris celebrandis, sciat sacerdotem oneri plurium aliorum obnoxium esse, & consentiat. Non malè tamen quidam Doctores per breue tempus capiunt illud quo 50. vel. 60. Missæ dici possint.

18. *Quando peccet sacerdos celebrans extra locum, ad quem tenetur.*

Decimum. Sacerdos qui tenetur ex voluntate fundatoris celebrare in certo templo vel altari, nisi legitimè impeditus fuerit peccat mortaliter si alibi celebret, non tamen ad restitutionem tenetur. Excusari etiam à mortali potest, si bis vel ter in anno alibi celebret, vel caro, vel causa rationabilis fuerit. Vide Cardin. de Lugo disp. 21. sect. 2. n. 36. & sequent. Potest etiam aliquando Episcopus concedere vt ex causa alibi faciat. Ita Bonacina Fagundez. Similiter, qui obligatur sacrum dicere pro defunctis in altari priuilegiato, & alibi celebrat cùm numismate cui applicatæ sunt Indulgentiæ pro liberatione animarum ex Purgatorio, peccat, quia de illo numismate dubitari potest an sit benedictum: vnde securius est celebrare in altari Priuilegiato.

CAPVT VIII.

Quomodo supplendi defectus in celebratione huius sacrificij occurrentes?

QVandoquidem Romani Missalis Rubricæ fusè de hoc argumento agunt, & fusiùs etiam Gauantus p. 3. Commentariorum in easdem, & plures alij etiam Scholastici; solùm hîc tractabimus breuiter de notabilioribus defectibus circa materiam & formam Sacramenti.

Ante omnia supponimus materiam in sacrificio adhibendam esse panem triticeum, & vinum vitis, cum aqua modica admixta, & formam, quæ habetur in Missali, & quâ Christus vsus in vltima Cœna; ad consecrandum etiam requiri Sacerdotis intentionem.

1. *Defectus essentialis in materia vel forma necessariò supplendus.*

Primò itaque. Si in materia vel forma commissus fuerit defectus essentialis, certum est suppleri debere, quia aliàs sacrificium esset imperfectum; quare à fortiori eiusmodi defectus euitandus est, si à principio præuideretur.

Hinc sequitur: si consecrata fuerit hostia non triticea sed hordeacea, ex castaneis, fabis vel similibus leguminibus confecta, vel corrupta &c. tunc, si commodè fieri possit, vtraque species iterum consecranda, sequendo opinionem S. Thomæ, quæ habet in Missali: vel sola hostia consecranda, vt tenet Angelus & Paludan. saltem quando non potest aliud vinum adhiberi.

Sequitur secundò: Qui ante Consecrationem aduerteret solam aquam in calice deberet statim apponere vinum; quod si nullo vel difficillimo modo illud possit haberi, deberet sacrificium omittere: sin autem hæc impossibili-

tas habendi vinum, solùm aduertatur post consecrationem hostiæ, perficiendum esset sacrificium prout perfici poterit: sic enim habetur in Regulis Missalis: nulla tamen facienda esset mentio sanguinis in signis & locis Canonis vbi fieri solet.

2. *Quid faciendum si in calice mixta aqua non fuerit?*

Quotiescumque autem post consecrationem hostiæ aduerteretur aliquis defectus etiam valde grauis, non tamen essentialis, vt, siquis aduerteret deesse aquam, quæ tamen haberi non posset, nihilominus consecrandus esset sanguis in solo vino, quia maioris momenti est perfectio sacrificij, quàm vt euitentur huiusmodi defectus. Siquis autem oblitus suo tempore admiscere aquam, recordetur ante calicis consecrationem, statim eam apponat & prosequatur; si post consecrationem calicis hoc aduertat, non potest admiscere, quia tunc non potest in Sanguinem Domini conuerti.

Aduerte verò ex Nauarro & alijs; Sacerdotem sæpe excusari, propter inconsiderationem vel perturbationem, à peccato, non perficiendo sacrificium.

3. *Quid si vinum non fuerit in calice sed sola aqua?*

Sequitur tertiò: si sumpto calice deprehenderit, non fuisse vinum sed aquam, accedat ad cornu altaris tamquam accepturus ablutionem, ne pateat error, & accepto vino cum pauxilla aqua, redeat ad medium altare, submisseque pronunciet verba consecrationis calicis, incipiens à *Simili modo postquam cœnatum est, &c.* Vsque ad: *Vnde & memores &c.* Neque calicem eleuet, sed statim sumat absque repetitione aliarum cæremoniarum. Ita Nauar. Enchiridion cap. 25. n. 91. ex Scoto in 4. d. 8. q. 3. Sed aduerte sufficere verba Consecrationis calicis, sicut in Missali ponuntur, incipiendo ab his: *Hic est enim calix sanguinis mei* &c. Omissis antecedentibus: Nam Scoti sententia nititur falso fundamento, quod existimet verba illa priora esse necessaria ad essentiam Consecrationis.

Quòd si nemo adsit præter ministrum qui non offendetur, consultius erit seruare id quod habet S. Thom. quæst. 83. art. 6. ad 4. scilicet, vt apponatur alia hostia si prior sumpta fuerit, & vinum cum aqua, & incipiatur ab illis: *Qui pridie quàm pateretur*, &c. & sic deinceps pergatur vsque ad finem; nam hoc etiam præscribitur in Regulis Missalis.

Nota tamen has Regulas non semper obligare, multæ enim ex illis non sunt præceptiuæ, sed solùm directiuæ & instructiuæ iuxta probabilem Doctorum sententiam. Potest autem sacerdos sine scrupulo ore haustam tunc aquam in casu proposito deglutire, & postea Sanguinem consecratum liberè sumere, vt Suarez disp. 85. sect. 1.

Dices, hoc posterius sequendo, non perficietur sacrificium prius imperfectum, sed nouum perfectum succedet & sic prius relinquetur imperfectum, quia caruit consecratione sanguinis, quare hoc modo non euitatur incommodum.

Respondeo: etsi noua illa consecratio vtriusque speciei sit per se integrum sacrificium, tamen quia actio prioris sacrificij imperfecti adhuc durat, consecratio quæ immediatè inseritur, censetur ad idem sacrificium pertinere tamquam vna continua actio ordinata ad vnum perfectum sacrificium: vnde in fine Missæ non liceret sic consecrare, quia non censeretur vna actio.

Sequitur quartò: si pro vino consecratum fuerit acetum, omphacium, vel vinum putridum, quale etiam est aqua vitæ, quam vocant, aut etiam tantum aquæ appositum, vt vini naturam corruperit, seruandum est quod diximus ante de hostia.

4. *Idem dicendum de forma de-*

Sequitur quintò: quòd de materiæ defectu supplendo diximus, hoc idem dicen-

fectu, quod de ipsius materia defectu. dicendum de formâ, si circa eam defectus essentialis fuerit: vnde tunc iteranda erit consecratio, vel vtriusque speciei, si in vtraque forma defectus fuerit essentialis, vel vnius tantùm, si in vna tantùm aduertitur.

Quod si sacerdos non recordetur se dixisse verba formæ, nihil repetat, vt S. Thom. quæst. 78. art. 6. ad 5. Si certò sciat se omisisse, omissa repetat: si de ea re rationabiliter dubitet, sub conditione formam resumat: si autem non sint de necessitate Sacramenti, nihil repetens pergat vlteriùs.

5. *Quæ verba sint essentialia formæ.* Sciendum autem est verba illa, quæ in forma Sanguinis addita sunt, *Noui & æterni testamenti, mysterium fidei* &c. non esse de necessitate Sacramenti, vt habet communis sententia Doctorum contra S. Thomam quæst. 78. art. 3. & quosdam eius Discipulos: sicut Christus in forma Consecrationis panis adiunxit, *quod pro vobis tradetur, vel traditur, vel frangitur,* quæ verba tamen ad substantiam formæ non pertinent: Illa tamen quæ in forma consecrationis calicis adduntur, sine peccato mortali omitti non possunt, propter traditionem Apostolicam.

6. *Peracto sacrificio nihil repetendum.* Nota præterea in his & similibus defectibus, si sacerdos eos non percepit, priusquam Missam absoluat, non posse species illas iterum consecrare, in quibus defectum aduerterit: hoc enim non prodesset ad complendum prius sacrificium iam omnino perfectum, sed esset actio moraliter omnino distincta, quæ nullam haberet connexionem cum priore: nec deberet vtramque speciem iterum consecrare, quia hoc esset omnino distinctum sacrificium offerre, cùm tamen iam etiam non esset ieiunus.

7. *Quid agendum si venenatum ...* Dicendum secundò: si araneus vel quid aliud venenatum inciderit in calicem consecratum, non debet sumi, sed aliud vinum cum aqua imponi, statimque consecrari ac sumi, vt suprà dictum: nec verum est quod quidam dicunt, tunc aliam etiam hostiam consecrandam; quia prima consecratio vtriusque speciei fuit legitima, ac proinde fuit perfectum sacrificium ex parte consecrationis: vnde consecratio vini non repetitur, nisi ob sumptionem. *aliquid in calicem inciderit.*

Aduerte hoc in casu species vini veneno infectas, vel seruandas donec siccentur, aut omnino corrumpantur, quæ tunc in sacram piscinam conijciantur, vel quod commodius est, stuppâ, vel lineo panniculo imbibendas, quo siccato & combusto cineres in piscinam mittantur.

Aduerte 2. si animalculum non venenatum in calicem incideret post consecrationem, optimum consilium fore vt sacerdos nihilominus calicem sumat, si absque periculo grauis detrimenti, vel etiam horroris aut vomitus possit, vel saltem ab alio sumatur sacerdote, & tunc alius calix consecrandus: Si autem magnam in ea re haberet difficultatem extrahendũ esset animalculum, lauandum & comburendum, & ablutio cum cineribus in piscinam conijcienda, vt habet S. Thom. quæst. 83. art. 6. ad 3. 8. *Item, si animalculum non venenatum?*

Aduerte 3. si calix ita effusus fuerit, vt tamen aliqua pars remanserit, quæ sumi possit illa sufficiet, nec opus erit noua consecratione: sin autem nulla remanserit, repetenda erit vini consecratio, vt constat. Quid autem tunc faciendum sit, cùm sanguis effunditur in terram, vel Corporale, aut mappam altaris &c. præscribit Roman. Missale, in quo tamen pœnæ latæ à S. Pio I. C. *Per negligentiam*, de Consecrat. d. 2. omittuntur, eò quòd iam non sint in vsu: sed punitio Superioris arbitrio relinquitur circumstantijs expensis, nec ad particularẽ pœnam aliquã sacerdos iste tenetur, priusquam illi imponatur. 9. *Rursus, si calix planè effusus?*

10. *Quid si vinum gelu constrictum?* Aduerte 4. si vinum post consecrationem congelascat, debebunt tunc vel calidi panni admoueri calici, vel ipse calix vasculo aquæ calidæ, imponi: Ceterùm si vinum solidè gelu constrictum sit, non debet consecrari, quia materia valde dubia est. Sufficientem esse materiam censent Angel. Siluester, & cum illis Suarez disp. 45. sectione 1. Verius tamen est non esse materiam idoneam, vt plures docent, quia hoc modo non est potabile: Solutum consecrari potest, si vini naturam retinet.

11. *Quid si hostium incursus timeatur?* Aduerte 5. si hostium incursus probabiliter timeatur post consecrationem, non potest sacerdos imperfecto recedere sacrificio, maximè si irreuerentia sacrificio immineat: vnde prætermissis non substantialibus accelerandà erit sumptio; quod intellige, si absit scandalum & iniuria Christianæ fidei.

12. *Quid si sacerdos in altari post consecrationem deficiat?* Dicendum tertiò: Quotiescumque substantialis defectus non potest suppleri ab eodem sacerdote, supplendus est ab alio, vt S. Thom. supra, Nauarr. cap. 25. n. 87. & alij docent. Vnde si ante consecrationem celebrans moriatur subitò, non deberet alius Missam illius absoluere, quia cùm nondum substãtialiter inceptum sit sacrificium, non potest superesse defectus substantialis supplendus. Sin autem morte vel morbo ita præuentus fuerit, vt non possit sacrum absoluere post alteram saltem speciem consecratam, perfici debet per alium etiam non ieiunum.

13. *Regulariter defectus accidentales non sunt supplendi.* Dicendum quartò: Regulariter loquendo, defectus accidentales iam commissi non sunt supplendi. Hoc enim deberet fieri per iterationem & consequenter, vel ordinem peruertendo, vel multa etiam substantialia simul repetendo. Hi autem defectus non videntur tanti momenti, cùm non sint de substantia sacrificij, nec etiam eius perfectionem impediant: & cùm extra suum locum aut dicuntur aut fiunt, non conferunt ad decorem ipsius sacri mysterij, nec ad significationem ob quam sunt institutæ huiusmodi ceremoniæ. Itaque talis repetitio perturbationem potius inducit quàm reuerentiam, & generare etiam potest scandalum & offensionem astantium. Dixi autem *regulariter*; quia aliquando tam exigua posset esse mora, vt repetitio commodè fieri queat. Tales autem defectus essent, si v. g. hostia non esset omnino integra, vel haberet aliquam maculam non notabilem: si vinum aliquantulum esset acidum, non tamen vt dubium esset de substantia vini. De aquâ etiam ante consecrationem non suo loco imponenda supra diximus.

CAPVT IX.

Quantum temporis ordinariè sacræ Liturgiæ celebrationi impendendum.

SCitum est olim antiquorum Patrum seculo Liturgiam in longius spatium protensam, quàm nostra ætate. 1. *Olim Liturgia longior erat quàm nunc temporis est vt constat.*

Constat hoc ex multis: & primum quidem ex S. Dionysio Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. p. 2. vbi sacri mysterij ritus describit, quos p. 3. copiosè explicat & dilucidat.

Deinde ex Liturgijs S. Iacobi, Basilij, Chrysostomi & alijs, quæ non paulò nostrâ sunt productiores, Quas postea sequentes Patres, ob populi tædium & desidiam, multum contraxerunt.

Docet hoc Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus de traditione diuinæ Missæ, quæ est quasi Præfatio in Patrum Liturgias, vbi sic scribit: Magnus,

2. *Contracta est ob hominum desidiam.* gnus, ait, *Basilius hominum socordiam & ignauiam conspiciens, eosque nihil aliud quàm terrena & abiecta cogitantes, & ob id longitudinis Missæ pertæsos, non quod superuacaneum aliquid aut minus longum continere eam arbitraretur, sed vt simul orantium atque audientium ignauiam atque pigritiam præcideret, propterea; quod multum in ea temporis conteretur, breuiorem recitandam dedit.*

Et paulò pòst: *Haud multò pòst pater noster Ioannes, cui aurea lingua cognomen dedit, hominum natura socordiam atque ignauiam prospiciens, multa præcidit, & vt breuior esset constituit, ne sensim homines fallacibus aduersariy sermonibus decepti ab hac Apostolica & diuina traditione deficerent.* Hæc ille & plura.

S. etiam Augustinus varias indignitates & insolentias populi sui perstringens, quibus etiam templum profanabant, inter alia hanc labem impugnat sermone de temp. 251. hisce verbis:
3. *Inuehitur S. Augustinus in eos qui cogunt sacerdotem Missam abbreuiare.* *Hinc, inquit, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, & maximè potentes huius mundi* (nota contra mores nostrorum) *qui cùm veniunt ad Ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum, vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec licet ei morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam & auaritiam, quatenus vnus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates.* Hæc ille.

Adfert eadem verba S. Augustini Baronius tomo 5. anno Christi 418. pag. 427. & hæc addit. Vides, inquit, morem pristinum canendi omnes Missas, & considera, vnde introductum sit vt eædem etiam voce submissa dicantur, & vnde pariter euenerit vt in ipso Introitu Missæ, dicta Antiphona, qui sequitur Psalmus non ipse integer ex more pristino, sed vnus tantùm ipsius versus dicatur, (de qua re nos suprà egimus) At in ipsa Romana Ecclesia non vt Psalmus vnus dumtaxat ante Missam præcineretur, sed integrum Psalterium cum antiphonis psalleretur, Cælestinus Papa constituit. Sic ille, de qua re alibi à nobis dictum.

Ceterùm, satis constat Græcorum Liturgiam nostrâ Latinâ Missâ productiorem fuisse, & hanc D. Augustini æuo, nostrâ, quæ modò celebratur, etiam longiorē, fuisse vel quia Psalmodia diutiùs initio Sacrificij protrahebatur, vel quia lectio Epistolæ, & Euangelij maior erat, vel quia diebus festiuis singulæ Missæ canerentur, vel alijs de causis: sicut etiam illa, quæ est Ambrosiana, extensior est quàm Romana, quia Mediolanenses pressiùs Græcorum ritibus institerunt. 4. *Græca Liturgia longior nostrâ.*

Quidquid sit, importunitas, querimonia, desidia vulgi hanc coëgit præsules Ecclesiæ contrahere; cùm latius iudicarent breuem Missam deuotè, & attentè, decenterque audiri, quàm longam cum nausea, tædio, euagatione, fabulis, &c.

Petes ergo quamdiu Sacrificium Missæ, quod voce submissa peragitur, durare debeat?

Respondet pius auctor Thomas à Kempis lib. 4. de Imitatione Christi cap. 10. *Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus, sed serua bonum communem modum cum quibus viuis. Non debes alijs generare molestiam & tædium, sed communem seruare viam secundum maiorum institutionem, & potius aliorum seruire vtilitati, quàm propriæ deuotioni & affectui.* 5. *Displicet in Missa nimia prolixitas & etiam festinatio.*

Porrò communem illum modum celebrandi, quo quis nec sit nimis prolixus, nec nimis breuis, viri spirituales & sapientes in Domino circumscribunt spatio horæ dimidiæ. Ita plerique omnes. 6. *Probatur communis modus, vt Missa per mediam horam duret.*

Sic certè habet Regula Sacerdotum Societatis Iesu quarta, *In Missa celebranda pronuntiationem & quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, vt non minus aliorum ædificationi, quàm propriæ deuotioni seruiat: & ideo semihoram in faciendo sacro*

nec multum excedat, neque ita breuis sit, vt illam non expleat.

Et rectè quidem: nam nec sacræ ceremoniæ, cum grauitate & dignitate peragi, nec quæ pronuntianda voce sunt, intelligenter recitari, minus quàm dimidiæ horæ spatio possunt.

Sed hæc est deploranda tam multorum sacerdotum, quàm plurium è vulgo miseria: quod illi quidem celerrimè & præcipitanter, & ideo indecenter sacrum suum decurrunt potiùs quàm obeunt ministerium; hi verò tales sollicitè inquirunt & seligunt presbyteros, qui dicto citiùs & breuissimè Missam expediunt.

7. *Querela in eos qui breues Missas expetunt.* Ita omnia quæruntur & expetuntur, quæ prauis animi affectibus arrident & perplacent; cœlestia verò & diuina bona nauseam & tædium pariunt. Prolixum conuiuium cupedijs exquisitis instructum summá auiditate concupiscitur. Quasi verò, non dico reipsa conuiuis proponi & exstrui, sed mente excogitari possit sacro hoc conuiuio quidquam præstantius, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Datur in scenam Comœdia, drama vel ludicrum aliquod spectaculum: concurritur ab omnibus. Nec spectatorum oculi fatigantur videndo, nec auditorum aures satiantur audiendo, etiam si per ternas aut quaternas horas fabula protendatur, & in noctem multam perduret.

Et ecce, quot diebus, in omnibus templis per orbem filius Patris omnipotentis Christus Tragœdiam nobilissimam tamquam Choragus per manus sacerdotum nobis exhibet, & velut in theatro repræsentat ad viuum mysteria suæ Incarnationis, Natiuitatis, vitæ, prædicationis, miraculorum, maximè verò acerbissimæ Passionis & pretiosissimæ mortis: & tamen plures præsentes, si vel tantillum vltra horam dimidiam sacrosancta Actio extendatur, delassantur animis, oscitant, circumspiciunt, nauseant, sæpius etiam, antequam Liturgus eos dimittat, pronuntiata formula, *Ite Missa est: peracta est Comœdia, Ilicet, Plaudite*, ab Ecclesia sponte exsiliunt. Hæccine fides est? Quid facit in domo fidei infidele pectus?

Itáne mente captus es, & vecors, vt non aduertas hîc agi tuæ æternæ salutis negotium, & hoc mysterium maximè pertinere ad Dei honorem & gloriam? *Nesciebatis*, quondam inquiebat Christus duodennis *in ijs, quæ Patris mei sunt, oportere me esse*. Lucæ 2. Sed hæc non aduertit is, cui grauis & molesta est vnius dimidiæ horæ Liturgia, nec considerat ea quæ Dei sunt, immo ne quidem quæ sua & propria sunt, cùm tamen *omnes quæ sua sunt quærant*, teste Apostolo. Meminerit is quod legitur Apocalyps. 8. sub initium: *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora*. O Christiani! Ecce Agnus Dei aperto sigillo nobis reuelat magnum pietatis Sacramentum; fiat ergo silentium & cessatio, non solùm à fabulis, iocis, nugatorijs & secularibus colloquijs, sed etiam ab euagationibus mentis, & terrenis curis, vt cor nostrum soli Deo pateat, & cum eo loquatur, cuius *conuersatio non habet amaritudinem, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*. Sapientiæ 8. v. 16. & quidem hoc silentium fiat in cœlo, id est, in templo, quod cœlum Dei est præcinente diuino Psalmographo Psalmo 10. v. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius*: & rursus Habacuc 2. v. 20. *Dominus in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra* (præ reuerentia & stupore, & pauore) *Te decet hymnus Deus in Sion*, Psalm. 64. vbi Hebraicè: *Tibi silentium laus in Sion*, vel, *tibi tacet laus*. q. d. laus nostra merum est silentium

respectu maiestatis tuæ.

Quis non contremiscat, linguam compescat, animum peregrinantem contineat, vbi in templo, hoc est, in terrestri cælo maiestatem Dei laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates &c. & quidem quasi hora media? Prô pudor! Plura suggerent scriptores Ascetici.

CAPVT X.

Qua attentione & veneratione augustum diuinæ Liturgiæ sacrificium celebrandum.

ELoquar, an sileam? Quis Asceticorum auctorum est, qui argumentum hoc vel breuiter, vel copiosè non enarret? Quis est qui hoc silentio inuoluat? Paucula solùm Lectori suggeram, ne aut obliuionis aut negligentiæ arguar, dum rem tantam tacitus prætereo.

Ratio, cur tam exiguâ cum reuerentiâ, cur tot euagationibus abacti sanctissimum hoc ministerium à plerisque sacerdotibus peragatur, procul dubio est defectus viuæ fidei, & altæ considerationis.

1. *Exhortatio S. Francisci ad sacerdotes.* Adfero hîc verba quædam ex Epistola S. Francisci Seraphici (cuius sacra luce quæ scribo, composui) ad sacerdotes Ordinis sui, & habetur tomo 13. Bibliothecæ Sanctorum Patrum Editionis Coloniensis vltimæ. Sic habet inter alia: *Videte dignitatem vestram, fratres Sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est. Et sicut super omnes propter hoc ministerium honorauit vos Deus Dominus, ita & vos super omnes propter hoc ministerium diligite eum, reueremini & honorate. Magna miseria & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat & cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo! ô stupenda dignatio! ô sublimitas humilis, quod Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius sic se humiliat, vt pro salute nostra sub modicâ panis formulâ se abscondat! Nihil de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum!* Hæc & plura S. Franciscus.

Quis sensus nobis fuisset, quis amoris affectus in visceribus nostris exarsisset, si cum Matre Virgine, cum dilecto discipulo, cum Magdalâ, & pijs mulieribus in cliuo Caluariæ fide fixâ & seriâ meditatione vidissemus Dei filium in Crucem actum, acerbissimis cruciatibus excarnificatum, confixum clauis, sanguine rorantem, dirissimâ nece affectum, cœlo, terraque contremiscente exspirare?

Cur ergo modò cùm idem oculis mentis & corporis nostri spectaculum obijcitur, idem Christus pro nobis in altari seipsum nostro ministerio immolet, & æterno Patri pro peccatis nostris offerat, ita vt viua & expressa in Liturgia repræsentetur nobis Passionis, immo totius vitæ, miraculorumque eius imago; adeò animo caligamus, nullo pio motu afficimur, magis quàm terra, quæ in morte eius contremuit, insensiles sumus, petris duriores, quæ tunc scissæ sunt; dolore non conterimur? Vbi lacrymæ Magdalenæ? vbi exitus aquarum, quas duxerunt oculi Matris Virginis? vbi amoris æstus, quo flagrabat pectus cari discipuli?

Synodus secunda Nicæna siue septima Generalis celebrata circa annum 790. contra Iconomachos, Actione 2. S. Gregorij Nysseni serm. de Patriarcha Abraham, hæc eius verba profert. *Vidi, ait, non infrequenter passionis figuram, neque sine lacrymis eiusmodi picturam transij; cùm scilicet opus artificij in personam significatam demonstratum esse viderem.* Vbi vir san- 2. *S. Gregorius Nyssenus videns tabellam Immolationis Isaac flebat tene-*

contemplans in eâ Christi passionem. sanctus ostendit se ex tabella picta immolationis Isaac, in qua intenta mentis acie contemplabatur Christi Domini veram in Cruce oblationem, in vberis lacrymas prorupisse. Quid nos sacerdotes conuenit facere, qui non in vmbra vel figura Christi passionem & mortem videmus; sed verbis nostris quasi cultro victimario Christum immolamus; & ex eorumdem vi separatim pretiosum sanguinem a Corpore viuifico, & mortem eius, separatim ea in altari ponendo, mysticè exprimimus? Qui igitur fieri potest, vt lacrymarum torrentem ex oculis non profundamus? Cur non maiori veneratione altari assistimus? vbi animorum ardor, vbi pectoris & penetralium ad pietatem commotio, vbi gemitus ex intimis visceribus erumpentes, & sobria mentis ebrietas?

Subeat animo vaticinia regij Psalmodi ps. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Vbi demonstrat Christum ex infinita sua philanthropia & benigna humanitate mysticum conuiuium, quo quotidie fruimur, instituisse tamquam Compendium suæ Incarnationis, prædicationis, vitæ, miraculorum, Passionis, mortis suæ, reliquisse nobis illud tamquam Geographicam tabulam, in qua intueri liceret totius vitæ eius itinerarium & peregrinationem Hierosolymitanam: Declarat hoc Gaspar Sanchez pius Societatis nostræ scriptor hoc simili. Gessit se, inquit, Christus in mysterij huius institutione velut quæstor quidam ærarius, qui deductis in libro rationum minutim ac sigillatim multis, iisque magnis

3. *Sacrificium Missæ compendium est vitæ & Passionis Christi, & Summa Summarum.* expensarum, receptorumque nominibus & rationibus, ad calcem illius breui omnes calculo, & numeris Arabicis summatim & simul comprehendit, conficiendo, vt dicitur, Summam summarum, ita vt, qui hanc legerit, simul legat quidquid toto libro subductum & scriptum continetur. Pari modo in libro vitæ Redemptoris nostri, id est, in sancto Euangelio aliquid de eius Incarnatione, aliquid de eius Natiuitate, aliud de eiusdem manifestatione coram Magis, aliud de eius miraculis, nec non de eius prædicatione, veneranda passione, & pretiosa morte scriptum est, quæ omnia summatim & fasciatim augustissimum Missæ sacrificium in se complectitur. Aliquod quidem discrimen est in modo, quo se hic nobis Christus communicat, at in rei veritate & substantia & & fructu spirituali planè nullum. Pergit porrò idem auctor hoc ipsum sapidè, eruditè, & eleganter explicare, ad quem ob breuitatem Lectorem remitto, nimirum ad libellum, quem inscribit Spiritualem thesaurum Missæ cap. 4.

Mirum profectò est Sacerdotem, dum diuinissimum illud mysterium peragit, aliud agere posse, quàm quod agit: cùm illud sit omnium veterum sacrificiorum consummatio & perfectio, in quibus tamen obeundis tanta in antiquis Leuitis requirebatur munditia & veneratio. Est nostra Liturgia holocaustum absolutissimum, arcanum propitiatorium, vena & fons sanctimoniæ, diuinitatis commercium, donum opulentissimi creatoris, quo nihil maius cælum continet.

4. *Excitatio ad attentionem ex Liturgia Iacobi.* In Liturgia S. Iacobi Lectores ad reuerentiam præsentes excitant hâc oratione: *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetq; cum metu & tremore; ac nihil terrestre apud seipsam cogitet. Rex enim regnantium & Dominus Dominantium Christus Deus noster progreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus, ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio & potestate.* Hæc ibi.

Constat ex S. Clemente lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 12. olim in Altaris

5. *Flabellum olim in Missa adhibebatur muscis abigendis, quo mystice significabatur vigilantia magna ad vanas cogitationes tempore sacrificij propulsandas.*

taris, sacrificio, Episcopo celebrante, Diaconos in manibus tenuisse flabella siue muscaria ex subtili membranâ, pennis pauonis, vel tenui linteo contextis, vt abigerent minuta animalcula, ne in calicem inciderent, aut facientem molestiâ aliquâ afficerent; aiunt etiam nunc illorum vsum Romæ esse, cùm summus Pontifex sacris operatur. Accipe & tu Deo consecrate, & initiate flabellum vel muscarium, non ex plumis auium subtile aut textile, sed spirituale, hoc est, vigilantem cordis tui custodiam, quâ circumuolitantes, vagas, viles, & inanes cogitationes euentiles & gratiæ manu dissipes.

Audi S. Hildebertum Cenomanensem Episcopum Epist. 7. de flabello agentem. *Flabellum misi tibi congruum propulsandis muscis instrumentum. Est etiam quod in munusculo nostro interpretari te oporteat. Attende ergo, quibus muscis immolantes Domino sacerdotes grauiùs infestentur, quibus frequenter impediantur salutaria altaris officia. Mille sunt occursantium phantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum.* Et inferiùs: *Talium portenta muscarum Patriarcha Abraham* Genes. 15. num. 10. *propulsanda præsignauit, cùm à sacrificiis aues abegit incursantes. Scriptum est enim: Descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Dum igitur destinato tibi flabello, descendentes super sacrificia muscas abegeris, à sacrificantis mente superuenientium incursus tentationum Catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit,* Hactenus ille.

6. *Sunt Euagationes muscæ morientes.*

Ad rem nostram aptè Ecclesiastes cap. 10. v. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Sicut enim muscæ dum se vnguentis immergunt, extinguuntur, & suo fœtore inquinant & exterminant illius suaueolentiam; sic terrenorum negotiorum curæ in oratione occurrentes non minùs importunæ sunt orantibus, quàm muscæ epulantibus: deinde quia mortuæ sunt etiam orationis gratiam, & deuotionis suauitatem interimunt. Apage ergo flabello constantis animi in bono proposito morientes & interimentes muscas. Vide S. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 16.

CAPVT XI.

Exempla quorumdam sacerdotum qui eximiâ religione & reuerentiâ sacris operati sunt.

S. Ambrosius, auctore Paulino in vita eius, ad sacrificium celebrandum itâ assiduus erat, vt quotidie illud ageret summa præuia animi præparatione. Vide Baron. Annale 4. anno Domini 375. & ipsum Ambrosium oratione 1. de Missa, & Epistol. ad Sororem. S. Basilius quotidie Missam celebrabat, & diuinitus edoctus Liturgiam conscripsit, qui tempore sacrificij lumine & Angelis circumdabatur, vt Amphilochius in vita eius cap. 6. S. Cassio Narniensi Episcopo morem ait fuisse S. Gregorius Homil. 37. in Euangelia, & lib. 4. Dialog. cap. 56. quotidianas Deo hostias offerre, ita vt pæne nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lacrymas defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat.

1. *Talis Ambrosius, Basilius, & Cassius Narniensis Episcopus.*

Quàm verò hoc ministerium Deo gratum fuerit per noctem in visione manifestatum est eius Presbytero, cui Dominus dixit: *Vade & dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua; Natali Apostolorum venies ad me & retribuam tibi mercedem tuam.* Quod post septennium euenit, vt fusè ibi commemorat S. Greg. Historiã autẽ eorum ita concludit, *Ecce quotidianæ hostia illa tum sacrificijs & lacrymis*

crymis

crymis missa legatio quantam cum Rege venieute gratiæ pacem fecit!

2. *Ita & S. Dunstanus.* Cùm S. Dunstanus (teste Osberto in eius vita cap. 32. apud Surium Maij 19.) Cantuariensis Archiepiscopus inter Missæ solemnia manus extenderet, & Patrem omnipotentem pro Ecclesia Catholica interpellaret, columba niuea multis intuentibus de cælo adfuit, & vsque ad sacrificij consumptionem super caput eius expansis alis & quasi immotis permansit. Absoluto sacrificio ab altari digredientem Episcopum ministri solum relinquunt immensis adhuc ex præsentia gratiæ Dei lacrymis madentem. Cùm verò casulam qua inter sacra vtebatur, deponeret, nec vllus adesset, qui eam exciperet, ipsa suspensa hæsit in aëre, ne in terram decidens virum Dei perturbaret, & à sua intentione diuerteret.

3. *Et S. Philippus Nerius.* Philippus Nerius sacrum celebraturus, antequam sacerdotalibus se vestibus indueret, id omni studio curabat, vt spiritus vehementiam, & ardorem, quo assiduè æstuabat, vtcumque comprimeret. Tantâ verò in sacro agendo diuini spiritus abundantia replebatur, talesque diuini amoris impetus sustinebat, vt totus lacrymis conficeretur, singultus frequentissimos ederet, ac toto corpore contremiscere, exilireque quodammodo videretur. Quo autem tempore salutarem attollebat hostiam, ita mens eius in Deum rapiebatur, vt non modò manus sublimè erectas deponere non posset, sed & toto corpore à terra eleuatus aliquando à circumstantibus visus fuerit, luceque admirabili circumfusus. In sacratissimo sanguine Christi ebibendo, eiusque sanctissima carne degustanda panis cœlestis dulcedinem, & Regum delicias libare videbatur: labia sibi auidissimè lambebat, & sæpius ori calicem admouere obseruabatur. Ita Gallonius & Baccius in eius vita Romæ impressa.

S. Thomas Doctor Angelicus præcipuâ deuotione afficiebatur erga diuinum Eucharistiæ Sacramentum, vt notum est: quotidie verò Missæ offerebat sacrificium, nec hoc contentus etiam alterius sacerdotis Missæ intererat, &, vt plurimum eidem seruiebat. Sub ipsum autem sacrificium tanti Sacramenti amore ebrius, non rarò in Deum rapiebatur totus lacrymis perfusus. Ita res eius gestæ apud Surium Martij 7. Hinc plus lucis & præsidij hausit ad Theologiæ scientiam, quam studio & labore, vt S. Bonauenturæ ipse asseruit. 4. *S. Thomas Aquinas.*

Finis non sit, si commemorem aliorum sacerdotum in faciendo religionem: solùm hic subiungam quosdam è nostra minima Societate.

In primis eiusdem auctor & parens S. Ignatius, vt scribit Ribadeneira 1. lib. vitæ eius cap. 11. Sacerdotio iam initiatus integrum anni spatium ad se præparandum, animumque magis colligendum sumpsit, vt viuam, veramque pro peccatis nostris hostiam puriùs Deo Patri offerret. Quo tempore toto pectore in diuinarum rerum commentationem incumbebat, &c. Idem lib. 5. cap. 1. Anno 1550. ipso die Christi Natali cùm duo sacra ingenti feruore & intentione fecisset, in extremum vitæ discrimen adductus est. Ita non solùm interius, sed & exterius accendebatur, vt facies tota quodammodo ignesceret, & continua lacrymarum fluxione oculi natarent. 5. *S. Ignatius Loiola.*

Quid de sanctissimi viri Indiarum & Iaponiæ Apostoli ardore inter celebrandum sacra mysteria dicam? Scriptis mandauit Horatius Tursellinus vitæ Xauerij lib. 6. cap. 5. super cetera in sacro faciendo ardorem pietatis præcipuum eminuisse, vtique cum ad consecrandam V. Eucharistiam, sumendam- 6. *S. Franciscus Xauerius.*

mendamque ventum erat: tum enim manantibus gaudio lacrymis ora complebat, sinumque. Tantus porrò diuinæ pietatis sensus in pronuntiatione, vultu, totoque corpore eminebat, vt in circumstantes redundaret eosque piâ quadam admiratione defigeret. Nec defuerunt qui confirmarent eum, cùm rem diuinam faceret, sublatum paululum à terra sublimemque abs se visum.

7. *Item B. Franciscus Borgias.* Accedat his B. Franciscus Borgias è Duce Gandiæ tertius Societatis Iesu Generalis, qui operaturus sacris horas aliquot impendere, seque probè excutere solebat. Quotidie item ritè confessus rem diuinam faciebat. In media Liturgiæ parte lacrymas illi vbertim fluere solitas obseruatum est. Post, gratias diutiùs agere, quod velut in Zachæi domum diuertisset, vt non nisi ægrè ad prandium & cum suspiriis, Iobi atque Bernardi exemplo, duceretur. Ita Andreas Schottus lib. 4. vitæ eius cap. 4.

CAPVT XII.

Exempla quorumdam, qui rei diuinæ frequenter & piè vel ministrarunt, vel interfuerunt.

1. *Vt S. Ludouicus Galliæ, Eduardus Angliæ Reges.* COmplures viri sanctitate conspicui nullam sibi è manibus occasionem elabi passi sunt quin quotidie Missæ Liturgiam audirent; è quibus numerantur, S. Ludouicus Galliæ & S. Eduardus Angliæ Reges.

2. *Item Constantinus Magnus.* Eusebius in vita Magni Constantini scribit eum tantam fiduciam in sacræ Synaxeos Sacramento constituisse, vt numquam facultatem suis militibus daret cum hoste congrediendi, nisi prius summâ reuerentiâ V. Eucharistiam, quæ in Liturgia pro exercitu in ara portatili offerebatur, supplices adorassent. Quid dicemus ipsum pijssimum fecisse Imperatorem? Henricus Angliæ Rex eius nominis 3. pietatem adeò coluit, vt quotidie tres missas cum cantu audiret, præter alias submissa voce celebratas, quibus assiduè aderat. Cùm S. Ludouicus Galliæ Rex ei dixisset non semper Missis, sed etiam sæpe audiendis concionibus vacandum esse, respondit, se malle amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, licet bona dicentem, audire. Ita Spondanus Continuationis Annal. Baronij tomo 1.

Carolus Austriacus eo nomine Imperator Quintus, vt de eo scribit Laurentius Surius in Historia ad annum Christi 1559. vnum tantùm diem in vita sua notatus est, quantacumque, negotiorum mole premeretur, sine sacrificio peregisse, cum bello Africano impeditus ei adesse nullo modo posset. 3. *Carolus Austriacus.*

Lotharius item Imperator, teste Carolo Sigonio lib. 11. de regno Italiæ, non erat contentus vnius Missæ auditione, sed quotidie tres audiebat, tam belli quàm pacis tempore. 4. *Lotharius Imperator.*

Refert Antonius Panormita, procemio lib. 4. de gestis Alphonsi Siciliæ & Aragoniæ Regis, cùm eius religionem commendat, ipsum rara pietate coluisse diuinissimum Missæ sacrificium, quotidie ei præsentem interesse solitum, nec vllis pepercisse sumptibus ad vestitum sacerdotalem, atque altaria auro, argento, gemmis & lapillis pretiosis exornandum, & quo suauiori concentu sacrum hoc officium illustraret, dedisse operam, vt ex vniuersa Europa quibusuis expensis peritissimos musicos & Phonascos accerseret. 5. *Item Alphonsus Rex Aragoniæ.*

S. Wenceslaus Bohemorum Dux non contentus erat sancto Missæ sacrificio quotidie interesse, sed etiam 6. *Item S. VVenceslaus.*

messis & vindemiæ tempore, oblitus quasi regiæ dignitatis, metebat & vindemiabat quæ pro sacrificio sacerdotum manibus offerret. In vita eius, & Vsuardus in Martyrologio 28. Septembris.

7. *S. Casimirus.* S. Casimirus Iagelonides Poloniæ princeps tremendo Missæ sacrificio ita attentus & mente in Deum erectus erat, vt extra se planè rapi videretur; quin & pro more habebat etiam intempesta nocte clam templa adire, atque ante ipsorum vestibulum positâ in terram facie Deum in ijs, puta in V. Eucharistia, præsentem suppliciter exorare. Ita vita eius.

Eius Anagramma. Quidam arguté hunc Anagrammatismum eius nomini adinuenit, *Casimirus, Sum ac Iris*, & iure quidem: nam in eum Sol iustitiæ Christus in Eucharistia irradians illi suarum virtutum & præcipuè castitatis splendorem afflauit.

8. *Item S. Elzearius.* S Elzearius comes Ariani suâ ipsius cum Delphina coniuge continentia nobilitatus, rebus diuinis ita addictus erat, vt non satis haberet ipse quotidie Missæ sacrificio præsto esse, sed etiam familiam suam vniuersam curabat vnam ad minimum, nullo intermisso die, integram audire. Ita in gestis eius apud Surium 27. Septembris.

9. *S. Anselmus.* S. Anselmus, vt habet Ediuerus lib. 2. vitæ eius, cum senio & languore deficiens sacris operari non posset, curabat se in Oratorium quotidie deferri, vt aliorum saltem sacrificijs interesset.

10. *S. Monica.* Commendat S. Augustin. lib. 9. Confessionum Monicam matrem suam, quod altari Domini nullius diei prætermissione seruierat.

11. *S. Hedwigis.* S. Hedwigi Poloniæ Ducissæ non satis erat quotidie semel salutari Liturgiæ cultum præsentiâ suâ deferre, sed ab omnibus sacerdotibus, quos conuenire poterat, Missam precibus exprimebat, vnde in aula de ea hi versiculi increbuerunt.

In sola Missa non est contenta Ducissa:
Quot sunt Presbyteri tot Missas optat haberi.

Surius 15. Octobris, vbi plura de eius erga Missæ sacrificium religione.

S. Elisabetha Andreæ Regis Hungariæ filia solita fuit ab adolescentia cum humilitate maxima sacris Missæ mysterijs interesse. Oculis siquidem fidei excellentiam ineffabilem intuens Sacramenti, & propriæ conditionis paruitatem respiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digitorum, ceterorumque membrorum sub tempus diuinæ Liturgiæ soluebat, imminuebat, inclinabat, vel penitus remouebat. Hora verò Euangelicæ lectionis, & canonis, & quâ V. Eucharistia à Sacerdote consecrabatur, & sumebatur, hanc humiliationem præcipuè studebat exhibere. Ita Theodoricus Montanus in vita eius apud Surium, Nouembr. 19. 12. *S. Elisabetha Hungarica.*

Thomas Morus Martyr suo nomine notus, diebus singulis ante quæcumque alia negotia sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum ita fixum habebat, & strictè obseruabat, vt à Rege ipso fortè accersitus cùm sacro audiendo intenderet, ad Regem iterum & tertiò vocatus venire noluerit, donec totum absolutum fuisset: vocantibus & vrgentibus eum vt relicto sacro Regem accederet, respondebat se meliori Domino obsequium præstare, & perficere prius oportere. 13. *B. Thomas Morus.*

Quod memorabile factum planè simile est ei quod Carolo Magno Imperatori eum euocanti, dum Horas Canonicas persolueret, respondit S. Ludgerus primus Monasteriensis Episcopus, quod attuli lib. 3. de Horis Canonicis cap. 20. & habet Surius in vita eius cap. 32. Martij 26. 14. *Simile quid de S. Ludgero.*

Idem B. Morus sacerdoti sacrificanti supplens locum idiotæ ad altare ministra-

nistrabat,& interdum sacerdoti in supplicatione Crucem præferebat, & indutus superpelliceo Liturgo cantanti in sua Ecclesia concinebat. Hæc & plura Thomas Stapletonus in vita eiusdem cap.6. quem vide.

Subnecto hîc rem non prætereundam silentio verbis Antonij Vasconcellij Anacephalæosi octauaj Regum Lusitaniæ in gestis S. Elisabethæ Reginæ.

15. *Aulicus quidam S. Elisabethæ Lusitanæ, cuius religionem Deus miraculo confirmauit.*

Aulicus quidam inuidiæ stimulis agitatus, quòd alterius famuli optimis moribus imbuti operâ & industriâ Regina frequentiùs vteretur, hoc, ipsum vt suspectum læsæ fidei Regi fallarius indicauit. Rex famulum statim de medio tollendum decernit. Ergo operis in calcaria fornace laborantibus secretò imperat, vt quem primum nuntium ad eos miserit, momento in ardentem fornacem comburendum detrudant. Præmissus postea innocens iuuenis ad sibi destinatum incendium, fortè in vicino templo sacræ Eucharistiæ adorādæ accurrit, diuque ex paterna disciplina, quòd plura se obtulissent sacra, feliciter immoratur. Rei euentum cupiens scire Dionysius Rex eodem falsarium mittit. Vbi primum calcarij regiam agnouere tesseram, confestim ex condicto tridentibus, palisque bifurcatis hominem inuadunt, & manibus, pedibusque, licet reluctantem & Regis auxilium inclamantem, in ardentē calcariā deijciunt. Quod vbi ex primo nuntio rex Dionysius. resciuit defixus stupore hæsit, miratus diuino ex decreto malum consilium cōsultori pessimum, & sanctissimæ Elisabethæ fidem à calamitosa fama cælum perniciosa flamma vindicasse. Hæc ibi. Nos miremur hîc & diuinam prouidentiam iustitiamque, & simul præmium Missæ sacrificium præsentiâ honestantis. Vide plura apud Pinellum lib. 2. de Missa cap. 1.

CAPVT XIII.

Mira quædam ostenta, quibus Deus sacerdotes sanctos vel ipsorum sacrificium honorauit.

S. *Martinus, quo die pauperem sua veste induerat, oblaturus Deo sacrificium, veste breui, nigrâ, & hispidâ interius amictus, cum iam altarium, sicut est solemne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in sublime conscendens longius collum crinemq; flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine viderimus, tamen vna tantum de virginibus, & vnus de Presbyteris, tres tantùm videre de monachis.* Ita Seuerus Sulpitius Dialogo 2. Confirmat Ecclesia, quæ luce illi sacra decantat in Officio Nocturno. *Dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput eius.* 1. *Super caput S. Martini Missam facientis globus ignis apparet.*

Refert ex Niceta Baronius Annale 10. Christi anno 878. quod cum Dei amore & Sancto Spiritus feruore oblationem in altari offerret S. Ignatius Constantinopoleos Episcopus, in ipsomet altari aperta Spiritus sancti assistentiæ argumenta visa sint. Cernebatur namque diuinus ille panis instar cœlestis carbonis gratia cœlestis ignis micans. Hæc ille, & plura. Conradus Card. & Sedis Apostolicæ per Germaniam legatus, tanti fuit meriti & sanctitatis, vt eius digiti, quibus sacram hostiam offerre solitus erat, noctu ad instar candelarum ita fulgerent, vt eius lucis ope scripturas omnes expeditè legeret. Ita Henr. Spondanus Continuationis Annal Baronij tomo 1. ann. Christi 1225 ex Thoma Cantipratensi lib. 1. de Apibus cap. 19. §. 3. de quo plura refert memoranda. 2. *Cernitur hostia sacra velut ignis lucere.*

Cùm S. Gregorius primus aliquan-

Angelus S. Gregorio respondet, Et cum Spiritu tuo, estq; ei socius.

do die sancto Paschæ in Ecclesia S. Mariæ Maioris celebraret, &, *Pax Domini sit semper vobiscum*, dixisset, Angelus Domini alta voce respondit: *Et cum Spiritu tuo*. Ita Ioannes Diaconus in vita eius.

Scribit quoque S. Ioannes Damascenus Oratione de ijs qui cum fide dormierunt eumdem *S. Gregorium cùm sacris operaretur, cælestem ac diuinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse*. Nec hoc mirum cuipiam videatur: Siquidem, vt ait S. Ildefonsus Toletanus de viris Illustribus, S. Gregorius *ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstrarit antiquitas.*

4. *Christus præsente S. Henrico Missam celebrat.*

Memorabile est, quod narrat Nauclerus anno Christi 1011. quomodo Christus visus sit in terris suum sacrificium à se semel institutũ iterare & peragere. *Fertur*, ait, *de Henrico hoc, quod semper primam noctem ingrediens vrbem solitus fuit in Ecclesia S. Mariæ Maioris manere. Contigit autem, quòd, dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus Pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus, quem sequebatur S. Laurentius, & loco Subdiaconi S. Vincentius; post hos S. Dei genitrix cum choro Virginum & Angelorum: dehinc S. Ioannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis: post hos Petrus & Ioannes cum ceteris Apostolis & Euangelistis: S. Stephanus cum Martyribus: S. Martinus cum Confessoribus: Angeli inceperunt Introitum: Suscepimus Deus misericordiam tuam, &c. & dum cantaretur. Iustitiâ plena est dextra tua, omnes Christum, & B. Virginem imitantes extenderunt digitum in Henricum. Post Euangelium indicibili iubilo cantatum, Angelus librum deosculatum à Christo obtulit B. Mariæ, & post eam omnibus deosculandum. Demum innuit B. Maria Angelo vt porrigeret etiam deosculandum Henrico, dicens; præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet; & cum præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in nervo tangens dixit: Hoc erit tibi signum dilectionis Dei propter tuam castitatem & iustitiam, & exinde vsque ad mortem claudicauit; ex quo euentu vocatus est Henricus claudus.* Hæc Nauclerus.

Huic ferè simile accidit S. Godrico in Anglia quondam Anachoretæ miraculis editis claro, de quo refert Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariensis ad historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ seculum duodecimum cap. 40. quòd S. Petrus Apostolus sacra Missæ mysteria apud eum celebrarit Ecclesiæ more & Sacrosanctam Eucharistiam illi de altari ministrarit. 5. *S. Petrus præsente S. Godrico sacrificat.*

S. Euortio Aurelianensi Episcopo ex more sacram Hostiam eleuante visa est manus, de nube caput eius operiente, tertiò eandem benedicere, Surius in vita eius cap. 8. Septembr. 7. 6. *Manus diuina visa est S. Euortio, eiusq; & S. Vdalrici sacrificium benedicere.*

Idem suprà retuli de S. Vdalrico Antistite Augustano, qui dum die Paschæ Missam perageret, visa fuit diuina quædam manus, quæ omnes sacerdotales functiones vnà cum ipso obiret; siquid ipse benediceret & illa benedicebat, & sic de ceteris. Idem Surius in eius vita cap. 2. Iulij 4.

Sancto Rainaldo Episcopo Nucerino cùm inter celebrandum sacram hostiam eleuaret, & brachia nudarentur, quòd vestem dedisset pauperi, & induisset paruulam tunicam pro paupere emptam ab Oeconomo, Angeli aurea veste nuda operuerunt brachia. Ita monumenta M. S. Ecclesiæ Nucerinæ & Philippus Ferarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, die 9. Februarij. 7. *S. Rainaldi celebrantis nuda brachia aurea veste tegunt Angeli.*

In rebus gestis S. Guduali cap. 6. apud Surium 6. Iunij sic legitur. Solebat Sanctus hic assiduè Missas celebrare. Quanta autem puritate se tanto ministerio præpararet, diuinitus reuelatum est. Ieiunijs, vigilijs, precibus præmissis, cùm sacro altari virginitatis bysso, & caritatis purpurâ adstaret indutus, atque ad cœlestia suspensus, cœli aperti

aperti sunt,& visio mirabilis ei exhibita
8. est. Descendunt ad eum sancti Angeli, adstant consolationis gratiâ sacrificanti, tremendis intersunt mysterijs, vnà cum illo laudes depromunt Deo cum ingenti reuerentia. Ille ceu splendida lucis columna stat sancta sanctorum tractans, Agnum Dei immolans, iunguntur cœlestia terrenis, terrena cœlestibus, mortalibus immortales: pro tanta gratia mortalibus collata immortales gratulantur. Hæc ibi.

S. Gudualo facienti astant Angeli.

Sed plura huiusmodi subministrant nobis antiquæ historiæ, ex quibus pauca de multis commemorabo. S. Basi-
9 lius (referente Amphilochio in eius vita c. 6.) visus est inter sacrificandum candidissimo lumine, & candidatis Angelis circumdari.

Angeli assistunt celebrantibus, vt S. Basilio, Euthymio & alijs.

Ibidem habetur, quòd Spiritus Sanctus ignis specie S. Anastasium sacrificantem circumfulserit. S. Euthymius sub annum Christi 503. sacrificans sæpe vidit Angelos secum Deo ministrantes & sacra contrectantes, vidit & aliàs ignem & lucem desuper descendentem, quæ se cum ministro ad finem vsque sacrificij complectebantur. Ita Cyrillus Eremita in vita eius.

S. Proculus Episcopus & Martyr cùm die quodam sacris operaretur, Angelus acceptum de altari calicem in aëra videntibus omnibus subleuauit, ac deinde in altari reposuit, quem iussus est de mandato Angeli, consecrato iam sanguine, libare. Petrus Episcopus Aquilinus lib. 1. Catalogi Sanctorum cap. 15.

10. Non ergo immeritò scripsit S. Ambros. in primum S. Lucæ: *Non dubites assistere Angelum, quando Christus immolatur.*

Angelos adesse Missæ testatur S. Ambrosius, Chrysostomus,

Adstipulatur S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, vbi inter alia: *Per id tempus* (sacrificij) *& Angeli sacerdoti assident, & cœlestium vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris cinctus est, id quod credere abundè licet vel ex tanto sacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret, senem quemdam virum admirabilem & cui reuelationum mysteria multa fuissent diuinitus detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, denique sic capite inclinatorum, vt, si qui milites præsentem Regem stantes videant.* Vide eumdem homil. 61. ad populum & Homil. 1. in verba Isaiæ *Vidi Dominum*, & alibi.

Quin insuper scribit Nilus, vt est apud Baronium Annale 5. anno Christi 407. S. Chrysostomum omni ferè tempore vidisse domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc inprimis cùm diuinum & incruentum sacrificium offerebatur. Vidit etiam S. Martinus Papa & Martyr, vt habet Surius die 12. Nouembris.

Beato Stephano Coruino Ordinis Minorum facienti duo Angeli cum cereis accensis astiterunt, eò quòd minister ad sacræ Hostiæ eleuationem obdormisset. Ita Chronica minor. p. 1. lib. 1. cap. 31.

Memorat P. Ludouicus de Ponte 11.
Noster in vita P. Balthasaris Aluarez cap. 6. ipsi apparere & astare solitum celebranti Angelum, qui eum dirigeret, & necessitates eorum, pro quibus celebraturus erat, suggereret, vt eas Domino commendaret.

P. Aluarez Angelum vidit sibi astantem celebranti.

Lege apud Pratum spirituale Spirituale Sophronij cap. 199. memorabilem de Angelis sacerdoti assistentibus historiam. Non ergo perperam colligerunt quidam Doctores ex scripturis pluribus, & inprimis ex Apocalyps. 8. v. 3. & 4. vbi sic legimus: (*Angelus venit & stetit ante Altare habens thuribulum aureum & data sunt ei incensa*

multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo) esse Angelum, quempiam peculiarem destinatum à Deo, qui facienti sacerdoti adsit, eum dirigat, illustret, accendat, preces eius Deo offerat, siue ille spiritus sit eius custos & tutelaris, siue paredros, assistens & curator altaris vel templi, ad hoc muneris à Domino destinatus.

12. *Adest Angelus altari custodiendo à Deo deputatus, vt docent exempla, & scripturæ.*

Pertinet huc quod legimus in Prato Spirituali Sophronij cap. 4. Leontium Abbatem Dominica euntem in Ecclesiam ad sacra mysteria, vidisse Angelum astantem altari, ac ab eo hæc audiuisse: *Ex quo sanctificatum est altare istud, ego ingiter illi astare iussus sum.*

Igitur iure optimo docet nos in Canone Ecclesia sic orare: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*: quæ quomodo intelligenda sint, suprà exposuimus. Hanc sententiam multis exemplis allatis ex scripturis & Sanctorum gestis probat Cornelius Noster in locum Apocalyps. citatum, ostenditque hoc ministerij genus Angelorum esse proprium, & pertinere, tum ad gloriam Dei, tum ad hominum salutem.

Ceterùm, præter illa quæ suprà à Cornelio adferuntur de Angelis in Ecclesiâ & altari præsentibus, præcipuè fauet locus Apostoli prioris ad Corinth. 11. v. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere suprà caput propter Angelos.* Per *potestatem* autem intellige cum Patribus velamen seu operimentum capitis, quod signum sit potestatis viri in illam, idque propter Angelos, qui Ecclesiæ assistunt, vt accepit S. Hieron. cùm ait, *Propter honorem Angelorum qui Ecclesiæ assistere perhibentur*; & manifestè Chrysostomus de Ascensione: *Vt scias quòd Angeli vbique versantur, Paulus fæmineo pudori prospiciens ait; debet mulier &c.* Ita & S. Thomas in locum citatum. Estque hæc expositio probabilior, quàm de sacerdotibus, qui etiam in litteris sacris Angeli vocantur.

13. *Mulieres in Ecclesia tegere se debent propter Angelos ibi præsentes.*

His accedit Tertullianus l. de oratione cap. 13. reprehendens abusum sedendi tempore Missæ præsente Sanctissimo Christi Corpore in altari, cùm sic scribit: *Siquidem irreuerens est assidere sub conspectu, contraque conspectum eius, quem cùm maximè reuerearis, ac venereris, quantò magis sub conspectu Dei viui, Angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo quod nos oratio fatigauerit.* Ita & suprà citatus Ambros. in Lucæ 1. *Vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, immo præbeat se videndum. Non enim dubites &c.* Vt suprà.

Sed ne caput hoc suprà modum excrescat, concludam relatione Nicephori lib. 11. cap. 35. vbi Piammon Monachus dicitur vidisse in mysterio cœlestem Angelum cum sacrâ stolâ ad diuinam mensam assistentem, præsentesque monachos in libro quodam annotantem, eos verò qui à Synaxi abessent delentem. 14. *Angelus præsentes in templo monachos describit.*

Palladius in Lausiaca cap. 72. idem refert visum, sed obiectum Presbytero Ammonæ, qui addit descriptos ab Angelo fratres accedentes ad gratiam, absentes verò deletos, & post triduum obijsse, quin & Angelus eumdem Abbatem à dæmone debilitatum manu apprehensa ad aram adduxit.

CA-

CAPVT XIV.

Fructus, tum ordinarij, tum extraordinaria beneficia diuinitus virtute sacrosancti Missæ sacrificij sæpe collata.

VAria huiusmodi recensentur à Sanctis Patribus, vt S. Augustino lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. B. Gregorio lib. 4. Dialogor. cap. 57. V. Beda lib. 4. Historiæ Ecclesiast. gentis Anglorum cap. 22. & alijs.

Scribit S. Nazianzenus Oratione 19. in funere patris, his verbis, Patrem suum ex sola Liturgia diuturna ex febri conualuisse.
1. *Pater S. Gregorij Nazianzeni ex febri conualescit ex Missæ celebratione, & eius soror Gorgonia saluata à V. Eucharistiâ.*
Cùm, ait, *numquam non dolore premeretur, & quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis* (scilicet febri) *ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus tamquam ex edicto & imperio fugatus se subducebat.*

Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ habita Oratione dicit illam graui morbo afflictam cùm noctu ad altare cum fide procubuisset, eumque qui super altare colitur magno cum clamore obtestata fuisset, & quia imitata esset eam quæ ad tactum fimbriæ Domini fluxum sanguinis compresserat, statim conualuisse.

2. *Quidam Dacus duce Angelo, cùm Missam audisset Hierosolymis, eodem die in patriam peruenit.*
Refert Thomas à Cantiprato S. Thomæ Aquinati suppar & coæuus libro 2. de Proprietat. apum cap. 40. §. 3. de quodam Andrea Daco, qui cùm Hierosolymis peregrinus versaretur, & iam cogitaret redire in patriam cum socijs ciuibus suis, noluit tamen cum illis ante Missam auditam congredi, sed illis abeuntibus remansit in Ecclesia, & post Missam cùm properaret, vt illos assequeretur, occurrit illi quidam eques inuitans, vt secum ascendens in equum suum eodem veretur: quo facto obdormiuit, & mox se esse in patria, & ante ædes paternas euigilans eodem die reperit. Cui ductor valedicens indicauit illi hoc beneficium collatum ob Missam religiosè auditam. Vide similia apud Cæsarium lib. 10. Miraculorum cap. 2. & lib. 7. cap. 39.

Fuit quondam, vt memorant Annales Hispaniæ, quidam Comes Castellæ Garsias Ferdinandez, contra quem in pugnam processit Rex Cordubæ Almancor cum ingenti Maurorum exercitu, & dies crastinus prælio destinatus erat. Itaque Comes summo mane cum suis Liturgiâ ritè auditâ, in certamen prodit. Inter primarios milites 3.
Paschalis Viuas in templo octo sacra audiens contra Mauros obtinet victoriam per Angelum eius personam gerentem.
quidam erat Paschalis Viuas, cui mos fuerat omnes Missas quæ in Ecclesia celebrabantur à prima ad vltimam magno affectu audire. Ergo mansit in templo obarmatus donec octo Missæ finirentur. Cacula verò eius seu famulus armiger ante fores templi stabat tenens Domini sui equum, lanceam & scutum, simul incusans eum quod ad prælium non pergeret. Interim insignis de Mauris reportata victoria est, & omnibus visum Paschalem Viuas solum eam obtinuisse, tum quia vexillum Mauris excussit, & eorum antesignanum interfecit, tum alios plures occidit, ita vt ei soli palma daretur, cùm tamen ipse toto conflictus tempore in templo orasset, nec ipse pugnasset, sed potiùs Angelus eius tutelaris diuinitus missus, qui habitum eius assumpsera t. Cùm ad Comitem adductus esset Paschalis, apparuerunt in equo & armis eius vulnera, & signa ictuum, quæ visa fuerant in eo, qui personam eius in certamine susceperat. Ita omnes religioni Paschalis victoriam adscripserunt. Similia habet Ioannes Vasæus in Chronicis Hispaniæ.

Scribit Lucas Pinellus lib. 2. de Missa cap. 3. sodales duos simul ad venatio-

nationem profectos, quorum vnus tantùm eo die Missæ adfuerat: cumque versarentur in aperto campo subitò exorta est tempestas, & vox per aërem audita est: Occide, occide. Et statim ille qui Missam illo die non áudierat, fulmine tactus concidit mortuus. Mox iterum vox intonuit: Occide, occide. Cùm verò ille qui sacrum audierat, percelleretur ingenti pauore, superuenit alia vox addens; non possum, quia audiuit hodie *Verbum caro factum est*; quia videlicet audierat Sacrificium Missæ, vbi in Euangelij S. Ioannis fine illa verba pronuntiantur, & hoc pacto à morte fuit liberatus. Idem habet S. Antonin. 2. p. Chron. tit. 9. cap. 10. §. 2. S. Gregorius homilia 17. in Euangelia, & 4. Dialog. cap. 57. sic memorat.

4. *Quidam venator qui Missam audierat à morte diuinitus liberatur.*

Multos, vt arbitror, vestrûm contigit nosse hoc quod volo ad memoriam reuocare. Non longè à nostris temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus longè traductus est, cumque diu teneretur in vinculis, eum vxor sua, cum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit: pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerri: cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro anima eius absolutione. Non longo post tempore reuersus, admirans valdè suæ indicauit vxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis eius vincula soluebantur. Quos videlicet dies atque horas vxor eius dinumerans, tunc eum recognouit absolutum cùm pro eo meminit sacrificium oblatum. Hinc ergo, fratres certa consideratione colligite oblata à nobis hostiâ sacrâ quantum in nobis valeat soluere ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero soluere vincula corporis. Sic ille.

5. *Quidam captiuus diebus, quibus Missa pro illo fiebat à vinculis soluitur.*

6. Maximè autem virtus huius sacrificij se exerit contra dæmones, quorum diurna nocturnaque spectra vt fumos dispergit, quod plura exempla ostendunt. Si enim qui ad statuas principũ confugiunt ab inimicorum impetu & importunitate immunes seruãtur quasi in asylo; quantò magis Christus Dominus in maiestate sua præsens in sacrificio Tartareas potestates propellet, & ad se confugientes tutos præstabit? Vide inter alios S. August. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8.

Sacrificium Missæ à dæmonum spectris liberat.

Nec modò viuis, sed & defunctis Purgatorij ergastulis detentis solatium adfert salutaris hostiæ oblatio, vt ex multis constat.

Narrat S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi cap. 6. quod subiungo. *Quadam nocte audiuit per somnium vocem sibi dicentis, sororem eius stare foris in atrio, & per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilans citò intellexit cuius esca inediâ marceret; & diligenter excusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit ex quo pro eâ panem de cælo viuum non obtulisset. Tum ille beneficentiam quam intermiserat, rursus aggreditur. Neque id frustra. Non multò pòst visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ, necdum tamen posse intrare, apparere etiam in veste pullâ. Cumque ille perseueraret, curans ne qua die solita stipe fraudaretur, secundò vidit eam in veste subcandidâ admissam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tandem visa est aggregari cætui candidatorum, & in veste candida.* Hæc S. Bernardus & verbis sequentibus concludit: *Hoc planè Sacramentum potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cælis reuertentes de terrâ.*

7. *Soror S. Malachiæ oblato Sacrificio pœnis Purgatorij liberatur.*

S. Augustinus de Matre sua Monica sic lib. 9. Confessionum cap. 11. loquitur: *Illa imminente die resolutionis suæ non cogitauit corpus suum sumptuosè contegi, aut conditi aromatis, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulcrum patrium, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret altare fieri dispensari hostiam sanctam, quâ deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.*

8. *S. Monica*

Lucas Pinellus plura adfert libro 2. de Missa cap. 3. & 8. Et hæc quidem beneficia extraordinaria sunt quos producit veneranda Liturgia: nam de ordi-

ordinarijs fructibus, quos eadem profert & progignit in animis præcipuè sacerdotis facientis, & aliorum ministrantium & adstantium, suprà actum est.

9. *Fructus generales sacrificij Missæ.* Sufficiet ergo breuiter eosdem numerare summatim. Sic itaque scribit Franciscus Toletus lib. 6. Summæ c. 10. Prima, ait, vtilitas est gratiæ augmentũ: qui enim in gratia est, Sacrum audiendo gratiæ augmentum consequitur. tum quia offert, tum quia pro ipso etiam Sacrum offertur. Secundò consequitur pœnæ temporalis pro peccatis debitæ remissionem. Tertiò, quod petit facilius impetrat, nam Deo Patri oblationem acceptissimam offert, puta Christum. Quartò, actus virtutum exercentur, & præcipuè trium, quæ sunt magni meriti, fidei, caritatis, religionis. Quintò comparet homo in præsentia Christi, & eo, quo potest, modo per fidem præsentem videt Christum, & habet atque impetrat quod impetraret si videret, si debito modo petat, vt cæcus impetrauit. Ita ille. Eosdem adfert Suarez in 3. p. disput. 79. Sect. 8. §. 4. qui etiam probabiliter tenet assistentes, quos & offerentes dicit, ex opere operato consequi proprium fructum, etiamsi sacerdos intentione suâ nullum illis applicaret. Eidem consentit Gregor. à Valentia tomo 3. in 3. part. disput. 79. sect. 8. §. 4.

10. *Bona spiritualia quæ consequitur Missæ ministrans.* Ceterùm magnitudinem spiritualium bonorum, quæ consequitur Sacro ministrans fusius explicat S. Bonauent. tomo 3. tract. de informatione Nouitior. par. 1. cap. 11. *In hoc ministerio*, inquit, *multiplex fructus. Primum, boni operis exercitium est: secundum opus charitatis est, & promouens proximum in bono: tertium opus deuotionis est, quia Deo appropinquat in oratione: quartò opus Angelicum est, cum quibus Deo ibi præsenti ministras, sicut & illi; & ex hoc non solùm sacerdos, cui ministras, tunc orat pro te specialiter, sed & omnes circumstantes, quorum vices geris, immo tota Ecclesia vbique terrarum, quia tu vicem geris omnium fideliũ, qui Deo suo de cælo venienti, cum gratissima actione gratiarum deberent ministrare, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Dominus speciali gratia remuneret etiam in præsenti qui libenter & deuotè ministrat apud illud Sacramentum, quo nihil est sanctius, &c.*

Vnde consequuntur omnes fructus quos ipsi assistentes, deinde, quia magis propriè offerunt quàm tantùm assistentes, cùm ipsi externis actibus ad sacrificium cooperentur sacerdoti offerenti, ministrando materiam, respondendo &c. denique duplex portio ex opere operato ad illos peruenit, quia simul & ministrant & assistunt.

CAPVT XV.

Quid sentiendum, quidve agendum Sacerdoti, dum per miraculum aliquando mutationes circa species V. Eucharistiæ contingunt.

PRæmittendum in primis, ex probatis Historijs constare interdum factas fuisse huiusmodi mutationes diuinitus, vel in ipsis speciebus, vel circa illas.

Narrat Metaphrastes in vita S. Basilij Iudæum quemdam vidisse in manibus eius sub Eucharistiæ Sacramento Infantem, & eumdem Iudæum accepisse hostiam carnem factam. 1. *Hostia sacra sæpe in carnem versa apparuit.*

Rursus idem Metaphrastes in vita S. Arsenij memorat seni cuidam de mysterio Eucharistiæ dubitanti, cùm communicaret, datam carnem sanguine cruentam, & cùm ipse diceret se credere Corpus & Sanguinem Christi esse in V. Eucharistiâ, rursus carnem in species panis fuisse conuersam.

Idem refert Ioan. Diaconus in vita S. Gregorij Magni lib. 2. cap. 41. factum ob incredulitatem cuiusdam mulieris.

2. *Apparuit interdum etiam in forma pueri.* Memorabile quoque est, quod producit Albertus Crantzius lib. 2. Saxoniæ cap. 23. de Widekindo eiusdem Saxoniæ duce, qui conspexit, quod de manu sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, qui quibusdam ludibundus arrideret, & vltro ad illos properaret, ab alijs verò abhorrentem auerteret faciem, & tamen in ora ingrederetur nec regrederetur; quod visum duci extitit exordium suscipiendæ fidei Christianæ.

3. *S. Plegilus vidit Christum in Eucharistia in figura infantis.* Scribit Paschasius Corbeiensis lib. de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia cap. 4. S. Thomas, & alij fuisse quemdam sacerdotem religiosum, Plegilum nomine, qui ardentibus votis optabat Christum in Eucharistia intueri in forma pueri, qualem Virgo Mater sinu excepit vagientem. Annuit Deus pijs eius precibus, & ecce, cùm diuina celebraret mysteria, dicto *Agnus Dei*, &c. Videt puerum in altari sedentem, quem Angelo monente, vlnis excepit, & pectus suum pectusculo eius admouet, & osculo item oscula libauit, moxque infantem altari restituit humiliter supplicans, vt Christus formam pristinam assumeret; quod cùm factum fuisset, sub specie panis solita communicauit.

4. *Pars hostiæ sacræ in carnem versa apparuit, alterâ speciem panis retinente.* Cardinal. Baron. Annale 11. ad annum Christi 1059. refert ex Epistola B. Petri Damiani ad Desiderium Cassinensem Abbatem, particulam Dominici Corporis inuentam esse vsque ad medietatem in carnem conuersam, altera verò medietate panis speciem non mutante. Quod miraculum quid portenderet sic explicat Petrus his verbis. *Deus sacrosanctum mysterium in carnis speciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris argueret, cum visibilem Dominici Corporis ostenderet veritatem, dum illa carnis speciem cerneret. Quod autem medietas sic remansit ad euidentioris indicij testimonium proficit, vt dum in vna, eademque substantia hinc panis, hinc carnis adesse consideras speciem, in vtroque vera carnis verique panis indifferenter intelligas veritatem: quia & ipse est panis qui de cælo descendit, & ipsa nihilominus caro, quæ de Virginalis vteri materia prodijt.*

Historici plures miracula recensent varia de sacra hostia, ex qua sanguis visus manare, quæ hîc breuitatis gratiâ omitto. Hæc interim accipe.

Religiosis quibusdam instantibus, vt sub vraque specie Sacramentum sumerent, sacerdote quodam pio cantante, cùm faceret fractionem, concauum patenæ totum visum est repleri sanguine, ad quod obstupuerunt ipse & circumstantes, sed cùm coniungeret partes hostiæ totum visum est reintrare, & sic petitioni & tentationi illorum penitus fuit satisfactum. Ita Alexand. Alensis 4. parte quæst. 11. membro 2. art. 4. §. 3. 5. *Sanguine patena repletur ex fracta sacra hostia.*

Celeberrimum porrò est quod scribunt Sozomenus histor. Eccles. lib. 8. cap. 5. & post eum Nicephorus, Zonaras & Baronius tomo 5. Annal. anno Christi 400.

Vir quidam hæresis Macedonianæ sectator, eiusdem sectæ vxorem habebat. Hic cùm S. Chrysostomum de verâ Dei religione disserentem audisset doctrinam eius amplexus est, & vxorem quoque, vt secum sentiret, hortatus est: cùm verò nihil suis sermonibus apud eam proficeret, tandem illi dixit: Nisi in religione mihi consors fueris, nec in vitæ quidem communione posthac eris. Ibi mulier data fide se id facturam, cum ancilla quadam de hac re communicat, eamque sibi ad fraudem marito faciendam sociam adiungit. Itaque tempore communionis illa quod acceperat continens velut

ora-

oratura procubuit, famula autem interim astans furtim porrigit id quod manibus ferebat; quod quidem simulatque dentibus admotum fuit in lapidem induruit. Tum mulier timore consternata, nequid sibi grauius eueniret, cum festinatione ad Episcopum accurrit, seipsam indicat ac lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam & inusitatum quemdam colorem referebat. Cumque profusis lacrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem hæc verisimilia esse non videntur, testis est ipse lapis, qui etiam hodie inter vrbis Constantinopolitanæ cimelia seruatur. Hæc Sozomenus. Verum ex hac relatione certò colligi non potest, an panis ille, qui in lapidem obduruit fuerit communis & profanus, an verò Eucharisticus, sed à Macedonianis consecratus: Vnde parum inde probatur; cùm conuinci inde non queat an miraculum illud acciderit circa Sacramentum.

6. Panis à muliere hæresis Macedonianæ sumptus in lapidem duresc it.

7. *Cur Deus huiusmodi miracula patret.*

Ceterùm vlteriùs obseruandum est Deum huiusmodi prodigia, qualia recensuimus facere, varios ob fines: & quidem maximè ad confutandos errores hæreticorum circa V. Eucharistiam, deinde etiam ad simpliciores in vera fide confirmandos; præterea vt indignè Sacramentum sumentes terreantur; & postremò, vt pij & religiosi ex tanta Dei erga se clementia consolationem hauriant, vt exempla relata facilè demonstrant.

8. *Huiusmodi apparitiones non fiunt sine aliqua mutatione.*

Præterea notandum, has apparitiones non contingere sine aliqua immutatione: nam vt omittam hîc dæmonum illusiones, quibus aliquando fallunt quosdam de sua sanctitate vanè præsumentes, quod Deus permittit ad ipsorum confusionem; item visiones phantasticas eorũ qui fortem & vehementem habent vim imaginatricem, & putant se videre aliqua quæ tamen verè non vident; possunt hæ mutationes fieri, vel in ipsis speciebus, vel extra ipsas, idque, vel in ipsa potentia visiua siue oculo, vel in aëre medio & circumstante alio corpore, sicut cernimus in Iride varios colores, vel etiam in nubibus & varijs aëris affectionibus, in quibus nulla est deceptio in sensibus, quia verè videmus aliquid coloratum vel figuratum, nec tamen homo iudicat, quid illud sit, verum scilicet aut apparens: & hoc accidere ait S. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. quoties hæc visio & apparitio solum percipitur à quibusdam, ab alijs autem videtur Sacramentum sub solitis symbolis, vel certè cùm hæc apparitio ad breue tempus perdurat. Tunc autem fieri videtur immutatio in ipsis speciebus iuxta eumdem, si ipsæ verè & realiter in se mutentur v. g. species panis in carnem & species vini in sanguinem; & quidem cùm species immutatæ omnibus eodem modo apparent, idque per longum tempus.

9. Quomodo contingant hæ mutationes.

Rursus accidere potest aliqua apparitio noua per positionem ipsiusmet Christi Domini in propria figura spectabili, saluis & immutatis symbolis accidentalibus panis & vini, sicut verisimiliter ab eo factum est ad consolationem seruorum sibi deuotorum; siue id egerit se extendendo secundum vnam replicationem, quam sub speciebus habebat, siue alia quapiam ratione sibi possibili, nobis autem ignota, vt vidimus euenisse pio sacerdoti Plegilo qui Christum schemate infantuli vidit & amplexatus est in Eucharistia vt suprà retulimus.

Postremò aduertendum immutationem in ipsis speciebus posse assignari duplicem, alteram, in qua salua maneret & integra substantia panis & vini, vt si in solo colore, figura &c. fiat immutatio; alteram, sub qua substantia panis & vini conseruari posset, vt, si totum

temperamentum mutetur, cuius satis certa sunt indicia mutatio odoris, densitatis, & maximè saporis, vt si species panis quid mucidum saperet, aut vini species acorem præ se ferret: quæ omnia maturo iudicio discernenda.

10, *Quamdiu species in se non mutantur, manet sub illis Corpus Christi.* Nunc dicendum primò, Quamdiu species non immutantur, sed omnis variatio extra illas est, manet sub illis Corpus & sanguis Domini.

Ita S. Thomas suprà, & per se patet, & probatione non eget: sic ferè contingit, cùm vnus vel alter solus videt mutationem, alij omnes solùm species panis aduertunt.

11. *Quando talis mutatio fit in speciebus vt sub illis non possit manere substantia panis aut vini Christus ibi esse desinit.* Dicendum secundò: Si immutatio fiat in speciebus vt naturaliter salua manere possit panis & vini substantia, manet ibi Corpus Domini & sanguis; si verò non possit, nec Corpus nec sanguis Christi censetur permanere. Est hæc sententia communis Doctorum.

Hinc sequitur, quando conuertitur Sacramentum in carnem vel sanguinem, & multò magis in lapidem, & id quidem quantum exteriori sensu, secundum omnes accidentium proprietates diiudicari potest, non amplius ibi esse Corpus & Sanguinem Christi, sed aliquam substantiam corpoream miraculosè productam ad signum & fidem præsentiæ Christi, siue eius Corporis & sanguinis, quæ ibi fuerunt, vel ad punitionem eorum qui indignè ad V. Sacramentum accedere præsumpserunt. Ratio horum est, quia caro & sanguis Christi est incorruptibilis, nec alterari, nec minui vel dilatari potest; hæc autem materia lædi, scindi, & aliter corrumpi & destrui potest: quinimo solo temporis decursu nigrescit, tabescit: Deinde Sanguis Christi Domini non est extra venas effusus, sicut hæc substantia sanguinea: Denique, quia per concomitantiam anima ibi coniuncta Corpori est, estque Corpus viuum quod etiam in his miraculis conspici deberet, quorum nihil hîc apparet.

12. *An substantia infra mæ carnis producta, sit vera caro.* Porrò an substantia illa per miraculum producta sit aliqua vera caro vel sanguis, dubium est: Verisimile est ordinariè solùm eorum speciem referre, & hoc ad miraculum sufficere.

Nec vlla in ea re est deceptio aut falsitas, vt quidam Doctores volunt Gabriel Lect. 51. in Canonem Litteræ, & Alesius 4. par. quæst. 53. membro 4. art. 3. qui putant in mutatis hoc modo speciebus Christum verè & realiter videri: Ratio verò nostra est, quia Christus simile in V. Euchastia patrando prodigium in mutatione specierum, non intendit hominibus significare se sub illa forma esse præsentem, sed se verè & realiter esse præsentem sub Eucharistiæ Sacramento, quod est certissimum. Adde illum satis insinuare se sub speciebus iam immutatis, & in aliam figuram conuersis fuisse præsentem; quod autem se subtraxerit, hoc arguere præsentium incredulitatem vel indignitatem, quos, vt doceret non credentes se substantialiter esse sub symbolis panis, figuram carneæ materiæ illis ibi ostendit: vel, vt indignos declararet Corporis sui sub specie panis sumptione, lapideam figuram portendit.

Nota hîc quosdam Doctores opinari, quòd, quando in punitionem eius, qui indignè accedit ad Sacramentum, ita species mutantur, vt appareant videnti & palpanti vera caro, aut lapis aut sanguis, idque permanenter, tunc desinere omnino ibi esse Corpus Christi: & ratio est, quia verisimile est Christum se illi subtrahere, species corrumpendo, vt demonstret illum esse indignum sacra communione: quando verò Sacramentum videtur verti in carnem aut sanguinem ad confirmationem fidei præsentium, consolationem sumentium, vel similem ob causam; tunc videri omnino remanere

Corpus

Corpus Christi: cùm enim illa fiant ad confirmationem veritatis Sacramenti, conuenit ibi verum Corpus permanere: quod inde etiam probatur, quia illæ mutationes ferè sunt exigui temporis, & tunc verosimilius est eas non esse veras, sed tantùm apparentes: quòd si sint perpetuæ, probabilius est corrumpendas omnino species panis & vini, & Christum desiturum ibi esse; & tunc dici debebit illa miracula non fuisse facta ad testandum Christum ibi permanere, sed ad testandum eum ibi præsentem fuisse. Sic ratiocinatur Ægidius Coninck in 3. partem S. Thomæ quæst. 76. art. 8. Dubit. 2.

13. *An in hisce mutationibus maneat Christus iudicandum est ex specierum perduratione.* Sed saluo meliore & maturiore iudicio, mihi hac in re dicendum videtur, Christum ibi persistere, quamdiu species ibi permanent saluæ, sub quibus posset substantia panis seruari, quod iudicandum est non tam ex eadem quantitate manente ante & post mutationem, quod videtur velle D. Thom. suprà, quàm ex mutatione odoris, saporis, densitatis &c. vt dictum est; vnde si species illæ vertantur in lapidem, omnino iudicandum est ibi Christi corpus non esse, cùm nulla proportio sit accidentium panis & lapidis.

14. *Quid faciendum de speciebus mutatis.* Petes hîc primò, quid faciendum de speciebus sic conuersis & immutatis.

Respondeo primò: Christum Dominum adorandum sub ijs, si sub ijsdem species panis & vini manere possit, sub alijs non. Nec refert, quòd in quibusdam Ecclesijs hostiæ huiusmodi mutatæ proponantur populo adorandæ; quia ordinariè solet illis adiungi hostia consecrata, quæ verâ latriâ colenda est, quod maximè fit, quando mutatio illa ante multos annos accidit; ita vt constet manifestè priores species illarum hostiarium esse corruptas.

Possunt tamen illæ hostiæ sic mutatæ externâ veneratione honorari non verâ latriâ, sicut solent coli externis signis vel osculis Christi vestes, vel etiam Crux eius adorari.

Respondeo secundò: Non videtur Sacramentum hoc modo immutatum, sumendum, sed asseruandum loco honesto & sacro, vt habet praxis Ecclesiæ.

15. *An sacerdos species sacrificij immutatas possit sumere.* Petes 2. an non possit sacerdos species illas sic immutatas, tempore sacrificij sui, sumere?

Respondeo posse illas sumere, si velit, & nullum horrorem percipiat, quia nullum est præceptum, quo prohibeatur, & sumptio pertinet ad complementum sacrificij. Potest tamen & expedit ad fidem fidelium confirmandam, & piorum deuotionem, illas seruari, maximè si adeò sint immutatæ, vt verisimile non sit sub illis esse Corpus Christi, vel quando mutatio illa perseuerat.

16. *An debeat illis casibus sacerdos nouam hostiam consecrare vt sumat.* Petes tertiò; an igitur debeat sacerdos tunc nouam hostiam & vinum consecrare ad complendum sacrificium?

Respondeo, Censet S. Thom. suprà cum alijs quibusdam Doctoribus consulendum tunc sacerdoti, vt nouam hostiam & vinum consecret & sumat, quia iure diuino tenetur sacerdos sub vtraque specie Sacramentum sumere.

Alij verò Doctores negant id debere fieri; tum quia sumptio, vt ante docui, non est de essentiâ sacrificij; tum quia Christus summus sacerdos videtur in suo precepto tunc dispensare, ne Sacramentum sumatur, cùm illud iam videatur constitutum sub speciebus, in quibus illud non instituit, & commodè sumi nequeat.

CAPVT XVI.

Incitamenta ex ante dictis desumpta, & sacerdotibus proposita, ad Deo, piè, reuerenter, & attentè sacrificium offerendum.

PRIMVM;

Tremendum Missæ sacrificium à Sacerdote offertur in persona Christi, qui primarius est offerens, & ipsa hostia.

DIgnitas & excellentia sacrificij colligitur & pendet ex ipsius Sacerdotis auctoritate & præstantiâ, & simul ex ipsius hostiæ siue victimæ pretio & eminentiâ. Sic S. Mater Ecclesia in sacra Liturgia commemorat munera iusti Abelis, & sacrificium Patriarchæ Abrahami, & summi sacerdotis Melchisedechi; qui & viri fuerũt sanctitate vitæ, & dignitate præstabiles & conspicui; & dignas hostias Deo litauerunt. Abel enim à Christo *Iustus* vocatur Matth. 23. κατ' ἐξοχὴν, quo nomine S. Stephanus ipsum Christum insignit Actor. 7. 52. Obtulit etiã hostiam optimam & opimam Deo, quam commendans Apostolus ad Hebræos 11. 4. *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo* (præstantiorem explicat ibi Chrysostom.) *per quam testimonium consecutus est, esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.* Alludit autem ad Genesis 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* In quem locum scribens S. Hieronym. in quæst. Hebraicis, probat interpretationẽ Theodotionis: *Et inflammauit Dominus super Abel & super sacrificium eius: super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit.* Symbolo ergo ignis à se missi, quo consumpsit victimam Abelis non Caini, demonstrauit Deus eius munera sibi grata fuisse, non verò Caini. Tanta autem fuit gloria, fides, religio, integritas vitæ Abelis, vt in fidelium mentibus semper viuat, & mutus loquatur ad sui imitationem certatim omnes excitans.

1. Præstantia sacrificij Abelis.

Eximia etiam & toto orbe spectabilis Abrahami fides, obedientia, pietas passim in sacris litteris laudatur. Sacrificium sæpe ipse obtulit acceptabile Domino, sed fuit illud admirabile, quod promptissimus fuit mente deuotâ offerre filium suum vnigenitum Isaacum, licet pro eo subiectum mactarit arietem. De hoc sic scribit Apostolus ad Hebræos 11. 17. *Fide obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui receperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit*: id est in prodigium omnium seculorum, quod omnes homines deprædicarent tamquam exemplum fidei, spei, pietatis, obedientiæ &c.

2. Item Abrahami.

Melchisedechi quoque singularis prærogatiua & religio ex Genes. 14. constat, & rursus Psalmo 109. & Epistola ad Hebræos cap. 7. ipse enim fuit expressus typus Christi, & maior Abrahamo, quem benedixit, & à quo decimas accepit, cuius pura oblatio panis & vini fuit Sacrificij Eucharistici adumbratio, & ἰχνογραφία Christi, qui ad Hebræos 6. v. 20. dicitur: *Pontifex factus in æternum secundum ordinem Melchisedech.* De hoc ergo sic scribit Apostolus ad Hebræos 7. sub initium: *Hic Melchisedech, rex Salem* (Ierusalem) *sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham: primum quidem, qui interpreta-*

3. Et Melchisedechi.

4. Excellentia Christi nostri Pontificis primarij.

pretatur Rex iustitiæ (iustissimus) *deinde autem & rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* (quia illa in scriptura non recensentur) *assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum*. Cùm enim illa in sacris litteris non memorentur, quasi constans & perpetuus sacerdos inducitur. Vide in illum locum Cornelium à Lapide, qui Christi & Melchisedech octo proponit similitudines. Quamuis verò Apostolus dignitatis Hostiæ quam hic obtulit non meminerit, quia ad eius scopum non pertinebat; dicendum est nihilominus, quod licet Aaronis & veteris Legis victimæ, oues & boues pane & vino simpliciter fuerint nobiliores; si tamen terminum ad quem spectes, in quem hæc transeunt in Missæ sacrificio, infinitis modis illis sunt præstantiora.

Ceterùm, si, vt certum est, pretium, valor & excellentia sacrificij metienda sunt ex dignitate sacerdotis & hostiæ oblatæ, manifestè constabit, quantum Liturgia nostra, quæ commemoramus sacrificia, & alia omnia excedat.

4. *Excellentia Christi nostri Pontificis primarij.* Principio, Pontifex noster omnibus modis excellentiam antecellit & hominum & Angelorum, de quo agens Apostolus ad Hebræos 1. inter alia hæc habet v. 4. *Tantò melior* (præstantior, dignior) *Angelis effectus, quantò differentius* (excellentius) *præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit Angelorum aliquando: Filius meus es tu*, &c. Et cap. 7.26. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*, id est qui super omnes cælos ascendit.

Hic ergo Pontifex primarius offerens est in Eucharistico sacrificio, tum quia illud instituit; & per sacerdotes vicarios suos (non autem successores in sacerdotio; *ipse enim eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*, Hebr. 7.24.) præcepit offerri in æternum, id est, vsque ad mundi finem, *Hoc facite*, ait, *in meam commemorationem*. Offerunt autem in ipsius personâ & nomine, vt patet ex verbis Consecrationis.

Tum quia ipse semper omnipotenti suâ virtute singulis in Missis substantiam panis & vini in Corpus & sanguinem suum conuertit, in qua conuersione essentia nostri sacrificij consistit.

Tum denique, quia Christus in cælo non minus offert, & repræsentat Deo Patri singula suorum ministrorum sacrificia quã sacrificium Crucis, per æternam illius commemorationem, laudationem, gratiarum actionem; vnde vtriusque sacrificij meritum & fructus semper operatur & durat.

Porro huius sacrificij hostia eiusdem pretij, dignitatis & præstantiæ est, cuius est sacerdos Christus Dominus, immo ipsissima est cum ipso offerente. Est ergo hostia sancta, impolluta, immaculata, mundissima, quæ nullo scelere ministrorum potest vilescere, aut contaminari, vt veteris legis victimæ offerentium flagitijs & auaritiâ inquinabantur, & despiciebantur, erantque Deo & hominibus abominabiles, vt conqueritur Dominus Malachiæ 1.6. & sequent. quapropter mox de hostia nostra mundissima loquens subijcit v. 11. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Est verò oblatio nostra munda, immo mundissima: nempe Corpus Christi mundissimum ex purissimo Virginis sanguine formatum, & Verbo diuino hypostaticè vnitum, quod etiam, vt loquitur Tridentinum sess. 22 cap. 1. nullâ indignitate ministri, vel nequitiâ inquinari potest. Adde Venerabilem Eucharistiam & à peccatis, & pecca- 5. *Hostia Christi mundissima, & Deo gratissima.*

torum

torum causis, concupiscentijs, tentationibus animum emaculare, & abstergere, occasiones peccati, vel tollere, vel ad eas vincendas spirituale robur præbere.

Dico hanc oblationem Deo esse gratissimam, quâ nulla gratior ne fingi quidem potest: gratiorem omnibus Sanctorum hominum & Angelorum laudibus, præconijs, gratiarum actionibus &c. Hinc colligat sacerdos quantâ animi puritate, sanctitate deuotione, submissione spiritus præditus esse debeat, qui diuinissimam & incontaminatissimam hostiam Deo offert, conficit, manibus tractat, ore manducat. Quamuis enim primarius sacerdos Christus Dominus, & immaculata ipsius caro ministri sordibus & sceleribus non inficiatur, non magis quàm Solis radius euibratus & lucens in lutulenta cloaca; decet tamen vt Regi suo legatus, summo sacerdoti minister, moribus & vitæ honestate aliquo modo respondeat, & se conformet. *Sancta sanctis*, accessuris ad sacram Eucharistiam olim acclamabatur. Est enim *panis filiorum, non mittendus canibus*. Leuit. 20.16. Deus Leuitis inculcabat: *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à ceteris populis vt essetis mei*: Et cap. 22. v. 32. *Ego Dominus qui sanctifico vos*.

S. Dionysius Areopagita dicit sacerdotes esse debere instar crystalli pellucidi, in quod Solares radij immissi in vicina omnia refunduntur & reflectuntur.

Referunt S. Francisco Seraphico quondam apparuisse Angelum manu tenentem phialam nitidissimam & lucidissimam; cùm autem Franciscus stupefactus peteret, cuius rei symbolum illa esset, respondit, similem illi esse debere mentem sacerdotis diuino sacrificio operantis. Fortè ea causa fuerit Francisco ob quam sacerdotio initiari noluerit, cùm præ humilitate se, tanto splendore sanctitatis præstare non existimaret, & tantâ dignitate se diceret indignum.

Accedant sacri Mystæ ad paratum sibi à Deo conuiuium sancti illius spiritu & affectu, de quo in eius vita sic scribit B. Bonauentura cap. 9. *Flagrabat*, ait, *Franciscus erga Sacramentum Dominici Corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximè illam carissimam dignationem & dignantissimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, cùm ad Agni immaculati degustationem suauem, quasi spiritu ebrius, in mentis, vt plurimum rapiebatur excessum*. Animis eorum & medullis insideat illud aurei oris effatum Homilia 60. ad populum Antiochenum. *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem, os quod spirituali igne repletur*. 7. *S. Francisci erga V. Eucharistiam amor & deuotio.*

II. INVITAMENTVM.

Angelici spiritus cælesti sacrificio adsistunt, Christum adorant, venerandi adgeniculantur.

DVbitandum non est quin Angeli Christo in altari immolato & præsenti assistant, eumq; adorent, vt Deum suum, vt cœlestes Palatini Regi suo cum timore & tremore præsto sint, vt Domino suo fideles famuli intendant, vt milites Imperatori suo sese offerant ad omne obsequium promptissimos.

Non inferiore veneratione altari adsunt, quàm Seraphim illi Isaiæ 6. videntes Dominum sedẽtem super soliũ excelsum & eleuatum, iuxta illud stabant & velabant faciem & pedes eius (vel suos; vtrumque enim faciebant) alis &

cla-

clamabant; *Sanctus, Sanctus; Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloriâ eius*, &c.

Sibi indicari à Deo Patre cogitant quod aliàs præceperat, vt habetur ad Hebræos 1. 6. *cùm introduceret primogenitum in orbem terræ: Adorent eum omnes Angeli eius*: Psalmo verò 96. 8. legimus; *Adorate eum omnes Angeli eius*. Accipe autem hoc in eius factum Incarnatione, & in eiusdem Resurrectione, tunc, verò id maximè futurum, cùm venerit in maiestate iudicare viuos, & mortuos.

Si Angeli in templo antiquæ legis aderant, & altari assistebant, vt signanter legimus Lucæ 1. v. 11. de Gabriele: *Apparuit illi* (Zachariæ) *Angelus Domini stans à dextris altaris incensi*, id est, Thymiamatis: quis ambigere potest, quin multò potiùs stent à dexteris sacrificantium nostrorum Liturgorum?

Adorarunt æterni Patris vnigenitum, Virginis primogenitum nocte eius Natalitiâ, & Genethliacum & hymnum accinuerunt, in Eremo illi esurienti ministrarunt, à mortuis existentem venerati sunt & Epinicium panxerunt, in sublimia cælorum ascendenti læti applauserunt: Annuntiabunt orbi terrarum iustitiam eius die illo decretorio & mundi nouissimo; cur non etiam existimandum est eodem latriæ cultu illos prosequi Christum Dominum suum in ara immolatum; & coram eo carmen Trisagion alterum ad alterum integrare.

Facile esset propositum nostrum Sanctorum Patrum testimonijs astruere, & exemplis confirmare; sed quia pleraque ante suis locis attulimus, hîc supersedemus. Hoc argumentũ passim versat S. Chrysostom. vt Homil. 3. in Epistolam ad Ephes. homil. 22. in Acta. homil. 3. contra Anomæos, homil. 36. in 1. ad Corinth. homil. 40. ad populum Antiochen. lib. 6. de sacerdotio, & alibi sæpius. Vide Francisc. Turrian. tractatu 2. de Eucharistia c. 18.

Referenda huc verba sacri Canonis suprà explicata: *Supplices te rogamus omnipotens Deus iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*) manus Angelorum tuorũ legit S. Ambr. lib. 4. de Sacrament. c. postremo) *in sublime altare tuum*, &c.

Quæ sunt autem manus Angelorum, nisi ipsorum intelligentiæ viuacitas, quæ precum nostrarum simulacra in mentes suas transformat, & eorumdem caritas, quæ earum infirmitatem suâ comprecatione adiuuat, & vota nostra, quibus Christi Corpus offertur, in cæleste altare defert.

Hęc cùm ita sint, quo te spiritu Deo sacrate mysta conuenit sacrificio illi immaculato operari? An non Angelicâ puritate par est splendere, diuino amore flagrare, sancto timore corripi, incredibili veneratione, eximiâ religione, singulari attentione sacris altaribus assistere, tremendum mysterium conficere, Corpus de Virgine sumptum contrectare, spirituali poculo pretiosi sanguinis perfundi, & ministerium cœleste peragere?

Exclamat pius scriptor, lib. 4. de Imitatione Christi cap. 5. *Grande mysterium, & magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod Angelis non est concessum*, &c.

Meminerit sacerdos in litteris sacris Angeli nomen se sortitum. Sic Malachias, id est, Angelus Domini, scribit cap. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*. 8.

Sacerdos Angelus in scriptura dicitur.

Vtriusque Analogias dabunt Interpretes, vt Cornel. ibi. Loquatur Chrysostom. lib. 3. de sacerdotio. *Necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret.*

Plures SS. Patres locum Apostoli prioris ad Corinth. cap. 11. v. 10. *Debet mulier habere potestatem* (velamen, quod

 est

est signum potestatis viri in ipsam; *su- per caput propter Angelos*, accipiunt de Episcopis & sacerdotibus, qui Apocalyps.1.& 2. vocantur Angeli, ne scilicet, mulier non velata specie suâ eos ad libidinem prouocet, quæ ex ea velut ignis exardescit. Ita SS. Ambr. Anselm. Thomas.

Vide Thomam à Kempis lib. 4. de Imitatione Christi cap. 11. §. 6. Quod sic incipit: *O quàm magnum & honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & ceteris ministrare.* Perlege quæ sequuntur.

III. EXCITAMENTVM;

Sanctum Missæ sacrificium viua & expressa repræsentatio & commemoratio est Christi Passionis & mortis.

FVerunt quidem vetera tam legis naturæ quàm scripturæ sacrificia ab antiquis Patribus & Aaronicis sacerdotibus Deo oblata, typi quidam & Sciographiæ rudes oblationis illius cruentæ, quâ Christus seipsum in Cruce obtulit Deo Patri pro nostris peccatis in odorem suauitatis; vnde & dicitur Apocalyps. 13. 8. Christus *Agnus occisus ab origine mundi*, scilicet in sui vmbris & figuris, quales fuerunt sacrificium Abelis, Noëmi, Abrahami, postea verò Agnus Paschalis, victimę Aaronis, maximè verò holocaustum iuge Agni mane & vespere in templo veteri oblati: verùm non ita clarè, planè & plenè cruentum Christi sacrificium expresserunt, vt iuge Missæ nostræ sacrificium & Liturgia.

Adde paucissimos tantùm & illuminatissimos viros intellexisse hostijs suis cruentis Christi in ara Crucis immolationem adumbratam fuisse, quales fuerunt Abel, & Abraham, Moyses, &c. Solùm enim intendebant victimis suis & holocaustis Deum colere, vt habentem dominium vitæ & necis, pro beneficijs acceptis gratias agere, mala deprecari, bona postulare.

In nostra verò Liturgia & immolatione incruenta, & eadem hostia est quæ in monte Caluariæ oblata, & idem offerens, qui seipsum ministerio sacerdotum immolat Deo Patri pro nostra salute.

Deinde in Missa Corpus & Sanguis Christi sub duplice specie consecrantur, vt species panis repræsentet Corpus à sanguine separatum, ac per hoc exsangue & mortuum, & species vini exprimat sanguinem à Corpore segregatum; hoc enim significatur vi verborum formæ, licet reipsa per concomitantiam & naturalem coniunctionem sub vtraque specie Christus integer & viuus in altari exstat. 9. *Manifesta repræsentatio Passionis Christi est Missæ sacrificium, vt pluribus ostenditur.*

Adde species panis & vini res esse mortuas, vnde mortem Christi clarè significant. Quocirca siquis triduo mortis Christi consecrasset, verè sub specie panis solum Corpus diuinitati vnitum stitisset, & separatim solum sanguinem sub specie vini eidem diuinitati coniunctum. Quia verò *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur*, ad Roman. 6. fit vt hæc à se mutuo realiter numquam separentur.

Denique si attentè contemplemur sacrum Liturgiæ officium à capite ad calcem, si mystam suis vestimentis sacrificalibus amictum, videbimus ad viuum illis omnibus expressam acerbissimam & ignominiosissimam Christi perpessionem.

Intueamur sacerdotē rasurâ siue tonsurâ in vertice coronatum, & colligemus illâ signari spineum sertum quo per ludibrium Seruator noster à Ro-

mano

mano milite fuit diadematus. Amictus à capite ad collum eius protensus nota est veli, quo Christi verendam Angelis faciem texerunt. Linea vestis vel Alba in memoriam nobis reuocat, vestem candidam, quâ Dominus maiestatis ab Herode fuit illusus. Cingulum, manipulus, stola, adumbrant funes & vincula, quibus innocentissimus Agnus colligatus. Casula index est paludamenti coccinei, quod Regi gloriæ in Prætorio Pilati tamquam Principi scenico contumeliosè fuit iniectum: anterior eius pars, columnæ figura signata, nobis objicit imaginem columnæ, cui Christus cùm flagris laceraretur, fuerat astrictus; posterior verò pars forma Crucis in medio distincta symbolum est triumphalis arboris, in qua Christus vita nostra pependit.

Prætermitto hîc orationes, cæremonias, & ritus alios, quos nobis sacrum ministerium proponit (de quibus ante egi) quæ omnia & oculis & auribus nostris ingerunt seriatim amarissimos Domini nostri cruciatus.

Inter alias memorabilis est illa cæremonia, quâ sacra hostia frangitur, & particula illius in calicem Sanguinis mittitur: hac enim perspicuè Christi passio demonstratur. Siquidem ipsa fractio significat animæ & corporis eius diuisionem, vel certè carnis eius lacerationem per flagella, spinas, clauos, lanceam: & rursus commixtio particulæ hostiæ salutaris cum sanguine, ostendit eiusdem Resurrectionem, per quam caro cum suo sanguine reunita fuit.

Nec quemquam fugit symbola sacramentalia panis & vini aptissima esse, vt nobis referant & insinuent immensos, & innumerabiles Christi Domini cruciatus & dolores: vt enim tritici grana in panem edulem coëant, varijs modis exagitantur, excutiuntur, moluntur, cribrantur, teruntur, pinsuntur, igni coquuntur; Ita Iesus noster, vt hostia fieret acceptabilis Deo Patri & nobis panis vitæ, plurimis molestijs, supplicijs, tunsionibus, pressuris, expositus fuit, & lancinatus toto corpore.

Idem de botro siue vua dici potest. Vt enim illa fiat potus vsibus humanis idoneus, in vite solis æstu torreri, pedibus calcari, in torculari premi debet; ita & pretiosus Christi sanguis, vt nobis fieret salutis poculum, in viuificæ Crucis torculari expressus fuit.

Accedunt his testimonia Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, qui asserunt exprimi, renouari, repeti, in Mystica Liturgia Christi Passionis viuam memoriam.

Ecclesia in quadam Collecta Secreta: *Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ redemptionis exercetur.*

S. Martialis Epist. ad Burdegalenses cap. 3. *Quod Iudæi per inuidiam & odium immolauerunt, putantes se Christi nomen à terrâ abolere; hoc ipsum nos causâ salutis nostræ in arâ sanctificatâ perficimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Sic enim ipse Dominus iussit nos agere in sui commemorationem.*

S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. ad Cæcilium. *Passio Domini est sacrificium ipsum quod offerimus, & ideo nihil aliud quàm quod ille fecit facere debemus.*

S. Gregor. Homil. 37. in Euangelio: *Christus qui in se resurgens ex mortuis iam non moritur, adhuc per sacram hostiam in suo mysterio pro nobis iterum patitur.*

Et lib. 4. Dialog. cap. 58. *Pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur.*

Mirum sanè est, quantum Pater omnipotens spectaculo mysticæ Passionis Vnigeniti filij sui capiatur, qui voluerit non solùm quotannis, quot mensi-

mensibus, quot hebdomadis; sed quot diebus in omnibus templis, immo altaribus toto orbe, sæpius exhiberi sibi & repræsentari, idque non solùm à sacerdotibus ministris, sed etiam per dilectissimum filium suum, qui semel pro salute nostra verè & realiter passus & mortuus, semper tamen mysticè in Missæ sacrificio & patitur & moritur.

Quomodo igitur conuenit nos affici, cùm huic mysterio, & spectaculo adsumus, illud agimus & exhibemus, & per Iesum Christum repræsentari & peragi cernimus. Angelici spiritus, & cælites omnes stupore defixi tenentur, Seraphim & Cherubim incredibili perfunduntur voluptate, cùm penitus contemplantur sacratissimum illud Drama, & augustissimum Spectaculum.

Et vos *Filij hominum vsquequo graui corde?*

Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum. Christum, cuius mirandam gloriam, sapientiam scilicet, potentiam & bonitatem, in hoc sacrificio, & Sacramento voluit relucere.

Quis vobis mentem & animum inserat, motus illos, affectusque suggerat, diuinissimos & suauissimos de cælo sensus demittat & medullis intimis insculpat, quos in colle Golgothæo, Mater dolorosa, dilectus Iesu discipulus, lacrymis oppleta Magdalis, & aliæ piæ matronæ perceperunt, atque senserunt, quæ cruciatuum eius, & mortis eius ignominiosæ & acerbæ spectatrices fuerunt. Certè à lacrymis non temperaretis commiserationis, doloris ob præterita vestra peccata, tenerrimi amoris erga dilectum sponsum vestrum, qui caritate vestri ebrius, nudus in trabe informi pependit, & nunc in altari se vobis offert in quotidianum monimentum Passionis & mortis suæ, & pignus æternum supremi & ardentissimi sui amoris.

Legimus Lucæ 23. v. 48. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: verè hic homo iustus erat! Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Idem spectaculum quod in Caluariæ theatro exhibitum fuit, vobis, & toti populo quotidie verè sed mysticè proponitur, non quidem modo cruento & cruciabili, sed incruento & impassibili: vnde meritò intimis visceribus Dei sacerdotes æquum foret commoueri Dei potentiam, sapientiam, clementiam celebrare, viuâ fide in Christum præsentem ferri, pectora tundere in testimonium summi doloris, & saltem ad instar cautium & rupium, quæ in morte Domini scissæ sunt, præ commiserationis affectu disrumpi corde, & in fontes lacrymarum diffluere.

IV. Invitamentum.

Eucharisticum sacrificium est saluberrimum & efficacissimum Theologicarum virtutum, Fidei, Spei, & Caritatis exercitium.

SCitum est sacrificium & Sacramentum hoc à Christo in nocte nouissimâ nominatum fuisse *Mysterium fidei*, vt traditione Apostolicâ didicimus. Est enim, vt suprà copiosè exposuimus, arcanum quoddam, non quod sensibus percipitur, sed fide apprehēditur & creditur, iuxta illud S. Thomę: *Quòd nō capis, quòd non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Sub diuersis speciebus signis tantùm & non rebus latent res eximiæ.* Et in Rhythmo, *Visus, gustus tactus in te fallitur,*

sed

sed auditu solo tutò creditur. Et rectè quidem: nam iuxta Apostolum ad Roman. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

10. *Fides nititur verbis Christi, qui nec falli, nec fallere potest.*

Nititur ergo fides nostra verbis, affirmatione, testimonio primæ & infallibilis veritatis Christi nimis credibilibus & fide dignissimis, cùm pronuntiauit vltimo vitæ suæ mortalis vespere: *Hoc est Corpus meum. Fidelis est* hic *sermo & omni acceptione dignus*, cùm sit illius qui verax est, & ipsa veritas, qui mentiri aut fallere nec vult, nec potest. Psalmo 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

Est autem hic sermo Dei efficax & operatorius, non minus quàm ille in mundi genesi, quo dixit: *Fiat lux & facta est lux*, Genes. 1. & Psalmo 148. *Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.*

Igitur fides nostra & sensum & intellectum captiuum ducit in suum obsequium, & oculatissima est, perspicacior illa Pastorum Bethlemiticorum, vel Magorum Sabæorum, qui Christum pannis inuolutum in præsepi vt Deum adorauerunt, beatior quàm illa S. Thomæ, qui visis & tactu exploratis plagis exclamauit & dixit: *Dominus meus & Deus meus.*

Siquis crederet viro magnæ auctoritatis & existimationis affirmanti niuem esse nigram, ignem frigidum, cœlum quiescere, terram moueri (vt quidam Philosophi hoc tempore tenuerunt) argueretur amentiæ & stuporis, cùm sensus experientia, ratio illi contrarium suggerat, nec vllatenus teneatur viro illi fidē adhibere cùm decipi, desipere & etiam decipere possit: Deo verò testanti Corpus suum & Sanguinem speciebus panis & vini contineri prudenter & tuto fides habetur etiam contra experientiam sensuum & rationem, quæ cognitionem suam haurit à sensibus; quia ipse nec falli potest, cùm sit ipsissima Sapientia, nec fallere, cùm sit ipsa essentialiter bonitas & potentia, cui nihil impossibile: Qui plura facere potest, quam nos capere vel intelligere possumus, cùm sit maior corde nostro. Vnde & intelligentia & sensus nostri tamquam refractaria & rebellia mancipia, cùm fidei obmurmurant, vinculis diuinæ auctoritatis constringenda & ad obsequium Christi in captiuitatem redigenda.

Absit hinc nimia curiositas, iuxta illud Ecclesiastici 3. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Et ibidem cap. 71. *Quid necesse est homini maiora se quærere?* Et Salomon ait Prov. 25. 27. *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria.*

11. *Agnus Dei in V. Eucharistiâ nec crudus, nec coctus aquâ, sed assus igni, manducandus est spiritualiter.*

Non dicamus cum Capharnaitis Ioannis 6. (cùm audissent verba Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.*) *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Et, *quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Potiùs sequamur priscos Hebræos, quibus præceptum erat Exodi 12. vt Agnum Paschalem, nec crudum, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni comederent. Putabant Capharnaitæ Christi carnem crudam edendam, dum clamabant: *Durus est hic sermo*, &c. quasi barbarum Anthropophagorum epulum illis Christus esset appositurus.

At hæretici, nimium curiosi Christiani Sophistæ, hunc Agnum immaculatum aquâ coquunt siue elixant, quia eius altissima mysteria, & ipsorum captum excedentia sui ingenij tenuitate metiri volunt, humanæ mentis frigidis argumentis impugnant, vanissimis ratiunculis scrutantur, & comprehendere sui pectoris angustijs nituntur, & ita fa-

ruitate sua maximum Sacramentum euacuant.

Porrò Orthodoxi non *plus sapientes quàm oportet sapere, sed sapientes ad sobrietatem*, humili & simplici corde arcanum hoc fidei ruminantes, & hoc pacto fidei lumen & Dei amorem in animis suis accendentes, & eius caritatem meditantes, qui *cùm dilexisset suos in finem dilexit eos*; hunc Agnum Paschalem igni assum manducant, sibi dictum existimantes illud Exodi suprà; *Si quid residuũ fuerit igne comburetis*: quod sic mysticè licet exponere: quidquid occultum est in hoc mysterio quod mens humana non assequitur nec penetrat, hoc cremetur fornace amoris, qui in Iesu pectore ardebat, cùm hoc intimæ dilectionis philtrum, pignus, illicium & monimentum nobis propinaret, & relinqueret in suis Apostolis.

Quod si hoc amore ardeat cor nostrum quidquid arduum, difficile, aut graue, durumve fuerit in hoc mysterio credendo, facilè consumetur.

Nec verba illa significatione vacant: *Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis*; q. d. Non minutim masticari & dentibus teri hæc debent, vt communiter aliæ dapes consueuerunt, sed auidè & integrè, ore fidei aperto in stomachum animi demittenda, ita vt caput Christi, id est, Deitas 1. ad Corinth. 11. *Caput Christi Deus*] & pedes eius, id est, sanctissima eius humanitas animâ & corpore constans, integra per fidem deglutiantur, simul cum intestinis & visceribus ardentis caritatis, quâ Christus hoc conuiuium sacrum instituit. Vide S. Gregorium homil. 22. in Euangel. *Fateamur Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigari non posse*; ait S. Augustin. Epistola 2. ad Volusian. *Diuina opera* (loquitur S. Eucher. homil. 1. de Symbolo) *non discutienda sunt, sed credenda: non te confundat vel trepidum faciat rerum nouitas, sed sufficiat tibi omnipotentis auctoritas: sit pro luce rationis magni potentia creatoris, &c.* Et rursus: *Qui te magna credere iussit, omnipotens est: diuinis rebus admiratio adhibenda est, non credulitas abroganda. In omnipotentem te credere affirmas? sed si de factis eius dubitas inbecillitatem omnipotentis accusas.*

Voluit Christus Dominus sub Sacramento mirabili copiosam segetem nobis præbere promerendi, quæ nobis omnino aufertur, si intelligentia illud assequimur. Notum est enim illud S. Greg. hom. 26. in Euang. *Diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Beati*, ait Saluator S. Thomæ de sua Resurrectione hæsitabundo antea, *qui non viderunt & crediderunt.*

Præterea subministratur nobis materia exercendæ & excitandæ sanctæ Spei, *cum futuræ gloriæ nobis pignus datur*, vt habet S. Thomæ Antiphona. Hoc conuiuium sacrum maximè Spem nostram confirmat. In rebus & contractibus humanis, vt quis certior fiat de re promissa tempore suo præstãda, arra vel pignus solet consignari, vel Hypotheca constitui: En tibi diuinissimũ Sacramentum pignus datur futuræ gloriæ. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Pignus tenes quisquis dignè & fructuosè hunc cibum sumis. Cùm per huius cibi sumptionem, intimè Christo vniamur, & in ipsum spiritualiter transmutemur, vt membra capiti coniungamur, & adaptemur, filij Dei fiamus quibus promissa hereditas: pignus tenemus in hac vnitione nos aliquando futuros ipsius gloriæ consortes. Vnde dicere possumus cum Psalte Dauide Psalmo 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

12. *Hoc Sacramentum pignus est futuræ gloriæ.*

Duo sunt, quæ spem supernaturalem in sumptione huius excellentissimi epuli mirificè excitant: primò, considera-

13. *Quæ spem excitent in huius Sacramenti sumptione.*

14. *Inserimur in sumptione huius Sacramenti Christo vt surculi arbori frugiferæ.*

sideratio multiplicium & singularium eius fructuum: ex hac enim exardescit in nobis amor concupiscentiæ, & desiderium ingens iisdem fruendi: quod desiderium pertinet ad rationem spei: nemo enim quidquam sperat, nisi illius amor in ipso excitatus fuerit.

Deinde, eamdem spem promouet cogitatio & persuasio, quod eosdem fructus cum gratia Dei facilè in huius conuiuij perceptione obtinere possimus.

Solùm ruminanda verba Christi Ioannis 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo.* Ergo cum Christum manducamus, nos sumus efficimurque Christi, & Christus fit noster, non aliter quàm cibus, quo nutrimur, suas qualitates, virtutes, conditiones nobis & corporis nostri membris communicat, & nos ipsum in sanguinem & succum nostrum conuertimus, ita vt esca sumpta fiat sanguis noster, caro nostra, substantia nostra, immo nos ipsi. *Per hanc participationem fit,* vt loquitur S. Chrysostomus homil. 61. ad Populum, *vt vnum corpus efficiamur, membra ex carne eius, & ex ossibus eius. Vt itaque non tantùm per caritatem hoc fiamus, verùm etiam reipsa, in illam misceamur carnem: hoc enim per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet: propterea semet ipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid simus tamquam corpus capiti coagmentatum. Ardenter enim amantium hoc est.* Hoc ipsum declarat Cyrillus Alexandrinus simulitudine ceræ liquefactæ, quæ alteri ceræ permiscetur, & fermenti quod totam farinæ Massam in sui saporem transmutat. Vide illum lib. 4. in Ioannem cap. 17.

14. *Inserimur in sumptione huius Sacramenti Christo vt surculi arbori frugiferæ.*

Quidam idipsum explicant per infusionem aquæ, quæ vino permixta vinum efficitur.

Nec malè etiam idem ostendit Analogia insitionis: vt enim arbori siluestri & infructuosæ surculus ab arbore frugifera excisus inseritur, atque ita arbor infrugifera fit fructuosa, nempe ex oleastro pinguis olea, ex spino prunus vel pyrus; sic & nos qui ex nobis ipsis steriles & infecundi sumus, insiti Christo per Corporis eius sumptionem, vberes reddimur & fructuosi, socij radicis & pinguedinis, gratiæ, inquam, illius quâ vnctus est, eius etiam diuinitatis, quâ Christus perfusus & personaliter est vnitus.

Adde his, nos ex Christi sumptione vitam haurire diuinam, cùm ipse dicat: *Qui manducat me, viuet propter me*; fit enim consors diuinæ naturæ 2. Petri 1. quam nobis impertit Christi spiritus, de quo ipse Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam.* Scilicet per se; sed quidquid nobis confert, hoc efficitur diuinitate ipsi coniuncta. Viuimus ergo vitam diuinã, quam humanitas Christi ex vnitione Diuinæ Personæ accepit, vt ipse ibidem dicit: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo, propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me.* Quæ verba & sic accipi possunt: vt sicut filius à Patre per æternam generationem, Diuinitatem, Sapientiam, potentiam suam accepit; ita nos quoque supernaturalem & diuinam vitam hac manducatione hauriamus, per similem illi modo, quo ipse vitam diuinam per æternam generationem à Patre haurit. Itaque nos in Deos quodam modo transformati æternæ gloriæ pignus certissimum accipimus.

Postremò, exploratissimum est nullum religionis nostræ exercitium præsentius, efficaciusque reperiri vel cœlitus nobis concessum, ad nos diuino amore inflammandos, frequentatione huius sanctissimi sacrificij & Sacramenti. 15. *In sumptione huius Sacramenti accenditur caritas.*

Docet hoc ipsa clarissimè ratio & expe-

experientia, quam religiosè & deuotè hoc sacrificium celebrantes agnouerunt.

Deus, ipse Deus, qui ignis est, ibi tangitur, accipitur, & in viscera nostra demittitur: quî igitur fit, vt sacerdos illum hauriens, eius ardore & amore non accendatur? Prouerb. 6. 27. dicitur: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?* Quî ergo fieri poterit vt sacerdos diuinum hunc ignem in penetralibus cordis sui recondens, non inflammetur, amore plusquam Seraphico, & totus rapiatur in Deum suum?

Duo quondam sibi associati Discipuli dicebant ad inuicem 24. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via & aperiret nobis scripturas?* Non dubium magis etiam eos arsisse, cùm benedictum à se panem, Eucharisticum nempe, illis porrigeret ibidem v. 30. *Ignitum enim erat eloquium eius vehementer*, & panis eius velut facula ardebat, & eorum medullas depascebatur.

Quid dicimus ad hæc? Quid? nisi cor nostrum adamante durius, Salamandrâ (quam aiunt in flamma inconsumptam viuere) esse frigidius, quod tam immenso incendio non mollescat, non concremetur. Nix in Alpibus æstate noua radijs solaribus afflata liquitur, flumina durissima glacie instar crystalli constricta sub verflante fauonio & Austro soluuntur, & præcordia nostra plusquam adamantina non franguntur, & corporis gelu conglaciata diuinitatis flamma non rumpuntur, nec in lacrymas cœlestis amoris radijs colliquescunt. Quale hoc prodigium!

Exodi 19. Angelus Dei personam repræsentans descendit in igne in montem Sina, & ascedit fumus ex eo veluti ex fornace. Tangit Deus montem & fumigat. Nos qualibet rupe duriores ad Dei præsentiam nullo pio affectus incalescimus, sed totì obduramur & torpescimus.

Interim quis mente concipiat, vel verbis exprimat inflammatum Iesu erga nos amorem; quis annuntiabit omnia beneficia eius? *Quomodo possum tui obliuisci, Domine Iesu, qui mei dignatus es recordari, memoriam faciens omnium mirabilium tuorum, escam dans timentibus te?*

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! maxima & infinita sunt tua erga nos promerita, sed hæc omnia tamquam monimentum & compendium quoddam complectitur, excedit, & coronat Deifici Corporis & pretiosi Sanguinis tui mysterium.

Scribunt plures auctores vt S. Hieronymus, Augustinus, & alij. Pellicanum sanguine suo pullis vitam reddere. Quidquid de illo sit, tradit Orus Apollo vulturem Ægyptium (fortè is sit Pellicanus) pullos suos fame deficientes alere sanguine, quem effosso femore sibi elicit. Clarissimum hoc symbolum est veri Pellicani nostri Christi, qui & sanguine nos in peccatis mortuos viuificauit, & excitauit, ac insuper eodem sanguine nos pascit, & reficit. Cum animo subeunt quorundam Dei amicorum ardentia desideria anhelantium & suspirantium ad diuinum hoc cõuiuium, operit confusio faciem meam. 16. *Christus Pellicanus.*

Hac de re sic scribit Thomas à Kempis cap. 14. lib. 4. de Imitatione Christi. *Quando*, ait, *recordor deuotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima deuotione & affectu accedentium, tunc sæpius in meipso confundor, & erubesco, quod ad altare tuum & sacra communionis mensam tam tepidè & frigidè accedo, quòd ita aridus & sine affectione cordis maneo, quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus & affectus, sicut multi deuoti fuerunt, qui præ nimio desiderio communionis, & sensibili cordis amore à fletu se non potuerunt continere, sed ore cordis & cor-*

poris

poris pariter ad te Deum fontem viuum medullitus inhiabant, suam esuriem non valentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali auiditate accepissent. Hæc ille & plura. In horum numero fuerunt S. Pater Franciscus Xauerius & plures alij, de quibus suprà egimus.

V. EXCITAMENTVM.

Sacrificij Missæ valor & fructus est propè infinitus, & saltem ex omnium sententia amplissimus.

INde colligimus valorem & pretium huius Sacrificij esse infinitum, quod in eo primarius offerens sit ipse Vnigenitus Dei Patris, dignitatis infinitæ persona, eadem quæ se obtulerat cruentam hostiam in Cruce, quæ etiam infinitæ efficaciæ est, licet incruento modo & mystico hîc immoletur: vnde inexhaustus hîc continetur meritorum Christi thesaurus, qui potest semper maiorem & perfectiorem fructum conferre, & pluribus semper personis illimitatè & sine termino syncategorematicè, vt loquuntur Theologi.

Cùm autem sacerdos celebrans facultatem & auctoritatem habeat hunc thesaurum ex Gazophylacio meritorum Christi pro libito applicandi ad quoslibet fines, & pro quorumcumque necessitatibus, iure suo liberalitatem exercere & potest & debet in huius Sacrificij dispensatione.

Nec est quod metuat hunc thesaurum vnquam minuendum aut minus valiturum, etiamsi pluribus in vnius Missæ celebratione communicetur. Facessat ergo hinc parsimonia, & reprehensibilis animi angustia, quæ breuibus terminis immensas opes circumscribunt: dilatentur potius viscera caritatis, & has spirituales & inexhaustas diuitias quilibet Liturgus munificè expendat, quas ipse non suo ludore, sed Christus pretio sanguinis sui comparauit. Notet verba Concilij Trident. Sess. 22. cap. 2. *Fructus*, inquit, *oblationis cruentæ, quam in Cruce obtulit Dominus per hanc vberrimè percipiuntur.*

Item S. Gregorij 4. Dialogor. cap. 58. *Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat.*

Meritò ait Apostolus ad Rom 8. *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donauit?* Ita S. Laurentius Iustinianus sermone de Christi Corpore: *Vides perspicuè nullum acceptabilius Deo offerri posse sacrificium siue ad exsoluendum laudes, siue ad exhibendum gratias, siue ad impetrandam indulgentiam, vel ad gloriam promerendam, quàm Corporis & Sanguinis Christi mysterium.*

Iuuat hîc inserere sententiam Francisci Suarez, quam etiam video ab alijs probari, habetque eam 3. parte tomo 3. disput. 79. sect. 2.

Christus Dominus in cœlo quamuis ibi pro nobis non satisfaciat pro peccatis nostris, nec mereatur nobis de nouo; orat tamen tamquam noster apud Patrem aduocatus, & *interpellat pro nobis* ad Roman. 8. & dicitur ad Hebræos 6. cœlos ascendisse, *vt appareat vultui Dei pro nobis.* Iterum 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum &c.* 17.

Christus Missæ sacrificium offert, & pro illis orat pro quibus sacrificium Missæ offertur.

Vnde credibile est quoties Missæ sacrificium offertur, toties Christum pro offerente & pro quibus offertur, orare. Christus enim cùm verè, propriè, & reipsa ministerio sacerdotali & officio Aduocati fungatur, propriumque sit sacerdotis orare & hostias offerre pro populo, tenendum videtur, eumdem non solum offerre sacrificium pro his qui

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HOC TRACTATV SECVNDO CONTINENTVR.

Primus numerus indicat librum, alter caput, tertius, vbi additur, numerum capitis.

A.

Digitized by Google

Coro-

Ex-

Oratio

Quid.

Sacrificium.

Tuo.

FINIS.

FACVLTAS
R. P.
PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis Iesv per Flandro Belgium Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi facta ab Ad.m R. P. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali, permitto Cornelio Woons Typographo Antuerpiensi, vt tractatum de Sacrificio Missæ Patris Oliverii Bonartii è Soc.te Iesv, ab eiusdem Societatis deputatis Theologis examinatum & approbatum typis mandare possit. In quorum fidem has manu mea subscriptas & officij mei sigillo munitas dedi Mechliniæ 22. Decembr. M. DC. XLIV.

Andreas Iudoci.

APPROBATIO.

TRactatus hic de Sacrificio Missæ, magno labore, industria atque eruditione collectus, & concinnatus à R. P. OLIVERIO BONARTIO, è Societate Iesu, Orthodoxæ fidei & bonis moribus conformis est: tanti verò Sacrificij Mystis perutilis, vt sapienter ac Deo dignè illud offerant. Quare eundem luce publica dignum censui 23. Maij M. DC. LII.

Gvil. Bolognino *S. Th. L.*
Eccles. Cathed. Can. & lib. Censor. Antuerp.